SC.19.Pl.7.

Digitized by Google

37
29 A
15

Ex Libris Antony Martinez.

MAG 157

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

QUAS IN

UNIVERSITATE VIENNENSI

AUDITORIBUS SUIS EXPOSUIT

JOSEPHUS ZANCHI

E SOC. JESU

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR,

EJUSDEMQUE PROFESSOR PUBLICUS,

ET IN SACRA FACULTATE

EXAMINATOR JURATUS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

TOMUS II.

M. D. CC. LV.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, Cæs. Reg. Maj. Aulæ Typographi & Bibliopolæ.

Digitized by Google

TRACTATUS THEOLOGICUS DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

Doctrinam de Gratia recto ordine excipit Tractatus de Virtutibus theologicis. Quippe ſapienter, poſtquam de natura cujusdam rei eſt actum, de ejusdem facultatibus diſſeritur: eſt autem gratia divina quædam veluti natura ordinis ſupernaturalis, quæ per virtutes theologicas, Fidem, Spem, et Charitatem, tanquam per facultates ſibi proprias ſupernaturaliter operatur. Porro virtutes hæ *theologicæ* dicuntur, quia immediate Deum reſpiciunt, prout humanam & naturalem ſuperant cognitionem: et propterea non noſtris acquiruntur actibus, ſed a DEO ſolo infunduntur; earumque notitia non humano ratiocinio, ſed ſacræ Scripturæ magiſterio comparatur, atque hominem Chriſtianum a non Chriſtiano diſtinguunt.

Fides namque velut immotum religionis fundamentum, cui cætera virtutum dona innituntur, primum inchoat Chriſtiani hominis, & ad cœleſtia nati, vitæ motum, aperitque oculos, & ad æternam illam ac incommutabilem veritatem attollit, quam beatæ mentes, ablato velamine, & facie ad faciem apertiſſime intuentur, et jucundiſſime deguſtant.

Digitized by Google

Spes (quam Hilarius *maximum fidei ſtipendium* appellat, quæve præſentia atque futura complectitur; illa, quia contemnit, iſta, quia ſua eſſe præſumit) ad æternam pulchritudinem aſpirat, ad quam eo vehementius fertur animus, quo ſpe firmiore erectus, eam ſibi promiſſam, & ex parte exhibitam cernit, ut jam aliquid ultra ſpem audeat, & inter poſſeſſionem ac expectationem affectus dividat, ſentiatque jam poſſeſſionis gaudium, dum adhuc ſpei deſiderio tenetur.

Charitas denique (quam, ut loquitur Caſſiodorus, *fides concipit, & ad quam ſpes currit*) utraque felicior, fidei umbras, & ſpei ſuſpiria prætergreſſa, totam ſeſe in Deum immittit: *ſecedit a ſe*, ut ait Auguſtinus, *& excedit a ſenſibus, ut ſe non ſentiat, quæ Deum ſentit.* Hæc enim eſt cœleſte illud vinculum, quod animam ſupra ſe ipſam, & mortalia omnia evectam, Deo jungit, cum mens ineffabili Dei illecta dulcedine, *quodammodo ſe ſibi furatur*, ut iterum Auguſtinus, *imo rapitur, & a ſe labitur*, ut æternam pulchritudinem, quam fides oſtendit, ſpes optat, charitate complectatur.

Triplicem igitur virtutem hanc, qua triplici velut vinculo homo DEO devincitur, propoſita nobis methodo hic inveſtigandam ſuſcipimus, de præcipuis quæſtionibus, quæ circa ſingulas agitari ſolent, ita ſermonem habituri, ut priorem Tractatus hujus partem ſoli Fidei, utpote de qua multo plura in quæſtionem veniunt, quæve cæteras, ſi non dignitate, generatione certe, ac ordine præit; alteram vero Spei ſimul, ac Charitati tribuamus.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIMA
DE
FIDE THEOLOGICA.

De fide ita hoc loco diſſerere inſtituimus, ut non ea modo, quæ inter Theologos diſputari ſolent, ſed & quæſtiones polemicas, ac controverſias Catholicos inter & Heterodoxos agitatas, compendio ſaltem, & quantum ad inſtitutum noſtrum ſpectat, pertractemus: hoc quippe præcipuum eſt veræ & genuinæ Theologiæ fundamentum, quo rite conſtituto, vix ullus eſſe poteſt inter Chriſtianos contentioni locus. Non tamen de ipſis Myſteriis religionis & fidei noſtræ agemus in præſenti, hoc enim totius Theologiæ negotium eſt; ſed de virtute, ſolum qua credimus fidei, ac religionis myſteria, diſſeremus: atque ut ex multis, quæ adſerri hic ſolent, præcipua duntaxat, & quæ neceſſaria magis videbuntur, excerpamus, rem omnem tribus Diſſertationibus complectemur. Prima Fidei naturam, altera recte credendi regulas, ſeu fidei principia; tertia ejusdem ad ſalutem neceſſitatem exponet.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA.

De Natura Fidei Divinae.

Ut fidei divinæ naturam manifeſtam habeamus, ante omnia in ejus notionem & objectum inquirendum eſt; tum verò dicendum de propoſitione objecti fidei ſufficiente & neceſſaria ad credendum.

SECTIO PRIMA

Fidei notio & Objectum exponitur.

De notione fidei, & objecto ante ſtatuere non poſſumus, quam de multiplici hujus vocis intellectu dictum a nobis fuerit. Hoc enim loco, ſi usquam alibi, cavendum eſt, ne vocis ambiguitas nos fallat. Hinc ergo nobis ordiendum.

CAPUT I.

Quid ſit, & quotuplici modo ſumatur fides?

I. Nomen *Fidei* varie a Sacris Scriptoribus uſurpatur. In primis enim fides in Scriptura, & Patribus accipitur pro fidelitate, ſeu conſtantia in ſervandis promiſſis & conventionibus. Inde primum dictam eſſe *Fidem*, quia per eam fit id, quod dicitur, docet S. Auguſtinus Epiſt. 19. c. 2. et Iſidorus in Libro Etymolog. Ita Sumitur ad Rom. 3. v. 3. verbis illis: *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* Quo etiam ſenſu Deus dicitur eſſe fidelis, Deuter. 32. v. 4. Pſ. 144. v. 13. Et I. ad Cor. 4. vocatur ſervus & diſpenſator fidelis ille, qui munere miniſtrandi et diſpenſandi recte fungitur. Et inter nos ii, qui in dictis conſtantes ſunt, viri probatæ fidei nuncupantur. Huic acceptioni affinis eſt alia, qua fides pro

pro fidelitate ſumitur; ut Ierem. 7. *Periit fides, & ablata eſt de ore eorum.* Et Apocal. 1. Chriſtus appellatur *Teſtis fidelis*, id eſt, verax.

Secundo accipitur fides pro fiducia. Sic Jac. 1. *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.* Et Matth. 8. Chriſtus ad Apoſtolos naufragium timentes: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* timor namque opponitur fiduciæ, ut docet S. Thomas in 3. diſt. 26. q. 1. art. 3. Fidem hoc ſenſu accipiunt Lutherani, & Calviniſtæ, contra quos egimus ſuperiore Tract. *de Gratia* Par. 2. Diſſ. 1. *de juſtificat.* cum nempe ajunt, hominem juſtificari per fidem, id eſt, fiduciam, qua confidit ſibi remitti peccata per Chriſtum. Hæc tamen fidei acceptio, quamvis eo modo, quo ea utuntur, aut verius abutuntur Sectarii, admitti non poſſit; in vero ac genuino ſenſu, quo a Catholicis uſurpatur pro effectu fidei, imo & ſpei, reiici non debet: ex eo namque, quod DEO credimus, & in eum ſperamus, naſcitur fiducia in ipſum, ut eodem loco diximus.

Tertio accipitur fides pro conſcientia. Sic vulgo dicitur aliquis poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei. Et in hoc ſenſu exponitur illud Pauli ad Rom. 14. v. 23. *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; id eſt, quod non eſt ex conſcientia, ſeu judicio ſtatuente, licitum eſſe id, quod agitur, peccatum eſt.

Quarto Nomen Fidei tribuitur doctrinæ & objecto fidei, ſeu rebus creditis per fidem. Sic frequenter dicimus, fides eſt, Deum eſſe incarnatum, id eſt, fide creditur, ſeu fidei articulus eſt, Verbi Incarnatio. Similiter Actor. 6. dicitur: *Multa turba obediebat fidei;* id eſt, doctrinæ per Apoſtolos annuntiatæ. Et in Symbolo S. Athanaſii: *Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quisque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Ubi nomine fidei intelligitur doctrina, & materia credenda per fidem.

Digitized by Google

Quinto denique ſumitur fides pro habitu, quo inclinamur ad aſſentiendum, vel actu intellectus, quo aſſentimur dicto alterius, ejus authoritate moti. Et ſiquidem aſſentiamur ob authoritatem humanam, fides humana dicitur; ſi vero propter divinam, divina, & theologica appellatur. Et de Fide hoc modo accepta in præſenti diſputamus, partim ut habitum, partim ut actum ſupernaturalem includit; quæ duo ſingillatim etiam ſumpta ſolent in Scriptura nomine fidei ſignificari. Nam de habitu fidei recte intelligitur illud, I. ad Corint. 13. *Nunc autem manent tria hæc: Fides &c.* quo etiam ſenſu docet Trident. Synodus, Seſſ. 6. Cap. 7. in Iuſtificatione Fidem infundi. De actu vero intelligitur illud Matth. 9. *Secundum Fidem veſtram fiat vobis*: quo etiam modo fides ſumitur, quoties in Scriptura præcipitur tanquam ad ſalutem neceſſaria; quia præcepta de actibus dantur.

II. Hæc ergo divina & theologica fides communiter a Theologis definitur, *Virtus ſupernaturalis, & theologica, qua firmiter aſſentimur iis, quæ Deus nobis revelavit, & per Eccleſiam credenda propoſuit.*

Dicitur 1mo. *Virtus ſupernaturalis*; quia naturæ vires excedit, hominemque attollit ad cognitionem earum rerum, ad quas naturali capacitate pertingere non poteſt.

Dicitur 2do. *Theologica*; quia Deum immediate pro objecto reſpicit, ut infra exponetur.

Dicitur 3tio. *Qua firmiter aſſentimur iis, quæ Deus revelavit;* quia cum ratio *formalis*, ſeu motivum, quo intellectus excitatur ad aſſentiendum, ſit ſuprema & infallibilis Dei revelantis veracitas, ut pariter infra dicetur; hinc ſequitur, aſſenſum fidei debere eſſe ita firmum, ut omnem prorſus dubitationem excludat.

Dicitur denique 4to. *& per Eccleſiam credenda propoſuit;* ut ſignificetur, revelationem divinam nobis non innoteſcere, niſi

niſi per propoſitionem Eccleſiæ, ad quam proinde pertinet, ea definire & proponere, quæ fide credenda ſunt, juxta tritum illud S. Auguſtini effatum. Lib. contra Epiſt. fundam. c. 4. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ catholicæ commoveret authoritas*, ut hic verius ex dicendis ſupponimus.

III. Præter allatam fidei definitionem profertur & alia ex Apoſtolo petita ad Hebr. 11. v. 1. ubi eam ita definit; *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium;* quæ definitio cum ſit a Spiritu Sancto inſpirata ac dictata, paulo diligentius a nobis eſt exponenda.

Dicitur *Subſtantia*, Græce ὑπόστασις, ſeu *ſubſiſtentia*; quæ voces hic tria ſignificant. Primum, quod adeo firmam bonorum ſperandorum perſuaſionem fides gignat, ut iis tam firmiter aſſentiamur, ac ſi jam ſubſiſterent, ac præſentia ante oculos noſtros obverſarentur. Deinde quod baſis ſit & fundamentum ſpei noſtræ; ideo enim ſperamus bona ſupernaturalia, quia per fidem certo tenemus, illa nobis eſſe a Deo promiſſa; propterea dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum.* Denique, quod ſit inchoatio quædam beatitudinis: *Prima*, inquit S. Thomas quæſt. 4. art. 1. *inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, quæ virtute continet omnes res ſperandas:* Et quemadmodum ſubſtantia eſt in rebus qualitatum omnium ſubſtratum, ita fides eſt prima virtus infuſa, cui aliæ ſuperadduntur & quæ ſublatis etiam virtutibus aliis, adhuc permanet. Quo autem ad fidei objectum pertinent, ſperanda potius dicuntur, quam diligenda; cum dilectio circa res, cum præſentes, tum futuras, circa viſas juxta & non viſas verſetur; Spes vero eſt rerum abſentium: ac proinde, cum fides ſit non viſorum, debuit explicari per res ſperandas, quo nec præſentes, nec viſæ eſſe poſſunt; nam ex eodem Apoſtolo ad Rom. 8. v. 24. *Spes, quæ videtur, non eſt Spes; nam quod videt quis, quid ſperat?*

Propte-

Propterea additur *argumentum non apparentium*; vel, ut in græco eſt ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, id eſt, convictio, & certiſſima perſuaſio earum rerum, quæ non videntur, neque clare apparent; creduntur tamen, quia a Deo revelata ſunt. Quibus verbis certitudo, & obſcuritas fidei deſignantur: certitudo quidem voce ἔλεγχος, ſeu convictio, obſcuritas vero per id, quod additur οὐ βλεπομένων, id eſt, non viſorum, ſeu non apparentium. Quæ verba acute explicat Doctor Angelicus hac 2. 2. q. 4. art. 1. dicens, fidem vocari *argumentum*, id eſt, firmam adhæſionem rebus non apparentibus; *quia ſcilicet per authoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad aſſentiendum his, quæ non videt*. Inde ſubjungit: *Si quis ergo in formam definitionis hujusmodi verba reducere velit, poteſt dicere; quod fides eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens, intellectum aſſentire non apparentibus*. Unde patet, quam convenienter, & quam divine fidem definierit Apoſtolus, paucisque verbis affirmaverit, quidquid allata ſuperius definitione expreſſere Scholaſtici.

IV. Porro, Fides nunc definita multipliciter a Theologis dividi ſolet; quod hic præmittendum eſſe duximus, ut quæ deinceps dicenda ſunt, diſtinctius & clarius intelligi poſſint. Alia itaque eſt fides habitualis, alia actualis; alia fides externa, alia interna; alia explicita, alia implicita; alia formata, ſive viva, alia informis, ſive mortua.

Fides habitualis eſt permanens in anima affectio, per quam in aſſenſum propoſitionibus a DEO revelatis præſtandum facilius prorumpimus & fideles dicimur, tametſi non ſemper a nobis actus fidei eliciatur, ſicut per habitum gratiæ & charitatis juſti, Deoque chari efficimur. Fides hæc, quatenus in ipſa juſtificatione cum ſpe & charitate inſeritur, ut evenit in Baptiſmo, ex Tridentino Seſſ. 6. cap. 7. appellatur *infuſa*;

quate-

Digitized by Google

quatenus vero repetitis actibus gignitur & roboratur, dicitur *acquiſita*. Diſtinguitur autem a gratia ſanctificante & charitate; quia amiſſa per peccatum juſtitia, remanet, ut eadem Trident. Synodus definivit Seſſ. 6. Cap. 28. nulloque peccato, niſi infidelitatis & hæreſis deleri poteſt.

Fides actualis eſt ipſe aſſenſus, quem Divina gratia auxiliante præſtamus propoſitionibus a DEO revelatis propter ipſius revelantis authoritatem. Aſſenſus autem ejusmodi, ut advertunt Theologi ex S. Auguſtino tract. 29. in Joan. triplici titulo Deum reſpicit: Scilicet ut objectum immediatum, quod creditur; ut rationem motivam & *formalem*, ob quam creditur; & ut finem ultimum, in quem fidei aſſenſus dirigitur. Unde intelligi poteſt, quid ſit credere Deum, quid credere DEO, & quid credere in Deum. Credere nempe Deum, eſt credere Deum eſſe. Credere DEO, eſt credere vera eſſe, quæ Deus dixit, propter infinitam ejus in dicendo veracitatem. Credere in Deum, eſt credere non quomodocunque, ſed ex affectu charitatis tendentis in Deum, tanquam in finem ultimum. Credere primo & ſecundo modo eſt commune omnibus fidelibus, juſtis & peccatoribus: credere autem tertio modo, eſt proprium juſtorum.

Fides interna eſt ille idem aſſenſus fidei, quatenus in animo libere concipitur, nec ullis verbis, aut ſignis exterioribus ſe prodit. Fides vero externa eſt illius aſſenſus interni per verba, aut ſigna exteriora manifeſtatio. De utraque loquitur Apoſtolus ad Rom 10. dicens: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Fides implicita eſt ea, qua quis univerſim aſſentitur iis omnibus veritatibus, quas Deus revelavit, & per Eccleſiam credendas propoſuit; licet nullam illarum in particulari cogitet, vel cognoscat. Fides vero explicita eſt, qua aſſentitur particulari alicui veritati a DEO revelatæ, ut cum quis credit Myſterium Trinitatis, Incarnationis, &c.

Digitized by Google

Denique Fides formata & viva eſt illa, quæ cum Gratia & charitate conjuncta eſt, & per dilectionem operatur. Fides vero informis, & mortua eſt, quæ a Gratia & charitate eſt ſejuncta, ſine qua cum operationes vitales, ſeu æternæ vitæ meritorias habere non poſſit, recte ab Apoſtolo Jacobo c. 11. 26. *mortua* appellatur.

CAPUT II.

Quae ſit fidei ſubjecta materies? & qualis ea eſſe debeat?

I. Ex allata paulo ante, & expoſita fidei definitione, quivis facile intelligit ſubjectam fidei materiem, ſeu objectum, ut vocant, *Materiale*, eſſe omnes ac ſolas veritates a Deo revelatas, & ad credendum propoſitas. Circa has namque fides divina ita verſatur, ut nihil credi poſſit, quod non fuerit a DEO pronuntiatum & revelatum, & aliunde nulla eſt veritas a DEO hominibus revelata, quæ non ad fidem pertineat.

Inter veritates autem revelatas ordinem aliquem intercedere, docet S. Thomas q. 1. art. 1. quæ enim ſperandæ ſunt, nempe Deus, & ejus poſſeſſio, primario ſpectantur a fide, cæteræ vero ſecundario, & quatenus ordinantur ad beatitudinem, quam ſperamus, ut Incarnatio, Sacramenta &c. *Si conſideremus materialiter ea*, inquit Angelicus Doctor, *quibus fides aſſentit, non ſolum eſt ipſe Deus, ſed etiam multa alia, ſecundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout ſcilicet per aliquos Divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem: Et Q. 14. de Verit. art. 8. ait. Et ita fides, quæ hominem divinæ cognitioni conjungit per aſſenſum, ipſum Deum habet ſicut principale objectum; alia vero quæcunque, ſicut conſequenter adjuncta.* Igitur Deus eſt primum, &

præ-

Digitized by Google

præcipuum fidei objectum, cæteræ vero res revelatæ, ſecundarium. Propterea Chriſtus ipſe Joan. 14. dixit: *Creditis in Deum, & in me credite*; quia illud eſt primarium, hoc conſequens. Hinc Auguſtinus Lib 4. de Civit. Dei c. 10. *Fidei*, inquit, *unum, & primum, ac maximum officium eſt, ut in unum credatur Deum.* Et merito quidem: omnia quippe, quæ per fidem revelantur, eo tendunt, ut melius cognoſcatur, & honoretur Deus. Proinde ſicut viſionis beatificæ Deus eſt objectum præcipuum, ita & fidei; quia viſio fidei ſuccedit. Unde Joan. 17. ait Chriſtus: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum;* quod tam de patria, quam de via Patres intelligunt.

II. Porro circa fidei divinæ objectum apud Scholaſticos in controverſiam potiſſimum venit, utrum illud ita obſcurum & inevidens eſſe debeat, ut viſum, aut evidenter cognitum eſſe non poſſit? Quæſtionem hanc (quæ etiam agitari ſolet a Philoſophis diſputantibus, utrum fides & ſcientia ſimul eſſe queant) quoniam non plane inutilis nobis viſa eſt, ſed ad objecti, de quo hic agitur, naturam rectius intelligendam accomodata, ita hoc loco tractandam ſuſcipimus, ut ea duntaxat, quæ Theologos decent, & præſens ſpectant inſtitutum, attingamus.

Advertendum autem eſt diligenter, controverſiam eſſe de objecto *materiali* fidei, hoc eſt, de re ad credendum propoſita, ſeu de rebus a DEO revelatis, non de ipſa revelatione, ſumpta ex parte Dei revelantis. Nam ex infra dicendis patebit, claram & evidentem eſſe revelationem eorum omnium, quæ fide divina credimus, hoc eſt, evidens nobis eſſe, Deum revelaſſe ea omnia, quæ nobis credenda proponuntur; tametſi inevidentia, & obſcura in ſe remaneant pleraque illa fidei noſtræ objecta.

Digitized by Google

Deinde in memoriam revocandum eſt, quid nomine rei claræ & evidentis, quid obſcuræ & inevidentis intelligi ſoleat. Illud nempe evidens dicimus, quod absque omni revelatione clare ſciri & videri poteſt, vel ſenſu, vel intellectu, vel aliorum teſtimonio. Hinc triplex rerum evidentia diſtingui debet. 1mo Evidentia ſenſuum, quo modo evidens eſt, exiſtere corpora, quæ videntur oculis, aliisque ſenſibus percipiuntur. 2do. Evidentia intellectus, qua ratione evidens eſt, Deum exiſtere, aut animam hominis eſſe immortalem: quia Dei exiſtentia naturali ratione demonſtratur, & immortalitas animæ ex variis ejusdem operationibus clare ab intellectu deducitur. 3tio. denique evidentia teſtimonii, cum nempe factum aliquid eſſe, & ita contigiſſe refertur ab authoribus fidei probatiſſimæ, rem teſtificantibus, quam propriis oculis uſurparunt; qualiter nobis evidens eſt extitiſſe olim Cæſarem & Alexandrum Magnum, aut nunc exiſtere urbem Romam, Conſtantinopolim &c. Unde ab oppoſito inevidens & obſcurum dicitur, quod nullo ex dictis modo, ſciri aut cognoſci poteſt, ſed ſolum per revelationem divinam; qualis eſt Trinitas Perſonarum in DEO, Incarnatio &c. quæ nullo ſenſu, nulloque ratiocinio detegitur.

Cum igitur fides divina ex Apoſtoli definitione ſit *argumentum non apparentium*; quæſtio eſt, utrum inevidentia & obſcuritas ita pertineat ad objectum fidei, ut per fidem credi non poſſit objectum clare & evidenter aliunde per ſcientiam cognitum; atque adeo fidei actus de exiſtentia Dei, aut animæ hominis immortalitate elici nequeat ab eo, cui hæc per ſcientiam innotuere. In hanc nos ſententiam pertraxerant momenta quædam philoſophica, cum ea ſuper quæſtione in Logicis diſceptaremus. Sed re nunc attentius perſpecta, & ad theolo-

theologicam trutinam revocata, oppoſitum tueri, congruentius viſum eſt, pro quo ſit.

ASSERTIO UNICA.

Objectum fidei non debet neceſſario eſſe obſcurum & inevidens.

III. P*rob.* Objectum Fidei divinæ eſt illud omne, quod a DEO revelatum eſt, quodque tanquam credendum ab Eccleſia proponitur omnibus Fidelibus. Atqui multæ ſunt veritates, clare & evidenter cognitæ, vel ſenſuum beneficio, vel per demonſtrationes philoſophicas, & quæ tamen ſunt a DEO revelatæ, & credendæ ab Eccleſia omnibus fidelibus proponuntur. Siquidem juxta communem Theologorum Sententiam a DEO revelatum atque inſpiratum cenſetur id omne, quod in Scripturis ſacris continetur; omniſque penitus veritas in iis contenta, ſeu hiſtorica ſit, ſeu chronologica, ſeu dogmatica, pertinet ad fidem. Quam multæ autem inter veritates illas ſunt de ſe ſenſibus & intellectui evidentes, ut exiſtentia Solis & Lunæ, terræ & maris, genealogiæ Patriarcharum & Regum Iſrael, facta hiſtorica, aliaque id genus, quæ tametſi fide divina non crederentur, certiſſima tamen nobis eſſent & evidentia. Sic multa alia ſunt de numero veritatum evidentium, ſeu evidenter cognitarum, quæ vere ad fidem divinam pertinent, ut, e. g. quod Chriſtus natus ſit in Bethlehem Iudæ, quod multa patraverit in Iudæa miracula, quod Cruci fuerit affixus, & mortuus: Hæc certe ſunt totidem fidei articuli. Atqui tamen hæ ipſæ veritates ſunt de numero rerum evidentium, non modo reſpectu eorum, qui propriis eas oculis ſpectarunt; ſed etiam reſpectu noſtri, quibus evidentes ſunt evidentia teſtimonii, adeo, ut quamvis per fidem divinam non crederentur, tam certæ tamen nobis eſſent, quam quod

 certiſ-

Digitized by Google

certiſſimum, eodemque gradu certitudinis, quo certa & indubitata ſunt alia facta hiſtorica, quæ a fidei probatiſſimæ Hiſtoricis, coætaneis, & teſtibus oculatis referuntur.

Hæc ſane teſtimonii evidentia, quamvis tanta non ſit, quanta eſt evidentia ſenſuum, & intellectus; tam evidens tamen nobis facit, Chriſtum eſſe natum, paſſum, in Cruce mortuum, quam evidens eſt, illum multa feciſſe ſigna & miracula; utrumque namque eorundem Scriptorum teſtimonio & authoritate nititur. Atqui ſigna & miracula Chriſti ſunt evidentia: inde namque potiſſimum probant Theologi, ut deinde videbimus, Religionem Chriſtianam eſſe evidenter veram, quia evidens eſt, Chriſtum fuiſſe verum Prophetam a DEO miſſum; ad quod invicte probandum validius non ſuppetit argumentum, quam miracula, quæ ipſe patravit, ut huic veritati fidem faceret. Igitur dictæ veritates, & plurimæ hujusmodi aliæ ſunt ſimul evidentes, & fide divina credendæ; proindeque Objectum fidei non debet ſemper eſſe obſcurum quid & inevidens.

IV. Confirmatur aſſertio ex eo, quod oppoſita ſententia multa ſecum ferat incommoda, quæ ab aliis uberius commemorantur. Hoc unum hic urgere ſufficiet. Si, quæ credimus, obſcura & inevidentia ſemper eſſe deberent, ſequeretur Philoſophum non poſſe, nec proinde teneri credere fide, Deum exiſtere, unum eſſe, omnipotentem, Creatorem Cœli & terræ, & alia id genus, quæ per ſcientiam clare & evidenter cognoſcit; quamvis ea omnibus omnino credenda præcipiantur. *Hæc* namque *ſunt præcepta, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos*, inquit Moyſes; *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.* Deuter. c. 6. Idem expreſſe affirmat Apoſtolus Paulus ad Hebr. c. 11. ubi primum dicit fide conſtare, Deum eſſe Authorem Sæculorum:

Fide

Fide intelligimus aptata eſſe Sæcula verbo Dei. Deinde addit: *oportet accedentem ad Deum credere, quia eſt.*

Neque audiendi ſunt qui dicunt, Apoſtolum ibi non loqui de Philoſophis, qui ſcientiam habent de exiſtentia Dei, ſed de aliis, qui ea carent: vel ſi de illis etiam loquitur, non exigere ab iis fidem in Deum ut authorem naturæ, quem demonſtrationis ope cognoſcunt; ſed ut authorem gratiæ, qualiter ratione naturali a nemine attingi poteſt, atque adeo ab omnibus credi debet. Contra namque eſt, Apoſtolum generatim, & absque exceptione loqui ad omnes accedentes ad Deum, & ab iis exigere, ut credant, *quia eſt*, ſeu quod ſit, quibus verbis exprimitur exiſtentia Dei, ut Authoris naturæ, ut primæ rerum omnium cauſæ, quæ quamvis naturali ratione cognoſcatur, ab omnibus accedentibus ad DEUM fide divina credi poteſt ac debet. Secus enim deterior foret conditio Philoſophi ob cognitionem ejusmodi, propter quam fraudaretur fidei aſſenſu, qui foret ipſi impoſſibilis, minoremque haberet certitudinem de exiſtentia Dei, quam ruſticus, quandoquidem, ut docent Theologi, certitudo fidei major eſt certitudine ſcientiæ. Igitur abſurdum omnino videtur affirmare, Chriſtianum Philoſophum, non modo non habere, ſed nec habere poſſe fidem de exiſtentia Dei.

Argumento huic reſpondent nonnulli Thomiſtarum, qui pene omnes in hac nobis quæſtione adverſantur, Fidem in Chriſtiano Philoſopho non poſſe quidem per ſe & directe ſe extendere ad illam veritatem, *Deus eſt*; indirecte tamen & per accidens poſſe illam attingere, quatenus ſcilicet illa virtualiter & implicite continetur in aliis propoſitionibus obſcure revelatis, & per ſe ad fidem pertinentibus, quales ſunt iſtæ: *Deus eſt trinus, Deus eſt incarnatus:* ex quo fit, ut Philoſophus Chriſtianus aquirendo ſcientiam de illa propoſitione, non fiat deterioris conditionis quam antea, nec minorem habeat de illa certitudinem,

quam

quam ruſticus fidelis. Ita fere Gonetus Thomiſta Diſp. I. *de Objecto fidei*, art. 5.

Verum reſponſio ejusmodi difficultatem non tollit. Vel enim Chriſtianus ille Philoſophus credens Deum eſſe trinum, actu & explicite credidit Dei exiſtentiam, in priore veritate implicite contentam, vel eam non credidit. Si credidit, habemus intentum; fidem, quippe cum ſcientia de eadem Dei exiſtentia compoſuit. Si non credidit, fidei præcepto non ſatisfecit; quia fidelium nemo diſpenſatur ab actu fidei explicito circa exiſtentiam Dei. Hoc primum eſt ſymboli Apoſtolici caput, hic primus articulus, *Credo in unum Deum* · · · *Factorem Cœli & terræ*; quo omnibus indiſcriminatim fidelibus, ſive docti ſint, ſive indocti, credendum proponitur, Deum exiſtere, eſſe unum, & Univerſi hujus Conditorem; de quo nemo certus eſſe poteſt certitudine ſupernaturali fidei, niſi de eo explicitum eliciat fidei actum.

Reſpondetur ad Objecta.

V. Objic. 1*mo*. Ex allata ſuperius Apoſtolica fidei definitione palam fit, obſcuritatem cum objecto fidei ita eſſe conjunctam, ut illius proprietas cenſeri debeat. Cum enim Apoſtolus fidem dicit eſſe *argumentum non apparentium*, id eſt, perſuaſionem ſeu convictionem non viſorum, proprium, & ut ajunt, *ſpecificum* fidei characterem in eo conſtituit, quod ſit de rebus minime viſis, & obſcure tantum cognitis.

Apoſtolo conſonant S. S. Patres, qui quoties de fide loquuntur, obſcuritatem & inevidentiam tanquam præcipuam illius proprietatem commendant. Ita S. Auguſtinus Tract. 40. in Ioan. *Quid eſt fides, niſi credere, quod non vides?* Et Tract. 79. *Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur.* Gregorius M. homil. 26. in Evang. *Fides non habet meri-*

tum

tum, cui humana ratio præbet experimentum. S. Athanaſius Lib. de Salutari adventu Chriſti. *Non enim fides de re evidenti concepta, fides dici poterit.* Plurima ſunt ejusmodi alia Patrum teſtimonia, quæ in re omnibus obvia adducere ſupervacaneum videtur: iis autem omnibus quid ſignificatur aliud, quam fidei objectum debere eſſe obſcurum aliquid & inevidens?

Reſp. Ex illis Apoſtoli verbis nihil aliud inferri poſſe, quam quod fides ſit de obſcuris & non apparentibus plerumque, & ratione quarundam rerum, quæ per fidem creduntur; non vero quod ſit de obſcuris ſimpliciter, & quoad ſingula objecti ſui capita; quaſi vero obſcuritas & inevidentia foret inſeparabilis fidei proprietas. Immo patet, Apoſtolum eo loco partem duntaxat aliquam commemorare eorum, quæ fide creduntur; videlicet ea, quæ ſperantur, & futuram ſpectant vitam, *ſubſtantia rerum ſperandarum*: datur namque etiam fides rerum timendarum, præteritarum &c. Unde cum dicitur, argumentum non apparentium, merito inferimus, Apoſtolum denotare quædam duntaxat fidei objecta, quæ inevidentia ſunt, & ſupra rationem poſita; quod utique veriſſimum eſt. Sed inde nequaquam ſequitur, ſingulas veritates ad fidem pertinentes debere neceſſario eſſe obſcuras, & humano ratiocinio impervias.

Neque aliud ſignificant adducta Patrum teſtimonia. Quamvis enim profiteantur hanc præcipuam eſſe fidei laudem, quod per illam credamus veritates a Deo revelatas minime claras & evidentes; reipſa tamen nihil aliud intelligunt, quam quod præcipuum fidei meritum ſit, captivare intellectum, & credere veritates incomprehenſibiles; quod non impedit, quo minus meritorie credere poſſimus etiam alias veritates per ſcientiam clare cognitas. Hoc ſenſu dixit S. Auguſtinus, hanc eſſe *laudem fidei, ſi quod creditur, non videtur.*

Digitized by Google

Cum vero ait, *fidem eſſe credere, quod non vides ;* intendit dicere, fidem eſſe credere *formaliter* per ipſum medium fidei, ſeu ex vi motivi fidei, etſi concomitanter per aliud medium cognoſcatur id, quod creditur. Ita namque nos oportet credere res viſas & evidentes, ut eas fide teneremus, quamvis nobis evidenter cognitæ non forent. Similiter intelligendus eſt S. Athanaſius, fidem non eſſe de re evidenti, ſi ideo aſſentiamur, quia eſt evidens, alioquin non aſſenſuri. Denique S. Gregorius M. loquitur de merito comparate, hoc nimirum ſenſu, quod qui credit cum minori difficultate res clare cognitas, minus habeat meritum, quam qui credit cum difficultate majore veritates ſupernaturales.

VI. *Objic. 2do.* Actus fidei eſt liber & meritorius: *libere moventur in Deum, credentes &c.* inquit Concilium Trid. ſeſſ. 6. c. 6. Propterea laudantur ac præmiantur qui credunt; redarguuntur vero, & puniuntur, qui non credunt. *Quia vidiſti me, credidiſti,* inquit Dominus ad Thomam Ioan. 20. & deinde ſubjungit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ad Diſcipulos vero euntes in Emaus: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum.* Luc. 24. Atqui actus fidei liber non eſſet, nec proinde meritorius, ſi verſaretur circa aliquod evidens: evidentia namque cogit ad aſſenſum, neque in hominis poteſtate eſt, non aſſentiri propoſitionibus claris & evidentibus. Igitur objectum fidei evidens eſſe non poteſt.

Reſp. Neg. min. Quamvis enim ſupponatur aſſenſum neceſſario præberi veritatibus claris & evidentibus, liberum tamen adhuc manet, eas fide divina credere, ſi re ipſa ad fidem pertineant: quia dum creduntur veritates illæ per fidem divinam, aſſenſus iis non præbetur propter evidentiam ipſarum, ſed propter revelationem Dei; poſſet autem aliquis aſſentiri exiſtentiæ Dei propter evidentiam, quæ neceſſario ipſum moveret ad credendum, qui tamen libere crederet per fidem divinam;

vinam; imo poſſet non credere, ſi nimirum nollet credere propter revelationem Dei. Liber proinde eſt actus fidei, atque adeo etiam meritorius, quamvis verſetur circa aliquam veritatem evidentem; quia liberum eſt homini credere, vel non credere veritatem ejusmodi per ipſum ſcilicet fidei divinæ motivum, ſeu propter Dei revelationem, tametſi ea aliunde clare & evidenter cognoſcatur. Neque dictis quidquam obſtat, quod a Domino redarguatur Apoſtolus Thomas, quaſi nulla in eo fuiſſet fides de eo, quod vidit. Non enim reprehenditur, quod crediderit, ſed quod non crediderit, niſi quia vidit. Reprehenſione certe dignus eſt, qui non credit, niſi quod videt, licet aliquando credatur per fidem etiam quod videtur; fides enim ut plurimum verſatur circa res obſcuras & inevidentes. Unde exiſtimo tam D. Thomam, quam alios Apoſtolos per fidem crediſiſſe Chriſti Reſurrectionem, quam aliunde ſenſuum teſtimonio noverant.

VII. *Objic. 3tio.* Cognitio clara alicujus veritatis, uti & ejus viſio ita reddit intellectum convictum atque perſuaſum, ut non poſſit moveri extrinſeco teſtimonio. Ergo inutilis ſaltem foret fides de re alioquin evidenter cognita aut viſa. Propterea etiam in Beatis juxta communem Theologorum ſententiam nec actus nec habitus fidei amplius locum habet, conformiter ad illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. *Cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.*

Reſp. Neg. ant. Teſtimonium quippe Dei loquentis vim movendi habet etiam pro ſenſu compoſito ipſius ſcientiæ; quia certius eſt, firmiusque quocunque medio, ſeu motivo ſcientifico. *Facilius dubitarem*, inquit S. Auguſtinus L. 7. Confeſſ. c. 10. *vivere me*, quam *non eſſe veritatem*, *quæ per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicitur;* quæ verba intelligenda ſunt de cognitione Dei per fidem, quamvis ea habeatur per demonſtrationem ex creaturis. Recte igitur DEO exiſtentiam

ſuam revelanti aſſentiri poſſum, & quia hoc ipſe mihi teſtificatur, & quia ratione naturali perſpectum habeo. Neque urget argumentum a Beatis: ideo namque in iis fides locum amplius non habet, quia actus fidei ita ſubordinatur viſioni beatæ, & habitus fidei lumini gloriæ, ut ſit quoddam illius ſupplementum in via: eſſe autem ſupplementum ceſſat, adveniente eo, cujus eſt ſupplementum. Cæterum non repugnat ſimpliciter loquendo, actum fidei conjungi etiam cum viſione intuitiva Dei; quia nulla in eo eſt contradictio, quod intellectus videns clare veritatem revelatam, eidem ſimul aſſentiatur propter revelationem Dei, aſſenſu nixo præciſe revelationi, non viſioni, adeoque præſtando, quamvis abeſſet viſio.

Conſectarium.

VIII. His ita poſitis, fruſtra laborant Scholaſtici longius examinando, utrum in eo caſu, quo quis exiſtentiæ Dei aſſentitur per demonſtrationem ſimul & per fidem divinam, unum duntaxat, vel duos eliciat actus: certum namque videtur, duos ibi eſſe ſpecie diſtinctos actus, quorum unus ſcientiæ & naturalis eſt, alter fidei & ſupernaturalis; quia duo quoque ſunt motiva ſpecie diſtincta: credit namque Deum exiſtere, quia clare videt connexionem, quæ eſt Deum inter & creaturas; & credit eum exiſtere, quia hoc ipſe de ſe teſtatus eſt.

Neque dicas: Igitur intellectus clare ſimul & obſcure cognoſcit eandem veritatem; clare ſcilicet per demonſtrationem, obſcure per fidem. Negamus enim ad eſſentiam fidei requiri neceſſario, ut objectum ejus obſcure & inevidenter cognoſcatur; ſatis eſt, quod ſit a DEO revelatum, perinde autem eſt, quod obſcure vel clare cognitum ſit a credente. Philoſophus itaque clare cognoſcit exiſtentiam Dei, & tamen eidem aſſentitur per fidem.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

DE
Symbolis, in quibus fidei materia continetur.

I. Cum veritates omnes a DEO revelatæ, quas ſubjectam fidei materiam eſſe diximus, ad certum numerum revocari nec debeant, nec congruenter poſſint; præcipua quædam fidei capita ſeligi oportuit, quæ omnibus propoſita ſummam eorum, quibus fidei aſſenſum præbere debemus, comprehenderent. Hæc fidei noſtræ ſumma *Symbolum* appellatur, quod ſecundum vim nominis græci, collectionem, ſeu collationem multorum ad aliquod opus ſignificat. Sumitur etiam hoc nomen pro indicio vel teſſera militari, qua olim veri a falſis militibus diſcernebantur. Utramque hanc ſignificationem Symbolo tribuit Ruffinus in Expoſit. Symb. quæ ad calcem Operum Cypriani legitur, dicens, *Symbolum enim græce indicium dici poteſt, & collatio, hoc eſt, quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus, in unum conferendo, quod unusquisque ſenſit. Indicium autem, vel ſignum idcirco dicitur, quia illo tempore, ſicut & Paulus Apoſtolus dicit, & in Actis Apoſtolorum refertur, multi ex circumciſis Iudæis ſimulabant, ſe eſſe Apoſtolos Chriſti; & lucri alicujus, vel ventris gratia ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nuntiantes.* Symbolum igitur apud Catholicos eſt brevis quædam ſumma ex variis fidei articulis ab Apoſtolis ac Patribus collecta, & fidelibus propoſita tanquam ſignum, & teſſera profeſſionis ſuæ.

Convenientiſſimum autem fuit, ut in Eccleſia haberetur Symbolum, quod præcipuos fidei Chriſtianæ articulos in ſummam collectos exhiberet. Primo, ut facilius poſſent omnibus,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

præſertim rudioribus proponi, innoteſcere, ac memoria retineri. Secundo, ut hoc pacto foveretur concordia inter Chriſtianos, qui unam eandemque fidem iisdem verbis, eademque formula profiteri ſolent. Tertio, ut fideles certam haberent fidei regulam, quam hæreticis opponant velut publicam Eccleſiæ teſſeram, cui nefas ſit quicquam addere, aut ſubtrahere: id enim hæreticis ſolenne ſemper fuit, catholicam doctrinam, quantum in ipſis eſt, corrumpere & immutare per falſas Scripturæ, & Conciliorum interpretationes, cui malo occurritur beneficio Symboli, quod breviter & dilucide absque ulla ambage præcipua fidei dogmata exhibet.

Dixi, præcipua fidei dogmata; quæ ſcilicet in patria nos beatos efficient, aut ad felicitatem illam nos perducunt: *eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum.* Ea porro ſunt Deus unus & trinus & Myſterium Incarnationis. Ad hæc duo capita reliqua omnia referuntur; nimirum ad divinæ Majeſtatis in ſe, & in ſuis operibus cognitionem, tum ad Chriſti Incarnati Myſterium. Utrumque autem continetur in Symbolo, & de utroque præcipua & maxime neceſſaria Myſteria proponuntur. *Symbolum*, inquit S. Auguſtinus Serm. 181. de Tempore, *breve eſt verbis, ſed magnum in Sacramentis; quidquid enim in Scripturis de Deo, & Chriſto traditum eſt, in Symbolo continetur.* Proponitur inſuper in eo præſens Eccleſia, intra quam ſolam poteſt ſperari ſalus; item vita æterna & reſurrectio, quam expectamus: neque omittitur judicium futurum, & conſequenter etiam inſinuatur pœna æterna malis præparata, quia timor etiam neceſſarius eſt, ne ſpes in præſumptionem abeat. Igitur Symbolum ſufficienter complectitur materiam fidei, eaque omnia, quæ oportet explicite credere. Unde Leo Papa Epiſt. 13. ad Pulcheriam dicit, ſufficere hanc regulam ad inſtructionem fidelium: nam totum id continet, quod neminem in Eccleſia Deus voluit ignorare.

Porro

Porro non unum eſt Symbolum fidei, ſed multiplex; ſeu verius, ejusdem fidei multiplex expoſitio. Primum ex Apoſtolica traditione manavit, & Symbolum Apoſtolorum dicitur. Secundum Nicænum. Tertium Conſtantinopolitanum, quod plerumque cum priore confunditur, quia illud integre continet cum nova aliqua additione. Quartum eſt S. Athanaſii. Inveniuntur præterea in omnibus fere Conciliis variæ fidei propoſitiones, quæ ſummatim continent materiam fidei, omnes tamen ad prædicta quatuor Symbola referuntur. Sed nunc pauca de ſingulis in particulari.

DE SYMBOLO APOSTOLORUM.

II. Symbolum, vulgo Apoſtolorum nuncupatum, eſt illud, quod ab omnibus etiam de plebe hominibus ediſci & recitari ſolet, ubi primum Chriſtianiſmi elementis imbuuntur. Ab Apoſtolis revera conditum ac digeſtum eſſe, negat Laurentius Valla, Brentius, Calvinus, Baſnagius, & impugnatur præſertim a Gerardo Voſſio Diſſert. I. *de tribus Symbolis*. Quibus accedit Dupinius in nova Biblioth. Tom. 1. p. 14. & alii quidam pauci, qui ſe cæteroquin Catholicos profitentur, exiſtimantes, eatenus duntaxat illud Symbolum dici Apoſtolorum, quatenus eorum doctrinam continet; quemadmodum circumferuntur Canones, qui dicuntur Apoſtolici, quos conſtat ab Apoſtolis non fuiſſe conditos.

Sed erroris convincuntur Authores iſti ex continua Eccleſiæ traditione; quæ ſemper hoc Symbolum Apoſtolorum nominavit, & ut ab Apoſtolis conditum, ſibique conſignatum habuit. Nam juxta regulam S. Auguſtini L. 4. de Bapt. contra Donatiſtas c. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica authoritate traditum rectiſſime creditur.* Atqui Symbolum Apoſtolicum

ſtolicum univerſa recipit ac tenet Eccleſia, ſemper retinuit, neque Conciliis inſtitutum eſt: ergo ſolos habet auctores Apoſtolos. Recipi Symbolum ab univerſa Eccleſia fatentur Adverſarii. Semper retentum negant, affirmantque, poſterius fabricatum eſſe adverſus erumpentes hæreſes. At manifeſtæ falſitatis revincuntur: liquet enim, in pretio habitum ante Synodum Nicænam, & Conſtantinopolitanam; cum Ruffinus, qui Roma cum Melania profectus eſt Alexandriam anno. 372. Symbolum Apoſtolicum tanquam vetuſtiſſimum laudet, quemadmodum & Hieronymus, Auguſtinus, Tertullianus, Irenæus, Ambroſius & alii. Atqui Nicæna & Conſtantinopolitana Synodus primæ fuerunt poſt tempora Apoſtolorum. A nulla ergo Oecumenica Synodo Symbolum Apoſtolicum editum eſt. Quodvero ab Apoſtolorum tempore ſemper retentum fuerit in Eccleſia, ſimiliter conſtat ex eorundem Patrum teſtimoniis. Irenæus partem hujus Symboli repetens Lib. 1 contra Hæreſ. c. 2. ait, *Eccleſiam per omnem terrarum orbem diſperſam ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis illud accepiſſe.* Tertullianus lib. de Præſcript. c. 37. *Supereſt igitur*, inquit, *ut demonſtremus, an hæc noſtra doctrina, cujus regulam ſupra edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſeatur.* Et adverſus Praxeam c. 2. recitato Symbolo Apoſtolico dicit, *Hanc regulam ab initio Evangelii decucurriſſe.* Quibus autem Auctoribus, niſi Apoſtolis, qui eam a Chriſto acceperunt? S. Ambroſius Epiſtol. ad Siricium Summum Pontificem ſic ſcribit; *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana ſemper intemeratum cuſtodit, & ſervat.* Hieronymus Epiſt 38. ad Pammachium, *Symbolum fidei & ſpei noſtræ ab Apoſtolis traditum &c.* Idem habet S. Leo Magnus in Epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam, Innocentius Lib 11. Myſteriorum Miſſæ c. 49. Iſidorus lib 11. de Eccleſ. Offic. c. 22. aliique, quorum teſtimonia collegit Natalis Alexander Diſſert. XII. Sæc. I. ubi pluribus demonſtrat, communem eam fuiſſe traditionem omnium PP. Orthodoxorum;

rum; ut provide oppoſita ſententia magnæ temeritatis merito arguatur. *Præfracta eſt temeritas*, inquit Genebrardus in 3. de Trinit. *vertere in quæſtionem, num Apoſtoli vere ſint auctores Symboli, quod circumfertur ipſorum nomine.*

III. *Opponunt* Adverſarii 1mo. Symbolum recte dici Apoſtolicum, quod contineat doctrinam Apoſtolorum, ex qua per manus ipſorum tradita collectum fuerit, etſi Apoſtolos auctores non habeat. Propterea Patres primorum ſæculorum contra hæreticos impugnantes doctrinam Symboli nunquam uſi ſunt auctoritate Apoſtolica, cum tamen validiſſimum inde fuiſſet argumentum; ſed ſolum conati ſunt demonſtrare, doctrinæ in Symbolo contentæ auctores eſſe Apoſtolos; manifeſto indicio, perſuaſum ipſis fuiſſe, quod Symbolum ab Apoſtolis non ſit editum. Ante Ruffinum certe 400. fere anni abiere, quin de Symbolo ab Apoſtolis edito quidquam auditum fuerit.

Reſp. Si Apoſtolos auctores non habet, ſed doctrinam duntaxat ab ipſis traditam continet, quæro: Quis eam collegit? Quis in hanc ſummam redegit? Nullus aſſignari poteſt Pontifex, nullum Concilium; ut ipſe non diffitetur Voſſius. Ergo, cum illud ſemper Eccleſia tenuerit, nec afferri poſſit poſt tempora Apoſtolorum ejusdem initium, ab ipſis ortum habuiſſe certo credendum eſt; atque adeo Apoſtolicum eſſe, quod proprie ad Apoſtolos ſpectet; ut Apoſtolica Eccleſia, Apoſtolica doctrina, Apoſtolica Sedes; Apoſtolicum denique eſſe origine & editione.

Unde perperam aſſeritur, Veteres Patres Apoſtolorum auctoritate uſos non eſſe adverſus impugnatores doctrinæ ſymbolo contentæ. Cur enim S. Irenæus loco ſupra cit. tanquam certum præmittit, fidem, quæ continetur in Symbolo, derivatam ab Apoſtolis, niſi ut hæreticorum doctrinam, quam poſtea impugnat, demonſtret Symbolo Apoſtolico adverſari? Simili-

militer Tertullianus c. 13. de Præſcript. ejusdem Symboli definitiones adſert, ad reſellendas quæſtiones, *quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt.* Cæterum, cum Veteres illi hæretici, non ſecus ac Recentiores in uſu habent, Apoſtolicas traditiones rejicerent, non erat tanquam medium adverſus illos aſſumendum, quod ipſi pervicaciter impugnabant, ſed aliunde revinci debebant. Objectum itaque Adverſariorum argumentum nihil plus probat, quam quod hæretici iam tunc negaverint, Symbolum ab Apoſtolis editum eſſe.

Falſum etiam eſt, ante Ruffinum 400. fere annis de Symbolo ab Apoſtolis condito nihil auditum fuiſſe. Nam id Tertullianus, & Irenæus ante Ruffinum docuere. Ruffinus autem non tribuit Apoſtolis Symbolum ex propria ſententia, ſed ex traditione Majorum, narrationemque ſuam in Expoſ. Symb. his verbis orditur: *Tradunt Majores noſtri.* In eundem ſenſum loquitur S. Leo M. Iſidorus, & alii ſupra laudati: ideoque hæc non eſt opinio ab ipſis inventa, ſed narratio vera, & antiquitus divulgata; manetque inconcuſſum ex Traditione argumentum.

IV. *Opponunt. 2do.* Si Symboli hujus auctores eſſent Apoſtoli, haberi deberet pro Scriptura Canonica. Nam ſi epiſtola ab uno Apoſtolo conſcripta canonica eſt, cur non Symbolum ab omnibus confectum?

Reſp. Neg. ſequelam. Quamvis enim nobis certum ſit, Symbolum iſtud ab Apoſtolis confectum eſſe, non tamen eſt de fide, nec ab Eccleſia expreſſe definitum. Deinde, licet illud Apoſtoli tradiderint, Spiritu Sancto regente & gubernante quoad veritatem ſententiarum, non tamen dictante ſingula verba, quod ad Scripturam Canonicam neceſſarium eſt. Denique Symbolum Apoſtoli non tradiderunt ſcripto, ſed viva voce; nec in charta ſcribi mandarunt, ſed penes Eccleſiam depoſitum, ut velut de manu in manum tranſiret, reliquerunt.

runt. *In Symbolo fidei, & ſpei noſtræ*, inquit S. Hieronymus Epiſt. 38. *quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus &c.* Igitur haberi non poterat pro Scriptura Sacra, utpote quæ ideo talis dicitur, quia ſcripto tradita eſt, vel juſſa eſt tradi. Quin potius hinc ſumitur argumentum contra hæreticos, qui ſolis Scripturis canonicis credunt; nam inde habemus, traditionem Apoſtolicam ſufficere.

V. *Opponunt. 3tio.* Si hoc Symbolum fuiſſet ab Apoſtolis concinnatum, ut per illud fideles ab infidelibus ſecernerentur; eſſet perfecta fidei teſſera, nec poſterioribus temporibus tot nova Symbola prodiiſſent: cum tamen conſtet diverſas Eccleſias diverſa ſibi cudiſſe Symbola. Deinde ſi Apoſtolicum eſt, cur in Miſſa non iſtud, ſed Conſtantinopolitanum canitur? Denique ipſi, qui Apoſtolos Symboli authores faciunt, non conveniunt de modo, ac tempore, quo conditum illud eſt; ut proinde vel ideo in dubium revocari merito poſſit, an re ipſa ab Apoſtolis proditum ſit.

Reſp. Symbolum Apoſtolorum eſt perfecta fidei teſſera, adeo, *ut omnes hæreticorum opiniones ſolo poſſint hoc gladio detruncari*, verba ſunt Leonis Magni in Epiſt. ad Pulcheriam. Quamvis ergo additæ eidem poſtea fuerint a diverſis Eccleſiis voces aliquæ; factum id eſt, non ob fidei defectum, ſed vel explicationis cauſa, vel ob exortas hæreſes. Eædem tamen fidei ſubſtantiam non immutant; & in Eccleſia Romana Symbolum ſemper ſervatum eſt intemeratum, ut ſcribit in Expoſit. Ruffinus & ad Siricium Ambroſius.

Inde colliges, quid ad id, quod ſecundo loco objectum eſt, reſponderi debeat; ſcilicet, Conſtantinopolitanum non eſſe aliud Symbolum ab Apoſtolico, ſed hujus explicationem adverſus exortas poſterius hæreſes; merito proinde canitur in Miſſa. Quanquam Romana Eccleſia Apoſtolicum frequentius re-

citet, ter ſaltem quotidie in Divinis Officiis, & in privatis precibus quam ſæpiſſime: adhibetur præterea in collatione Baptiſmi, ad quam rem dicitur inſtitutum. Neque penitus omittitur Athanaſianum, ſed certis diebus, Dominicis nempe, & in Feſto SS. Trinitatis in Divino Officio recitatur. Atque ita omnia tria Symbola uſu ſuo Eccleſia Catholica reveretur ac probat. Demum, ſi incertum eſt tempus, ac modus, quo Apoſtoli condidere Symbolum, quoniam in hoc non conveniunt Authores; certiſſimum tamen erit, editum ab Apoſtolis, quia hac in re habetur magnus Authorum pene omnium conſenſus.

Cæterum S. Leo Magnus Epiſt. ad Pulcheriam ſentire videtur, unumquemque Apoſtolum ſuum articulum contuliſſe. Ait enim: *Ipſa Catholici Symboli brevis, & perfecta confeſſio, duodecim Apoſtolorum eſt inſignita ſententiis.* Quin Auctor Serm. 115. de Tempore, modo 241. in Appendice Tom. 1. Oper. S. Auguſt. aſſignat ſingulis Apoſtolis ſuum articulum, S. Petro primum, & ſic deinceps. Sed quia Auctor iſte nullius antiquioris authoritate munitur, neque ſufficiens id aſſerendi fundamentum ſuppetit; hinc a Scriptoribus aliis verius cenſetur, Apoſtolos omnes in unum convenientes, habita multa collatione, communi conſenſu Symbolum in eum ordinem, quo nunc habetur, redegiſſe; ea ferme ratione, qua Decreta, & Canones in Epiſcoporum Conciliis diſponi, ac redigi ſolent. Ita Iſidorus Lib 2. de Eccleſiaſt. Offic. c. 22. Hincmarus Remenſis Epiſt. ad Presbyt. Remens. Paroch. Tom. 1. Concil. Harduin. Column. 416. Idem ſentit Ratbertus Paſchaſius, qui medio Sæculo nono vixit, in Præfat. Libri de Spiritu S. Ruffinus in ſæpe laudata Expos. Symb. his verbis: *Omnes ergo in uno poſiti, & Spiritu S. repleti, breve iſtud futuræ ſibi, ut diximus, prædicationis indicium, conferendo in unum, quod ſentiebat unusquisque, componunt; atque hanc credentibus dan-*

dam

Digitized by Google

dam eſſe regulam ſtatuunt . . . . Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus, in unum conferendo, quod unusquisque ſenſit.

De tempore pariter, quo Apoſtoli Symbolum edidere, diſceptant Scriptores. Communiter cum Baronio cenſetur, Symbolum fuiſſe ab Apoſtolis editum, priusquam in gentes dividerentur; nimirum anno XLIV. Claudii ſecundo, occaſione nata, quod abituri eſſent ad vitandam perſecutionem. Nonnulli tamen cum Ruffino, & Iſidoro Hiſpalenſi conditum arbitrantur ſtatim poſt adventum Spiritus S. *Tradunt Majores noſtri*, inquit Ruffinus citatus, *quod poſt Aſcenſionem Domini, cum per adventum Spiritus S. ſuper ſingulos quosque Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent . . . . ab invicem normam prius futuræ prædicationis in commune conſtituunt.* Certa igitur prædicationis norma & fidei exponendæ uniformitas finis fuit, quem Apoſtoli in edendo Symbolo præ oculis habuere. Quanquam enim nonnulli alias cauſas aſſignent, præſertim, ut in ſingulis Eccleſiis certa baptizandi formula exponeretur, id tamen priori non repugnat: quin potius utraque cauſa, id eſt norma prædicationis, & baptizandorum catecheſis, atque Eccleſiarum inſtitutio ad eundem ſcopum collimant.

De Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano.

VI. Primis tribus Eccleſiæ ſæculis ubique gentium ſolum Apoſtolorum Symbolum in uſu fuit. Cum vero ſæculo quarto Eccleſiam invaderet Arii impietas, blasphemantis, Dei Verbum non eſſe Deum, ſed creaturam, factam quidem ante omnes alias, ſed tamen, ut alias, ex nihilo eductam; Patres tercenti decem & octo Nicææ in Bithynia congregati circa annum 325. aliud Symbolum condendum exiſtimarunt, in quo videlicet expreſſius, quam in Apoſtolico, Verbi divinitas declararetur. Symbolum hoc Nicænum dictum eſt, at-

Digitized by Google

que hiſce verbis conſtat. *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, omnium viſibilium, nec non & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum IESUM Chriſtum, Filium Dei, natum ex Patre, unigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: natum, non creatum:* homouſion, *hoc eſt, ejusdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, cæleſtia, & terrena.*

Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus; paſſus eſt, & reſurrexit tertia die: aſcendit in Cælum, venturus inde judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt: erat tempus, quando non erat, & priusquam naſceretur, non erat; & quia nullis exiſtentibus factus eſt; aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia dicunt eſſe trepton, *hoc eſt convertibilem, aut mutabilem filium Dei: hos anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.*

Symbolum iſtud ab Hoſio Cordubenſi Epiſcopo, & S. Sylveſtri Romani Pontificis Legato conceptum, ac Synodi Patribus exhibitum, a tota Synodo receptum, & approbatum fuiſſe, ex ipſius Concilii Actis liquet. Tantæ autem apud Orientales fuit authoritatis, ut Græcorum Eccleſiæ omnes in uſum quotidianum illud aſſumpſerint; atque etiam ubi Symbolum Conſtantinopolitanum ſuffectum fuit, Nicæni tamen Symboli nomine inſcriberetur: unde omnes Conſtantinopolitano Concilio poſteriores Synodi, Nicænum Symbolum nominant, quoties Conſtantinopolitanum intelligunt. Quapropter Baſilius Seleucienſis Epiſcopus Epiſt. Synodica Concilii Seleuciæ habiti ad Leonem Auguſtum hæc ſcribit: *Patres, qui ſanctum Concilium Chalcedonenſe celebrarunt, Symbolum Patrum Nicænorum pro lapide ſumentes, ubique hoc ſolum circumferri, & prædicari ad illuminationem Fidelium ſanciverunt.*

Quod

Quod tamen non ita accipi debet, quaſi vero Orientales Eccleſiæ ſolum Nicænum Symbolum in uſu habuerint, Apoſtolorum Symbolo prorſus neglecto, aut omiſſo. Neque enim credibile videtur, Eccleſiam Orientalem aliquando omiſiſſe, Cathecumenis tradere articulos de Sancta Eccleſia, Sanctorum Communione, Remiſſione peccatorum, carnis reſurrectione, & vita æterna, quæ in Nicæno Symbolo omittuntur. Sed dicti articuli, qui in Symbolo Apoſtolorum continentur, inſerti poſtea fuerunt Nicæno, donec Conſtantinopolitanum ea omnia comprehendens prodiit.

Occidentales autem Eccleſiæ Apoſtolorum Symbolum purum & absque omni additione in vulgari & communi uſu conſtanter retinuere; ſolam ſi excipias Hiſpaniarum Eccleſiam, quæ, cum a Gothis, Wandalis, aliisque Arianis invaderetur, Apoſtolorum Symbolo Conſtantinopolitanum, retento tamen Nicæni nomine, ſubſtituit anno 589. in Concilio Toletano Can. 2. ubi præcipitur, *ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, & Galliciæ, ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt, centum quinquaginta Epiſcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur &c.* Nempe in Oriente Iuſtinus II. anno 563. edixerat, teſte Ioanne Biclarienſi, ut *Symbolum Conſtantinopolitanum in omni catholica Eccleſia a populo concineretur priusquam Dominica dicatur oratio.* Et ante ipſum Timotheus Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 510. eandem conſuetudinem in Eccleſiam ſuam induxerat, ut perhibet Theodorus lector. lib. 2. *Collect.* De quo Cardinalis Bona *de rebus liturgicis* lib. 2. c. 8. num. 2. Quanquam merito dubitari poteſt, an in citato Concilii Toletani Canone omnibus indiſcriminatim præcipiatur uſus Symboli Conſtantinopolitani; an non ſolum demandetur publica illius recitatio in Miſſa, ut etiam nunc moris eſt, retento privatim uſu Symboli Apoſtolici.

VII.

Digitized by Google

VII. Exorta ſubinde poſt Concilium Nicænum Eunomianorum, & Macedonianorum hæreſi, Spiritui Sancto Divinitatem abrogante, & blaſphemante, ipſum eſſe a Filio creatum, diverſæque a Filio ſubſtantiæ, & inferiorem dignitate; aliud condendum erat Symbolum, in quo Divinitas quoque Spiritus Sancti exprimeretur. Quamvis enim in Symbolo Nicæno addita quidem fuerit clara expreſſio Divinitatis Verbi Dei, & conſubſtantialitatis ejus cum Patre, veraque fides adverſus Arianos expoſita; nihil tamen de divinitate Spiritus Sancti dictum fuerat: propterea quod, ut ait Baſilius Epiſt. 78. *Nondum tunc eſſet hæc mota quæſtio, ſed ſine inſidiis inſita eſſet credentium animis de illo ſententia.* Itaque circa annum 381. in Concilio a centum quinquaginta Epiſcopis Conſtantinopoli celebrato, novum confectum eſt fidei Symbolum, ſeu potius Nicæno Symbolo, præter articulos quoſdam ex Symbolo Apoſtolorum, ut ſupra meminimus, jam prius eidem inſertos, addita ſunt hæc: *Spiritus Sanctus ex Patre procedens; & cum Patre, & Filio adorandus, & conglorificandus.* Dicitur, *ex Patre procedens:* cum enim tunc temporis non negabatur Spiritum Sanctum procedere a Filio, nihil de hac re exprimendum Patres putaverunt. Sed poſtea, cum exortus fuiſſet error de Spiritus S. e Filio proceſſione, ne Conſtantinopolitanum Symbolum errandi occaſionem imperitis præberet, eidem expreſſe addita fuit vox *Filioque:* quamvis de tempore, quo hæc additio facta fuerit, multum inter ſe diſceptent Scriptores. Quidam arbitrantur, eam ſeptimo Sæculo, circa tempora Concilii ſexti Oecumenici in ingenti quadam Occidentalis Eccleſiæ Synodo ſancitam. Alii additionem hanc Septimæ Oecumenicæ Synodo attribuunt. Nonnulli eam Nicolao I. Pontifici adſcribunt. Plurimi ſtatuunt hanc additionem paulatim, & ſucceſſu temporis obtinuiſſe, adeo, ut primum in Concilio Toletano III. anno 589. ab Hiſpanis facta, ab his ad Gallos & Germanos manarit, tum ab

ipſa

Digitized by Google

ipſa ſede Apoſtolica admiſſa; ac tandem ſub Gregorio X. anno 1274. in Concilio Lugdunenſi eadem hæc additio utriusque Eccleſiæ conſenſu probata fuerit. Sed Controverſiam hanc dirimere non eſt hujus loci.

. Porro hoc Symbolum, paucis variatis verbis, illud ipſum eſt, quod Eccleſia Romana publice in Miſſarum Solemniis recitat & canit, ſervato privato Fidelium uſui & incipientium inſtructioni Symbolo Apoſtolorum. Cur autem Patrum potius, quam Apoſtolorum Symbolum Eccleſia publice uſurpet, hanc S. Thomas rationem adfert q. 1. a. 9. ad 6. *Quia Symbolum Patrum eſt declarativum Symboli Apoſtolorum, & etiam fuit conditum fide jam manifeſtata, & Eccleſia pacem habente, propter hoc publice in Miſſa cantatur. Symbolum autem Apoſtolorum, quod tempore perſecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur &c.*

De Symbolo S. Athanaſii.

VIII. Symbolum S. Athanaſii nomine inſcriptum, eſt illud, quod recitatur in Officio diei Dominicæ, & in Feſto SS. Trinitatis ad Primam, quodve hiſce verbis incipit: *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem.* Re ipſa nil aliud continet, quam majorem explicationem Symboli Nicæni, & Conſtantinopolitani. Duas ipſius legimus Græcas editiones: unam quidem Latinæ (quam originalem & prototypam omnes agnoſcunt) plane conformem circa proceſſionem Spiritus Sancti a Patre Filioque; alteram quæ Filii vocem inde, græco errore, obliterat, aliaque paſſim interpolat.

Sed gravis eſt de hoc Symbolo inter Eruditos nunc controverſia: Utrum revera authorem habeat Athanaſium, Alexandrinum Epiſcopum, qui quarto Sæculo tanta conſtantia adverſus Arianos Verbi conſubſtantialitatem Nicæno primo Con-

Digitized by Google

cilio aſſertam defendit? Recentioribus Criticis contra vulgarem, quæ prius invaluerat, opinionem exiſtimantibus, eximiam illam fidei profeſſionem re ipſa non eſſe Athanaſii opus. Et ſane rationum momenta, quibus ii nituntur, ejuſmodi mihi viſa ſunt, ut fateri cogar, in eorum me ſententiam propendere; quo tamen non obſtante Symbolum iſtud Athanaſianum jure meritoque dici exiſtimo; quod nempe doctrinam contineat, quam S. hic Doctor mira eruditione, pluribusque laboribus & periculis aſſeruit adverſus Arianos; quodque ex aureis illius diſputationibus mutuatum ſit, collectis contra ſubortas hæreſes, quæ ſparſæ erant, ſententiis. Re ipſa autem Athanaſium Symboli authorem non eſſe, hæc potiſſimum ſuadent.

IX. *Primo.* Si Athanaſii foret Symbolum illud, ipſe aliquando in aliquo Operum ſuorum, aut ſaltem alter aliquis quarti aut proxime ſequentis Sæculi Scriptor illius meminiſſet. Sed nec Athanaſius ipſe, nec ullus uſpiam Scriptor coævus meminit. In nullo certe ex omnibus Athanaſii Codicibus reperitur, teſte Sculteto *in Medulla Patrum* part. II. c. II. ubi de Athanaſio loquens, *in nullo*, inquit, *codice extat*, *quos ego quidem vidi inter Athanaſii opera.* Neque coævorum Scriptorum ullus mentionem illius facit: non Gregorius Nazianzenus, licet poſt Athanaſii mortem orationem de illius laudibus habuerit; non Baſilius, non Chryſoſtomus, non Auguſtinus, non Theodoretus in Eccleſiæ hiſtoria. Quid quod S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum, ubi alia S. Athanaſii Opera recenſet, de hoc Symbolo altum ſileat? Primus, qui id Athanaſio tribuat, eſt Abbo Floriacenſis Abbas in Apologetico ad Reges Francorum, Hugonem, & Robertum. Sed is vixit anno milleſimo, & deinceps; proinde parum idoneus teſtis eſt pro tam veſtuto Scriptore.

Secundo. Symbolum, de quo hic agitur, aperte profitetur divinitatem Spiritus Sancti: & tamen nullus Latinorum poſt

exor-

Digitized by Google

exortum ſchiſma Photii, authoritate Symboli Athanaſiani adverſus Græcos circa controverſiam de Divinitate, & proceſſione Spiritus Sancti pugnavit; cum tamen annis prope quingentis, de ea diſceptatum ſit. Primi qui hoc Symbolum, velut ab Athanaſio editum, contra ſchiſmaticos produxerunt, fuere Legati Gregorii IX. Conſtantinopolim miſſi anno 1233. ad Græcos Latinis conciliandos.

Tertio. Symboli hujus verbis illis: *Unus omnino, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ. Nam ſicut anima rationalis, & caro, unus eſt homo: ita Deus, & homo, unus eſt Chriſtus*; his, inquam, verbis refutatur apertiſſime hæreſis Neſtorii, & Eutychetis, quæ in Chriſto divinitatem cum humanitate confundebat, emerſitque ſub Leonis Magni Pontificatu, & damnata primum fuit a Flaviano Conſtantinopolis Epiſcopo, deinde a Leone Papa in Oecumenica Synodo Chalcedonenſi. Cum igitur neque Leo Pontifex, neque dicta Synodus ad refellendas hæreſes illas Athanaſianæ fidei profeſſionis ullam mentionem faciat, palmare eſt argumentum, poſt exortas Eutychianam, & Neſtorianam hæreſim, quas Athanaſius multis annis præceſſit, profeſſionem illam fuiſſe exaratam. Quis enim credat, Eccleſiam Romanam, quæ in ſuo, quem in proprium uſum confecerat, Codice, quaſcunque agnoſceret fidei profeſſiones, ſollicite compilaverat, hanc Athanaſianam neglexiſſe, aut ignoraſſe? Quis ſibi perſuadeat, doctiſſimum & ſapientiſſimum Pontificem Leonem Magnum, dum ſolicite conquiſita Veterum Eccleſiæ Patrum ad refellendam Eutychianam hæreſim accurate congerit teſtimonia, illud unum, quod præcipuum, majoriſque præ cæteris debuiſſet eſſe authoritatis, Athanaſii Symbolum prætermiſiſſe, ſi tunc temporis Eccleſiæ innotuiſſet; præſertim cum alia Athanaſii loca, minoris quam fidei Symbolum authoritatis, minuſque evidentia, adverſus Hæreticos in ſuis admonitoriis ad œcumenicam Synodum libris adduxerit. Quod idem dici poteſt, de Cœleſtino Ro-

mæ Præſule, nec non de Cyrillo Athanaſii in Alexandrina Cathedra Succeſſore, & Cœleſtini in Epheſina Synodo Legato, qui in Conventu Patrum, quorum teſtificationibus oppugnanda erat Neſtorii hæreſis, hanc ſolam, eamque primariam fidei profeſſionem nullatenus omiſiſſent, ſi eam perſpectam habuiſſent. Hæc enim vero unitatem perſonæ in Chriſto ut fidei veritatem aperte profitetur, cum tamen Neſtorius duas Perſonas divinam, humanamque in Chriſto diſtinctas aſſeveraret.

Quarto. In prætenſo hoc Athanaſii Symbolo deſideratur vox *conſubſtantialis*, cujus præcipuus & perpetuus aſſertor fuit S. hic Doctor, quave veluti teſſera diſcernebantur a Catholicis Ariani, quam proinde nullatenus omiſiſſet, ſuo tempore usque adeo neceſſariam in Symbolo Fidei a ſe edito. Quid quod Athanaſius ipſe Epiſt. ad Antioch. profiteatur, ſe prorſus alienum fuiſſe a condenda nova fidei formula, cum Nicæna ſufficeret, in qua conſubſtantialitas definitur: hanc ille ſolam Arianis permittit; cum tamen illi in omnes ſe formas verterent, multasque in dies fidei formulas procuderent, ut Nicænam in odium conſubſtantialitatis abolerent, ut Athanaſius ipſe iis identidem exprobrat.

Quinto. Dici non poteſt, qua occaſione, quo tempore, aut qua de cauſa Athanaſius Symbolum illud conſcripſiſſet. Quod enim dicunt nonnulli, hoc ſymbolum a S. Athanaſio editum eſſe Romæ, & Iulio Pontifici Maximo oblatum, ut purgaret ſeſe, & Romanæ Eccleſiæ communione frueretur; cum multorum criminum ab Orientalibus accuſatus fuiſſet, & ejus cauſa ad Pontificem delata. Hoc, inquam, vel inde facile refellitur, quod Athanaſius de doctrina non fuerit apud Iulium Papam accuſatus (Orientalibus Euſebianis Athanaſii hoſtibus, Nicænæ Fidei ſe aſſentiri ſimulantibus) Sed aliorum criminum inſimulatus fuerit: quod nempe illius in Urbem Alexandrinam reditus multarum cædium cauſa fuiſſet: quod a Synodo

do damnatus, nec reſtitutus per aliam Synodum, Sedem contra Canones recepiſſet: quod Ægypti ac Libyæ viduis triticum eripuiſſet, Conſtantini munificentia præberi ſolitum. Hæc erant accuſationum capita, non hæreſis ſuſpicio. Ut quid ergo fidei profeſſionem ab Athanaſio exegiſſet Iulius Pontifex? præſertim cum ei, Catholicisque omnibus nota eſſet Fidei & doctrinæ Athanaſianæ integritas; cum non ſolum perſpectum haberet pro Nicæni Concilii defenſione Sancti Doctoris ſtudium, ſed exploratum plane, ipſum in odium fidei calumniis impetitum, & depoſitione ac exilio mulctatum fuiſſe. Præterea, ſi Romæ Athanaſius debuiſſet fidei ſuæ rationem Iulio reddere, non ob id neceſſe erat, novum Symbolum condere; ſed ſatis ſuiſſet, Nicænum proferre; cum alioquin unanimis eſſet Catholicorum conſenſus, non expedire, nova poſt Nicænum edere Symbola; quod & Sardicenſis Synodus decreverat.

Neque felicius alii conjiciunt, Athanaſio cauſam condendi Symboli fuiſſe, cum ab Imperatore Ioviniano, occaſione plurium Novatorum, qui tunc graſſabantur, de fide quæſitus fuiſſet. Hæc namque conjectura unica hac obſervatione evertitur, ſcilicet: Athanaſium non aliud quam Nicænum Symbolum ad Iovinianum miſiſſe; cumque id ſatis non eſſet Ioviniano, Epiſtolam ad eum dediſſe, ſuo, & illuſtriorum Thebaidos ac Libyæ Epiſcoporum nomine ſubſcriptam, quæ & Nicænum Symbolum complectebatur, & quædam alia, ad refutandam Pneumatomachorum recentem hæreſim, aliorumque ab Arianis hæreticorum, qui tunc erant non pauci, errores dignoſcendos.

X. His tamen omnibus non obſtantibus, dantur etiamnum complures, qui illud Symbolum a. S. Athanaſio ſcriptum atque editum eſſe prætendunt, his fere adducti rationibus.

Prima eſt, quod Symbolum iſtud S. Athanaſio tribuat Auguſtodunenſis in Gallia Synodus Sæculo VII. anno Dni 670.

habita, cujus hic Canon legitur: *Si quis Presbyter, Diaconus Subdiaconus, vel Clericus Symbolum, quod S. inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* Imo & jam ab anno 633. in Concilio Toletano IV. Cap. I. multa recitantur, quæ ex illo Symbolo deprompta eſſe videntur. Ejusdem meminit Hincmarus Archi-Epiſcopus Rhemenſis, qui anno Chr. 848. floruit, ita de eo ſtatuens: *Sermonem Athanaſii de Fide, cujus initium eſt:* Quicunque vult ſalvus eſſe, *memoriæ quisque commendet, & ſenſum illius intelligat.* Et Ahiton Baſilæenſis Epiſcopus tempore Ludovici Pii in ſuo Capitulari Cap. 4. ſic decernit: *Quarto, ut fides* S. *Athanaſii a ſacerdotibus diſcatur, & ex corde die Dominico ad horam primam recitetur.* Item Abbo, Radulphus, Aimonius, Betramnus, & plurimi Scriptores alii, qui Sæculo decimo & undecimo floruerunt, hoc Symbolum tanquam Athanaſii laudant. Quibus adde ipſos Eccleſiæ Romanæ hoſtes, Valentinum Gentilem, & Socinianos complures, qui ignominiæ cauſa audacter appellant Symbolum *Satanaſii*; Græcos ipſos Refractarios, quamvis per ſummam impudentiam Athanaſium tunc ebrium fuiſſe effutiant, cum Symbolum illud edidit, quos Gennadius eam ob cauſam exagitat. Communis itaque Scriptorum ſenſus, tot, tantorumque Virorum judicium quaſi exploratam manifeſtat traditionem, qua Athanaſio Symbolum adjudicatur.

Huic tamen argumento reſponderi poteſt, adductas authoritates tantas adhuc non eſſe, ut id quod hic intenditur, evincant. Nam inprimis Concilium Auguſtodunenſe & Toletanum quod attinet, in poſtremo hoc nequaquam dicitur, ea, quæ in Confeſſione fidei ibidem recitantur, ex Athanaſii Symbolo deſumpta eſſe: neque certo conſtat, an Canon ille Concilii Auguſtodunenſis, in quo ſermo eſt de formula fidei Athanaſii, ſit adeo vetuſtus ac prætenditur, cum non fuerit inventus inter Canones Concilii Auguſtodunenſis ſub Legerio, ſed in Collectione,

tione Canonum, deprompta ex Bibliotheca S. Benigni Divionenſis. Sed quidquid ea de re ſit, illud certum videtur, ad ſextum uſque Sæculum Symbolum illud ignotum fuiſſe, neque Authorem ullum Athanaſio coævum aut ſupparem, ut ſupra diximus, ejus meminiſſe; & quod amplius eſt, in antiquis & probatæ fidei Codicibus MSS. pene omnibus Operum S. Athanaſii hoc Symbolum deſiderari. Qui enim in contrariæ opinionis favorem producuntur Codices, ii aut nomen Athanaſii non præferunt, aut non videntur ab antiqua manu conſcripti, aut certe cum iis nequaquam comparandi, in quibus Symbolum non reperitur, ſive numerum, ſive antiquitatem; ſive eorum autenticitatem ſpectemus. His adde, quod Vigilius Tapſenſis in Africa Epiſcopus, quem Symboli authorem nonnulli faciunt, plura ſub nomine Athanaſii opera ſuppoſuerit. Hoc certe eidem Vigilio admodum familiare fuit, ut obſervat Natalis Alexander Hiſtoriæ Eccleſ. Sæcul. IV. Cap. 6. art. 8. ut quæ ſcriberet opuſcula ſæviente Wandalorum in Africa perſecutione, ea non ſuo, ſed antiquorum patrum nomine emitteret. Sic Dialogum adverſus Arianos, Sabellianos, & Photinianos ſub nomine Athanaſii coram Iudice Probo diſputantis compoſuit, ut ipſe in Præfatione hujus Dialogi profitetur. Quod ſi eandem ſortem habuit Symbolum, de quo hic agimus; mirum videri non debet, ſi poſteriorum Sæculorum Scriptores in eam opinionem inducti ſunt, ut illud pro genuino Athanaſii partu habuerint, præſertim cum doctrinam Athanaſii contineat, & ex illius diſputationibus adverſus Arianos mutuatum ſit. Cæterorum vero, qui adferri ſolent, Scriptorum authoritas nulla eſt; juniores enim ſunt ii omnes, & magna ex parte callidi Eccleſiæ hoſtes; recentiores Græci ut plurimum illiterati; quamvis etiam ex iis non deſint, qui id pugnaciter negant, ut Meletius Alexandrinus apud Voſſium, & alii.

XI. Sed profertur hic ab adverſæ partis Defenſoribus ipſius Gregorii Nazianzeni, Auguſtini, atque Hilarii Authori-

tas.

tas. Nazianzenus enim in Oratione de laudibus Athanaſii, loquens de Symbolo, quod miſit Ioviniano unacum Epiſtola, nomine ſuo & Epiſcoporum Ægypti, Thebaidos, ac Libyarum ſcripta, aſſerit, S. Athanaſium veritatem palam apertisque verbis, circa Spiritus S. Divinitatem, primum & ſolum, aut cum admodum paucis promulgaſſe, & ſcripto confeſſum eſſe, & hanc Confeſſionem Joviniano Imperatori, donum vere regium & magnificum obtuliſſe.

Quæ verba nequaquam intelligi debere contendunt de Symbolo Nicæno, ſed de alio expreſſius damnante hæreſim poſtea dictam Macedonianam, & Spiritus S. Divinitatem apertiſſime profitente. Neque exponi poſſe de Epiſtola Athanaſii, cum Nazianzenus appellet Confeſſionem, non Epiſtolam; & hæc non erat forte dicenda δῶρον βασιλικὸν ὄντως, καὶ μεγαλοπρεπὲς, *donum vere regium, & magnificum.* Igitur de Symbolo dicto Athanaſiano intelligendus eſt Nazianzenus.

Auguſtinus vero, teſte Baronio ad annum 340. complures ſententias ex hoc Symbolo, licet tacito Athanaſii nomine, adhibet, ut L. 5. de Trinit. & variis aliis locis. Quin in pſalmum 120. expreſſe meminit Athanaſiani hujusce Symboli, ut refert Poſſevinus in Apparatu ſacro. Super illud namque, *Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem; De hoc Sole*, inquit, *Pater Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus ita pulchre locutus eſt: Filius Dei a Patre ſolo eſt non factus, nec creatus, ſed genitus.*

Denique etiam S. Hilarius *in fragmentis* hoc Symbolum tribuit Athanaſio. Unde conficitur, quinto aut quarto jam Sæculo Symbolum iſtud ſub Athanaſii nomine cognitum fuiſſe.

Verum ad hæc omnia reſpondemus ex mente eruditiſſimorum Virorum, qui nobiscum ſentiunt, inprimis, Gregorium Nazia-

Digitized by Google

Nazianzenum ad utrumque reſpexiſſe, & ad Symbolum Nicænum, & ad Epiſtolam Athanaſianam. Siquidem Athanaſium Ioviano miſiſſe Confeſſionem Nicænam, teſtantur Theodoretus Hiſt. Eccl. l. 4. c. 3. & Nicephorus l. x. c. 42. Negantes enim Verbum ὁμοούσιον ſolo Nicæno Symbolo refelluntur; & qui in Spiritum S. blaſphemi ſunt, laudata Epiſtola refutantur.

S. Auguſtinus ea verba, easque ſententias, quas lib. 5. de Trinit. aliisque quibusdam locis adhibere dicitur, mutuari poterat ex aliis a Symbolo S. Athanaſii operibus; ex quibus indubium eſt, quin etiam laudati Symboli author, quiscunque demum ille ſit, multa depromſerit. Quod vero teſtimonium Auguſtino tribuitur in pſal. 120. cui fidem adhibet Poſſevinus & alii, adſcititium, & falſo ſuppoſitum ab aliis eruditis communiter cenſetur. Propterea etiam locum illum Lovanienſes expunxerunt, quod non reperiatur in ullis antiquis Manuſcriptis, ut obſervat quoque doctiſſimus Sirmondus noſter. Fruſtra etiam gloriatur Franciſcus Macedo in Theol. Poſit. ſe loci illius diligenter quæſiviſſe authenticitatem, ac tandem reperiſſe, quod extet in vetuſta Auguſtiniana editione ante Baſileenſem, non quidem in Commentariis in Pſalmos, ſed in Epiſtolam 1. Ioannis, ubi S. Pater præfatum verſum pſalmi producit. Contra namque reponunt Eruditi, ut notat Laurentius Bertius Lib. VIII. Theol. Diſcipl. c. 8. n. 14. nullibi apud Auguſtinum legi verba illa; Codici vero, quem vidit Macedo, a ſciolo Amanuenſi fuiſſe conſuta, vel inſerta ex marginis adnotatione: quod ſatis liquere ajunt ex optimorum MSS. collatione, ex Parentheſi textum hunc intercipiente, ex Macedi ipſius hæſitatione, qui demum ait: *Videbatur additus veteri editioni.*

Nec verius eſt, quod de S. Hilario perhibetur. Ut enim obſervat Erudititiſſimus Natalis Alexander loco ſupracit. quamvis Pithœanus Codex moneat, in Codice quodam Dervernenſi,

poſt Symbolum Nicænum, & damnationem Arii in Concilio Ariminenſi a Catholicis exaratam, ſequi, *Fidem dictam a S. Athanaſio*, ſive Symbolum, quod ejus nomen præfert: propterea tamen certum non eſt, quod Symbolum iſtud S. Hilarius ipſe deſcripſerit, ſed veriſimilius videtur, fuiſſe Fragmentis Hilarianis additum: maxime cum recentiori manu ſcriptus eſſet Codex Pithœanus, ex quo Fragmenta illa edita ſunt; cujus rei teſtem appellat VirumClariſſimum Nicolaum Faber in Præfat.

XII. Denique illud quoque permagni momenti non eſt, quod per omnes Occidentis Eccleſias conſtans ſit Symboli hujus ſub Athanaſii nomine in Divinis Officiis uſus. Etenim Athanaſianum merito dici, jam ſupra monuimus; quod nempe, quamvis illius Author non ſit Athanaſius: Sancti tamen hujus Patris doctrinam contineat, & ex præclaris ipſius adverſus Arianos diſputationibus magna ex parte depromptum ſit.

Cujuſnam vero reipſa Authoris, aut cujus ævi ſit fœtus iſte, dubium adeo atque incertum relinquitur, ut nihil tuto affirmare liceat. Quidam Euſebio Vercellenſi illum tribuunt, alii Anaſtaſio Sinaitæ, alii Vincentio Lirinenſi, alii ab anonymo Theologo Gallo, Pipini, vel Caroli Magni temporibus, occaſione controverſiæ de proceſſione Spiritus S. de qua in Gallicis tum Synodis agitatum eſt. In quam Sententiam concedunt Pithœus lib. de Proceſſ. Spiritus S. & Voſſius Diſſert. de tribus Symbolis. Alii Vigilium Tapſenſem in Africa Epiſcopum, qui ſub finem quinti Sæculi floruit, cui familiare fuit, ut antea meminimus, ſæviente Wandalorum perſecutione opuſcula ſub antiquorum Patrum nomine conſcribere, nomine Athanaſii Symbolum quoque edidiſſe ſuſpicantur; quibus ſe ſe adjungit jam ſæpe citatus Natalis Alexander. Alii denique, quamvis authorem illius verum ſe ignorare fateantur, certum tamen putant, compoſitum eſſe poſt Concilium Chalcedonen-

cedonenſe & ab exortis Neſtorianis. Eutychianis & Monothelitis, quorum errores Symbolum illud adeo aperte rejicit.

Sed quisquis illius ſit auctor, unanimi Eccleſiæ conſenſu receptum eſt, ac in tanta ſemper veneratione habitum, ut ubique terrarum, referente Baronio ad ann. Chr. 340. variis idiomatibus verſum fuerit, & pro legitima Fidei profeſſione a fidelibus agnitum.

CAPUT IV.

An, & quomodo objectum fidei ſucceſſu temporis augmentum aliquod acceperit?

I. Cum per temporum ſucceſſionem Eccleſia nobis quædam propoſuerit fide divina credenda, quæ prioribus temporibus fidei articuli non erant; qualia ſunt, quod Spiritus S. a Filio procedat, quod animæ purgatæ viſuræ ſint Deum ante extremum judicii diem, & alia plura, præſertim de virtute ac efficacia Sacramentorum; propterea quæſtio non inutilis inter Theologos exorta eſt, an fidei objecta ſucceſſu temporis creverint? quod quidem duplici modo fieri poſſe intelligitur: 1mo. per novam revelationem, cum nempe Deus aliquid de novo revelat, quod ne quidem implicite antea revelatum fuerat. 2do. per declarationem duntaxat & propoſitionem revelationis jam factæ.

Quæſtio autem hic procedit de progreſſu temporis a Chriſto & Apoſtolis, a quibus fundata eſt Eccleſia, ad noſtra uſque tempora. Nam quod ab Adam uſque ad Chriſtum non eadem fuerit in fidelibus Iudæis fides, ſed quod augmentum ſumpſerit, non ſolum per majorem indies explicationem, verum per novas etiam revelationes, indubium mihi videtur. Quis enim neſcit, per totum illud tempus Deum multa ſucceſ-

Digitized by Google

ſive revelaſſe Adamo, Noe, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, & aliis veteribus Patriarchis; & poſterioribus temporibus longe plura Moyſi, Davidi, cæteriſque Prophetis, quæ procul dubio ad fidei materiam pertinebant.

Quod enim dicitur ad Hebr. c. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere DEO, quia accedentem ad DEUM oportet credere, quia eſt, & quia remunerator eſt:* quæ duo totam credendorum ſubſtantiam virtute continent. Quodve ab eodem Apoſtolo ſubditur, *juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus.* Et 2. ad Cor. 4. *habentes eundem Spiritum fidei.* Item Actor. 4. c. *Non eſt aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri:* in quæ Scripturæ loca ita ſcribit S. Auguſtinus Tract. 45. in Ioan. *Tempora variata ſunt, non fides.* Hæc inquam, & alia ejusmodi ſeu Scripturæ, ſeu Patrum teſtimonia nequaquam probant, fidem quoad ſubſtantiam credibilium ſemper, etiam a mundi exordio ita fuiſſe eandem, ut nullum incrementum acceperit. Ex iis namque duntaxat colligitur, aliquam fidem Chriſti Salvatoris ſaltem confuſam & implicitam ſub ratione cujusdam Mediatoris aliquando venturi ſemper fuiſſe neceſſariam etiam ab Adamo, & ante novæ legis promulgationem: item, eundem ſemper fuiſſe Spiritum fidei, nunquam variatam eſſe fidem &c. eo ſenſu, quod quæ a DEO ſemel revelata ſunt, ea ab omnibus fidelibus quocunque tempore eadem fidei unitate credita fuerint, & credi debeant. Sed inde non evincitur, nullam ab Adamo uſque ad Chriſtum novam revelationem factam fuiſſe, fideique articulos progreſſu temporis numero non creviſſe.

Major itaque difficultas eſt de temporibus Chriſti & Apoſtolorum, num omnia fidei objecta fuerint jam tunc revelata; an vero ab eo tempore creverit fides noſtra, Deo nova dogmata identidem Eccleſiæ ſuæ revelante. Pro quo ſit.

ASSER-

ASSERTIO UNICA.

A temporibus Chriſti, & Apoſtolorum non crevit fides noſtra per novas revelationes. Unde cum Eccleſia decernit, aliquid eſſe fide tenendum, quod antea de fide non erat, non accipit novam revelationem, neque novum fidei articulum procudit; ſed declarat duntaxat, eſſe fide divina tenendum id, quod, licet antea revelatum fuerit, quia tamen ut tale ſufficienter propoſitum non erat, ideo pro fidei articulo non habebatur.

II. P*Prob.* Chriſtus Dominus omnia, quæ ad fidem ſpectant, Apoſtolis immediate revelavit, ut ex pluribus Scripturæ locis fit manifeſtum. Sic Ioan. 15. v. 15. ipſe dixit: *Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et Cap. 16. v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Rurſus Cap. 14. v. 26. *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Quod ſi Chriſtus omnia fecit nota Apoſtolis ſuis, ſi iis omnem veritatem Spiritus S. ſuggeſſit & revelavit; dubium non eſt, quin Apoſtoli ſive ſcripto, ſive viva voce omnes iſtas fidei veritates, nulla excepta, Eccleſiæ tradiderint. Unde fidei noſtræ nihil quoad ſubſtantiam addendum reliquerunt, quod in eis, quæ audierant a Chriſto, vel a Spiritu S. revelante didicerant, non contineretur.

Propterea hæc perpetua fuit praxis Eccleſiæ, ut, ex quo a Chriſto Domino & Apoſtolis fundata eſt, nihil unquam in Conciliis definierit, niſi quod in Scripturis, vel in Traditionibus contentum deprehenderet, easdem Scripturas ſcrutando diligentius & veras Traditiones a falſis diſcernendo: unde manavit vulgatum illud axioma, Eccleſiam non condere novos fidei articulos. Apoſtoli ipſi congregati ad finiendam controverſiam circa legalia natam, non novam revelationem a DEO

expectabant, ſed ex Scripturis, & ex iis quæ contigerant, ex quo Evangelium promulgatum fuerat, judicium tulerunt: *Conveneruntque Apoſtoli & Seniores videre de Verbo hoc. Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus, dixit &c.* Actor. 15. Quibus verbis ſignificatur ſtudium & diligentia Apoſtolorum ad explicandum, quod jam revelatum fuerat. Et hunc morem conſtanter deinde obſervavit Eccleſia in Conciliis Generalibus, in quibus Patres, priusquam aliquid ſtatuerent circa motas controverſias, Scripturam & Traditiones ſemper conſuluerunt. Atque hoc quidem invicte oſtenditur ex Patribus Tridentinis, qui ſatis aperte ſignificant, non aliam ſibi datam poteſtatem circa res fidei, quam veterem Chriſti & Apoſtolorum doctrinam proponendi. Ita namque habent Seſſ. VI. in Prooemio: *Sacroſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus exponere intendit omnibus Chriſti fidelibus veram ſanamque doctrinam ipſius juſtificationis, quam Sol juſtitiæ Chriſtus IESUS fidei noſtræ Author & Conſummator docuit, Apoſtoli tradiderunt, & Catholica Eccleſia Spiritu S. ſuggerente perpetuo retinuit.* Eodem modo loquuntur Seſſ. 13. in Decreto de ſanctiſſ. Euch. Sacramento. Et Seſſ. IV. Decreto 1. dixerant, *omnem veritatem contineri in libris ſcriptis & Traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu S. dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt.*

Ex quibus conficitur, hoc unum eſſe Eccleſiæ miniſterium, antiquam Chriſti & Apoſtolorum fidem explicare, & veritatem aliquam implicite contentam in Sacris Litteris aut Traditionibus Fidelibus denuntiare ut revelatam, & explicite credendam fide divina. Neque enim aliquid de Fide divina eſt ex eo præciſe, quod definitur ab Eccleſia, ſed quod a DEO revelatum eſt; atque hoc tantum præſtat Eccleſia, ut hoc aut illud fuiſſe a DEO revelatum definiat. Unde cum rei definitæ per Eccleſiam fidem præbemus, ratio & motivum credendi

eſt

eſt revelatio antiqua; & declaratio Eccleſiæ eſt ſolum conditio eandem nobis applicans. Ex quibus conſequenter infertur, objectum fidei creſcere quidem aliquo modo in ordine ad explicitam fidem, ſeu quoad majorem fidei articulorum explicationem; non autem per novam alicujus dogmatis revelationem.

Reſpondetur ad Objecta.

III. *Objic. 1mo.* Eccleſiæ definienti Spiritus S. aſſiſtit infallibiliter, quemadmodum adſtitit Prophetis & Apoſtolis. Ergo nihil vetat, quominus dicatur per Eccleſiam aliquid de novo revelare.

Reſp. Diſt. ant. Spiritus S. aſſiſtit infallibiliter Eccleſiæ, eam illuminando, per modum inſtructionis & doctoratus, *Conc.* per modum novæ locutionis & revelationis, *Neg. ant.* & *Conſ.* Aſſiſtit nempe Spiritus S. Eccleſiæ in eo miniſterio, quod ipſi datum eſt ad fidem Chriſti conſervandam, & veterem revelationem proponendam, ita ut infallibiliter innoteſcat; non autem ad condendas novas revelationes nunquam antea factas. Neque enim omnis aſſiſtentia & illuſtratio Spiritus S. eſt ejusdem locutio *formalis*, ſeu revelatio. Unde cum Eccleſia Spiritu S. aſſiſtente definit aliquid, non eſt Deus, qui tunc loquitur atque revelat, alias non Eccleſia, ſed Deus utens Eccleſia tanquam organo, eo modo, quo utebatur Prophetis & Apoſtolis, eſſet, qui definiret, & definitio eſſet Verbum Dei, non Eccleſiæ: Sed Eccleſia eſt, quæ definit, nobisque loquitur, quamvis hoc non faciat, niſi ſuppoſita directione, aſſiſtentia, & illuſtratione Spiritus S. ne videlicet erret. Aliter igitur olim Deus adſtitit Sacris Scriptoribus, Prophetis, Apoſtolis; & aliter nunc aſſiſtit Eccleſiæ ſuæ. Per illos ipſe Deus locutus eſt nobis, adeo, ut ipſorum locutiones fuerint locutiones divinæ, verba Dei, & revelationes externæ. Nunc vero Eccleſia

Digitized by Google

cleſia loquitur atque definit, ſed Spiritu S. eam docente ut Magiſtro, eique infallibiliter aſſiſtente: unde locutio Eccleſiæ non eſt locutio Dei, ſed Eccleſiæ declaratio, ut tamen inſtructæ & edoctæ a Deo.

IV. *Objic. 2do.* Ipſæ Eccleſiæ declarationes fieri in quibusdam non poſſunt ſine nova Spiritus S. revelatione: in certis namque capitibus controverſis obſcurus eſt adeo Scripturæ & Traditionis ſenſus, ut Eccleſia nihil in iis definire poſſe videatur, niſi per novam ſuggeſtionem eam edoceat Spiritus S. eo plane modo, ac ſi nulla unquam facta fuiſſet de illis revelatio. Ergo in quibusdam admittendæ ſunt novæ revelationes.

Reſp. Neg. ant. Non eſt enim, cur recurri debeat ad novas revelationes, ad hoc, ut Eccleſia poſſit in unam partem potius, quam in aliam controverſam aliquam fidei quæſtionem determinare, & verum Scripturæ aut Traditionis ſenſum detegere; cum ſatis ſit, quod Eccleſiæ ſuæ ita aſſiſtat Spiritus S., ut eam in ejusmodi determinationibus nunquam errare ſinat. Quamvis ergo quædam fidei noſtræ capita non niſi obſcure contineantur in Sacris Litteris, aut Traditionibus divinis, habet tamen Eccleſia indicia certiſſima revelationis olim factæ; vel ſi deſint ejusmodi indicia, ab omni determinatione ac definitione prudenter abſtinet, uti non ſemel factum legimus in Conciliis Oecumenicis, præſertim in Tridentino.

V. *Objic. 3tio.* Plura ſunt nunc ab Eccleſia definita, quæ nuſpiam in Scripturis reperiuntur, neque Verbo Dei tradito continentur, quæ propterea ad fidem olim non pertinebant: quemadmodum, Epiſtolam Jacobi eſſe canonicam, Sanctorum animabus ſtatim poſt mortem conferri gloriam, Sacramenta eſſe numero ſeptem, matrimonium eſſe Sacramentum

novæ

Digitized by Google

novæ legis, aliaque plura, præſertim in materia Sacramentorum, quæ nuſpiam revelata ſunt. Item, Papam in factis dogmaticis eſſe infallibilem, Tridentinum Concilium eſſe Oecumenicum, cæteraque hujusmodi, quorum aliqua antiquitus definita non erant, aliqua etiam ignota. Igitur novæ identidem factæ ſunt novorum dogmatum revelationes.

Reſp. Quamvis ex adductis quædam non reperiantur in ſcripturis, eadem tamen perpetua, & conſtanti Traditione conſtant, uti docent Theologi, cum de iis ſingillatim agunt ſuis locis. Neque enim unquam definiviſſet quidquam Eccleſia circa Canonem Scripturarum, circa Beatorum ſtatum, circa numerum Sacramentorum &c. niſi id quod definivit, clare vidiſſet vel in Scriptura ſaltem implicite, vel in Traditionibus contentum: fuit enim illius hæc conſtans, ut ſupra diximus, & perpetua conſuetudo, ut nihil definiret tanquam fide Catholica tenendum, quod non fuerit a Deo revelatum per Chriſtum, vel per Apoſtolos. Quod vero particulares quasdam propoſitiones, quas fide divina tenemus, attinet, eæ utique ex univerſalibus deducuntur, tanquam in iis implicite revelatæ: ut, ex quo certum eſt Papam eſſe fidelium paſtorem, & irrefragabilis auctoritatis in rebus ad fidem moresque pertinentibus, ſequitur eundem errare non poſſe in illis definiendis; ex quo indubitatum eſt, Oecumenicum eſſe omne Concilium plenarium & legitime congregatum, infertur, talem eſſe Synodum Tridentinam. Idem eſto de aliis hujusmodi judicium.

Ad quorum pleniorem intelligentiam diſtinguendæ ſunt duplicis ordinis propoſitiones, quæ ſucceſſu temporis explicite creduntur: quædam enim pertinent veluti ad ſubſtantiam myſteriorum; ut in myſterio Incarnationis, quod Chriſtus habuerit duas voluntates, & in myſterio Euchariſtiæ, quod ſubſtantia panis poſt conſecrationem non maneat &c. & de hujusmodi credendum eſt, fuiſſe revelatas & cognitas Apoſtolis etiam explicite; quia ii optime

intelligebant ſcripturam, & myſteria omnia, quæ ad traditionem fidei pertinebant. Aliæ vero ſunt propoſitiones contingentes, videlicet de rebus, quæ Apoſtolorum tempore nondum evenerant, e. g. quod iſte ſit Pontifex, quod hoc ſit verum ac legitimum Concilium, & aliæ ſimiles; atque has neceſſe non erat explicite cognoſci ab Apoſtolis, ſed ſolum implicite, in propoſitione ſcilicet univerſali, quia non erat neceſſarium illis revelari omnia futura. Et forſan hoc modo in die Pentecoſtes non erant edocti explicite de omnibus myſteriis fidei quoad particulares circumſtantias eorum, ut de modo vocationis Gentium, de ceſſatione legalium, ut colligitur ex Actor. 10. & 15. & aliis ejusmodi. Sic etiam Joannes in Apocalypſi multa intellexit de futuris, quæ aliis revelata non fuere; & fortaſſe multa ex illis non intelligentur certo, & explicite, donec non impleantur. Hoc igitur modo poteſt fides noſtra proficere & incrementum capere, interveniente videlicet nova Eccleſiæ definitione, quæ vel infallibiliter applicat revelationem univerſalem ad particulare objectum, extendendo videlicet propoſitiones generales, aut principia generalia olim a Deo revelata, ad objecta quædam particularia, quibus revera convenit ratio contenta in illis propoſitionibus, aut principiis generalibus, olim a Deo revelatis; vel explicat verum ſenſum Scripturæ & Traditionum divinarum, poſt diligentem inquiſitionem & inſpectionem teſtimoniorum Patrum, & aliorum Doctorum veterum, in quo examine Eccleſia non poteſt errare propter infallibilem Spiritus S. aſſiſtentiam.

CAPUT V.

Utrum ea, quæ deducuntur ex principiis revelatis, ſint materia fidei, & poſſint ac debeant credi fide divina?

I. Veritatem quamcunque a Deo revelatam ad materiam fidei pertinere, indubium faciunt ea, quæ hactenus ob-

obſervavimus. Sed non omnes veritates eodem modo ſunt revelatæ: aliæ namque immediatè, aliæ mediate; aliæ explicitè, aliæ implicite ſolum revelatæ dicuntur. Immediate, a Deò revelatum intelligimus illud, quod per ſe ipſum *formaliter* continetur in Scripturis vel in Traditionibus, ſuitque a Deo vere revelatum. Mediate autem ſolum & *virtualiter* revelatum dicimus, quod a Deo revelatum eſt in alio, quo cum neceſſariam habet connexionem, ſeu, quod ex alio immediate revelato per diſcurſum eruitur. Propoſitiones ejusmodi mediate ſolum revelatæ ſolent alio nomine appellari concluſiones Theologicæ: quia Theologi in argumentationibus ſuis circa religionis materiam concluſiones deducunt ex duabus propoſitionibus, quarum vel utraque de fide eſt; vel una tantum eſt de fide, & altera ſolo lumine naturali cognita.

Porro immediate revelari poteſt aliquid duplici modò, nimirum *explicite*, & *implicite*. Illud revelatur immediate *explicite*, quod diſertis verbis revelatur: Sic cum Deus dixit, *Verbum caro factum &*, revelavit immediate & *explicite* Incarnationem. *Implicite* vero revelatur illud, quod quidem a revelante non exprimitur diſertis verbis, ſed tamen continetur in ipſa revelatione: ſic Deus revelans, Chriſtum eſſe hominem, revelat implicite, ipſum compoſitum eſſe ex corpore & anima.

De iis ergo, quæ ſolum mediate, aut immediate quidem, ſed tantum implicite revelata ſunt, & ex aliis velut principiis immediate & explicite revelatis deducuntur, præſens movetur quæſtio, an ſint materia fidei, & poſſint, ac debeant credi fide divina? Qua quidem in controverſia diligenter & accurate diſtingui debent propoſitiones mediate revelatæ ab iis, quæ implicite revelatæ ſunt, ne videlicet illico pro fidei articulo habeatur quidquid e Scripturis eruitur. Ejusmodi enim principium falſum eſt, & in praxi poſſet in mul-

Digitized by Google

tos errores conjicere. Sic graviter errat Dallæus inſignis Calviniſta, cum in libro, quem inſcripſit gallice, *De la preuve de la Foi par l'Ecriture*, primæ partis cap. 9. univerſim pronuntiat: *Quidquid ex Scripturis dilucide & neceſſario concluditur, id verum ac divinum, & velut aliquam ipſarum Scripturarum partem cenſendum eſſe.* Et c. 12. *Fidem, quæ iis adhibetur, quæ ſunt ex Scripturis ratiocinando concluſa, non humana ratione, ſed Scripturis divinis niti.* Et c. 13. *Ad hoc, út argumenti concluſio divinæ veritatis cenſeatur, ſatis eſſe, ut propoſitionum, ex quibus ea eruitur, altera extet in Scripturis.* Ex iſto quippe principio (ut recte obſervat Nicolaus l'Herminier in *Summa Theolog.* Tom. 8. Tract. de Fide) poterit quivis meras ſuas opiniones tanquam fide divina certas amplecti, putans eas eſſe de numero veritatum a Deo revelatarum.

Sed ex altera etiam parte credi non debet, illas veritates ſolas ad fidem pertinere, quæ explicite & in terminis leguntur in ſacris Literis; alias vero omnes, quamvis quoad ſenſum æquivalentes, eſſe mediate tantum revelatas, atque adeo meras concluſiones theologicas, inde namque periculum foret, ne multæ fidei veritates falsò inter humanas opiniones rejicerentur. In eo itaque diſcrimen omne poſitum eſt inter propoſitiones mediate revelatas, & inter revelatas implicitė, quod illæ de ſe, & ut ajunt, *formaliter* non ſint a Deo revelatæ, ſed ex taliter revelatis per diſcurſum dumtaxat deductæ; iſtæ vero de ſe & *formaliter* revelatæ ſint, quamvis implicite & confuſe in ipſa revelatione contineantur. Quo rite intellecto, haud operoſum erit præſenti quæſtioni ſatisfacere; id quod nos gemina aſſertione præſtare conabimur.

AS-

ASSERTIO PRIMA.

Propoſitiones mediate ſolum revelatæ, ſeu ex aliis immediate revelatis per diſcurſum dumtaxat deducta non ſunt materia fidei.

II. *Prob.* Propoſitiones, quæ reipſa a Deo revelatæ non ſunt, fide divina credi non poſſunt, atque adeo non ſunt fidei materia. Sed propoſitiones mediate ſolum revelatæ, reipſa, & proprie loquendo a Deo revelatæ non ſunt. Ergo. *Prob. min.* Propoſitiones mediate ſolum revelatas illas dicimus, quæ in aliis immediate revelatis, tanquam principiis, virtute continentur, & ex iis per diſcurſum & illationem lumine naturali eruuntur. Sed ejusmodi propoſitiones reipſa & in vero theologico ſenſu revelatæ a Deo cenſeri non debent: ſecus enim revelatæ cenſerentur omnes concluſiones theologicæ; poſſetque Theologus quilibet impune privatas ſuas opiniones & aſſertiones, quas ex ſcripturis, aliisque fidei principiis eruit ac ſtabilivit, fide divina credendas proponere; quod abſurdum omnino eſt conſequens.

Ratio autem, cur propoſitiones iſtiusmodi pro revelatis haberi non debeant, eſt, quod revelatio divina certitudinem pariat quacunque evidentia naturali majorem; propoſitiones autem ex aliis revelatis per illationem dumtaxat deductæ certitudinem aliam non habent, niſi evidentiæ naturalis: ſunt enim concluſiones deductæ ex una propoſitione revelata, & ex altera naturaliter evidente; majorem proinde certitudinem non habent evidentia naturali, quia non habent majorem certitudinem propoſitione præmiſſa naturaliter evidente; cum ſecundum Dialecticorum axioma, *concluſio ſequatur partem debiliorem.* Aſſenſus videlicet concluſionis pendet in certitudine a ſingulis propoſitionibus præmiſſis, & ideo non poteſt eſſe certior, quam ſit quælibet præmiſſarum: ergo

non poteſt ille aſſenſus eſſe aſſenſus fidei, cum hic certior ſit quovis aſſenſu naturali etiam evidente. Igitur aſſenſus ille eſt ſolum aſſenſus theologicus; atque adeo etiam concluſio deducta ex una propoſitione revelata, & altera naturaliter evidente, ſeu, quod idem eſt, propoſitio ſolum mediate revelata, & ex altera immediate revelata per diſcurſum deducta, non eſt materia fidei, ſed ſolum concluſio theologica.

Reſpondetur ad Objecta.

III. OBjic. 1mo. Multa fide divina credimus, quæ in ſe & immediate revelata non ſunt, ſed illatione dumtaxat neceſſaria ex revelatis eruuntur: patet id inductione plurium exemplorum. Sic credimus 1mo. Deum eſſe incorporeum, infinitum &c. quamvis id revelatum non ſit. 2do. Chriſtum habere duas voluntates, divinam & humanam; quia revelatum eſt, Chriſtum eſſe hominem; & evidens eſt, hominem habere voluntatem humanam. 3tio. Qui baptizat infantem, fide divina credit illum eſſe juſtum, ſolum ex illo principio fidei, quod verum Sacramentum conferat gratiam non ponenti obicem: quia evidens eſt, infantem non ponere obicem; & baptizanti, qui de ſua intentione eſt certus, evidens itidem eſt, ſe conficere verum baptiſmum. Hæc igitur & plura ejusmodi alia ſunt materia fidei, quamvis immediate revelata non ſint, ſed ex revelatis per diſcurſum dumtaxat eruta ac deducta.

Reſp. Quæcunque fide divina credimus, ea ſi non explicite & diſtincte, implicite certò & confuſe revelata ſunt, quod non obeſt, quo minus pro reipſa & immediate a Deo revelatis habeantur. Hinc ut ſingulis, quæ in Objectione adducta ſunt, ſatisfiat,

Ad *1mum Reſp.* Deum eſſe infinitum, eſſe incorporeum,

&

& alia ſimilia ſatis immediate revelata ſunt in Scripturis, ſi non eisdem terminis, ſaltem æquivalentibus, ut, *Deum eſſe ſpiritum, eſſe omnipotentem &c.*

Ad 2*dum* Duas eſſe in Chriſto voluntates, eſt pariter immediate revelatum. Legitur enim expreſſe in Scripturis, Chriſtum habere aliam voluntatem a divina, humanam ſcilicet Luc. 22. *Pater non mea voluntas, ſed tua fiat.* Quod idem eſt, ac ſi dicatur, Chriſtum habere duas voluntates. Ut enim dogma iſtud de duplici in Chriſto voluntate revelatum cenſeatur in Sacris Literis, neceſſe non eſt, ut in iis expreſſe habeatur hæc veritas: *Duæ ſunt in Chriſto voluntates.* Sed ſatis eſt, quod inibi ſcriptum ſit, Chriſtum habere voluntatem divinam & humanam; immo ſatis eſt, quod revelatum ſit, Chriſtum eſſe Deum & hominem; voluntas enim eſt facultas neceſſaria & attributum eſſentiale naturæ intellectualis: revelari proinde non poteſt, Chriſtum eſſe Deum & hominem, quin eo ipſo implicite revelatum ſit, in eo eſſe divinam & humanam voluntatem. Hinc univerſim loquendo, multæ propoſitiones ut immediate revelatæ cenſeri debent, quamvis expreſſe non habeantur in Scripturis, ſed tantum in aliis propoſitionibus implicite, & æquivalenter. Sic immediate revelatum eſt, Chriſtum conſtare corpore & anima, quia revelatum eſt, eum eſſe hominem: Chriſtum eſſe mortuum pro Juda, quia in Scripturis legitur, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus: Petrum eſſe mortalem, quia legitur, omnem hominem eſſe mortalem; & ſic de pluribus aliis, de quibus in ſecunda aſſertione dicemus.

Unde etiam patet, quid reſponderi debeat ad 3*tium*: fide nempe divina credi poteſt, infantem baptizatum eſſe juſtum; quia ſingularis hæc propoſitio: *hic infans eſt juſtus*, revelata eſt confuſe & implicite in hac univerſali: *omnis valide & absque obice ſuſcipiens Sacramentum Baptiſmi recipit gratiam juſtificantem.*

IV.

IV. *Objic. 2do.* Nulla eſt fidei veritas, quæ naturali ratiocinio non innitatur, & per diſcurſum aliquem erui non debeat. Sic non modo propoſitionibus paulo ante adductis, ſed huic etiam ipſi, *tres ſunt in Deo perſonæ*, fidei aſſenſum præbemus, quatenus nititur huic ratiocinio: *illud eſt de fide, quod fuit a Deo revelatum: ſed tres eſſe in Deo perſonas fuit a Deo revelatum: igitur de fide eſt, tres eſſe in Deo perſonas.* Ergo vel nulla propoſitio erit de fide, vel certe etiam illæ de fide cenſeri debent, quæ ex una revelata, & altera evidenter certa naturali ratiocinio deducuntur.

Reſp. Diſt. ant. Nulla eſt fidei veritas, quæ per diſcurſum erui non debeat, ita ut diſcurſus ille ſit motivum aſſentiendi in actu fidei, *Neg.* ita ut ſit ſolum conditio requiſita ad applicandam revelationem divinam, *Conc. ant.* & *Neg. conſ.* Ratio diſtinctionis eſt, quod diſcurſus & ratiocinium humanum aliter ſe habeat in aſſenſu, qui præbetur propoſitionibus immediate revelatis, & aliter in aſſenſu, qui præbetur propoſitionibus ſolum mediate revelatis, de quibus præſens eſt controverſia. In priore namque illo aſſenſu ratiocinium humanum eſt mera conditio requiſita ad applicandam revelationem, ſeu eſt purum medium, quo applicatur revelatio divina, quæ ſola parit aſſenſum in credente, quia eſt adæquatum motivum ad præſtandum fidei aſſenſum; hic enim ita ſimplex eſt, ut de ſe non fundetur in ratiocinio, neque illo indigeat tanquam partiali motivo, ſed ſolum ut medio & conditione. Aliter ſe res habet in aſſenſu, qui præbetur propoſitionibus mediate ſolum revelatis; in his enim ratiocinium humanum eſt motivum aſſentiendi, cum propoſitiones ejusmodi eruantur partim ex una propoſitione revelata, & partim ex alia lumine naturali cognita. Propoſitio namque revelata ſe ſola non habet vim ſufficientem movendi ad aſſenſum præbendum alteri, quæ ſimpliciter revelata non eſt; ſed neceſſario accedere debet evidentia illationis unius ex altera, ita, ut ex illa revelatione

& ex

& ex hac evidentia, tanquam ex duabus præmiſſis conſurgat unum motivum adæquatum aſſenſus. Itaque concluſiones ejusmodi cenſentur veræ, quia vi ipſius ratiocinii recte ſequuntur ex duabus propoſitionibus, una revelata, & altera naturaliter cognita, ita ut hæc conjunctim cum priore ſit motivum aſſentiendi; adeoque ejusmodi concluſiones non ſunt materia fidei divinæ, utpote quæ aliud objectum habere non poteſt, quam veritatem a Deo revelatam.

V. *Objic.* 3*tio*. Qui negaret propoſitionem mediate revelatam, & in principio fidei *virtualiter* contentam, merito præſumeretur eſſe hæreticus: quia quantum eſt ex ſe falſum redderet teſtimonium Dei, & *virtualiter* negaret veritatem propoſitionis immediate revelatæ, cum non poſſit negare propoſitionem alteram naturaliter evidentem. Ergo aſſenſus propoſitionis etiam mediate ſolum revelatæ ad fidem pertinet.

Reſp. Cum Suario Diſp. 3. Sect. 11. n. 12. aliud eſt agere de præſumptione, aliud de veritate. Qui negaret concluſionem theologicam ex una propoſitione de fide & altera naturaliter evidente, neceſſaria illatione deductam, merito præſumeretur hæreticus, quia crederetur potius negare propoſitionem obſcuram, quæ eſt de fide, quam alteram naturaliter evidentem: reipſa tamen hæreticus non eſſet, ſi vere non negaret principium fidei, ſed alia abſurda cogitatione duceretur ad concluſionem illam negandam; ſecluſa tamen Eccleſiæ definitione. Si namque hæc accedat, omnino tenendum eſt, quod concluſio deducta ex una propoſitione revelata, & altera naturaliter evidente, ſit de fide: tunc enim ipſa definitio Eccleſiæ eſt revelatio Dei teſtificantis per Eccleſiam; vel potius eſt declaratio, & applicatio revelationis immediatæ ſaltem implicite jam antea factæ, ita, ut poſt definitionem Eccleſiæ ſit de fide explicita, & quoad nos, quod ante fuit de fide implicita, & ſecundum ſe. Hinc definitio

Eccleſiæ eſt unica eaque infallibilis regula judicandi, quod aliquid ſit immediate revelatum, ſaltem implicite & confuſe. Sic cum Eccleſia in Concilio Nicæno definivit, Chriſtum eſſe Patri æterno conſubſtantialem, aut in Concilio Conſtantinopolitano, Spiritum Sanctum eſſe Deum &c. recte dicitur, id ipſum fuiſſe jam antea implicite revelatum: quia ad Eccleſiam pertinet judicare de vero & integro ſenſu Verbi Dei, ſeu revelationum divinarum.

Conſectarium.

VI. Facta hac revelatione, *Chriſtus eſt homo*, videtur etiam immediate, quamvis implicite & confuſe, revelatum eſſe, Chriſtum habere facultatem ridendi, ſermocinandi, ſecundum corpus eſſe quantum &c. quamvis hæc non conſtituant eſſentiam hominis, ſed ad eam ſolum tanquam proprietates metaphyſicæ aut phyſicæ conſequantur. In hac namque providentia Deus revelando Chriſtum eſſe hominem, non videtur revelaſſe naturam humanam Chriſti ſecundum ſolam eſſentiam naturæ humanæ, ſed ſecundum totum id, quod naturam humanam neceſſario conſequitur, & non repugnat ſuppoſito divino. Proinde revelatæ ſunt immediate, quamvis implicite & confuſe, omnes ejus proprietates tum metaphyſicæ, inter quas eſt facultas ſermocinandi, ridendi; tum etiam phyſicæ, qualis eſt quantitas &c. Etenim vox *homo* in ſenſu vulgari ſignificat hominem cum omnibus ſuis proprietatibus: igitur qui dicit, Chriſtum eſſe hominem, dicit eo ipſo, omnibus illis proprietatibus præditum eſſe.

Quod ſi vero ſupponatur, uti pro alia ſaltem providentia ſupponi poteſt, per revelationem hanc, *Chriſtus eſt homo*, ſolam & nudam eſſentiam naturæ humanæ Chriſti revelatam eſſe; tunc patet diſcrimen, cur facta illa revelatione *Chriſtus eſt homo*, *formaliter* & immediate revelatum dicatur, quod Chriſtus conſtet corpore & anima; non item *formaliter* & immediate, ſed ſolum *virtualiter* & mediate revelatum ſit, Chriſtum eſſe riſivum, quantum &c. AS-

Digitized by Google

ASSERTIO SECUNDA.

Propoſitiones, quæ non tam ex aliis explicite revelatis per diſcurſum eruuntur, quam potius iis quoad ſenſum æquivalent, aut in illis formaliter *continentur, ſunt materia fidei.*

VII. *Prob.* Propoſitiones ejusmodi ſunt vere & immediate, quamvis implicite & confuſe, a Deo revelatæ. Quando enim Deus veritatem aliquam revelat, id omne pro vero ſui teſtimonio haberi vult, quidquid idem eſt ſecundum ſenſum cum ipſa hac veritate expreſſe revelata, quidquid in illa formaliter continetur, aut includitur tanquam pars, præſertim eſſentialis.

Sic cum a Deo revelatum eſt, Chriſtum eſſe hominem, eo ipſo *formaliter* & immediate, quamvis implicite, revelatum eſt, Chriſtum eſſe principium ſentiendi & ratiocinandi, ipſum conſtare corpore & anima rationali. Cum enim definitum & definitio ſint plane idem quoad ſenſum, & cum corpus & anima ſint partes hominis eſſentiales; qui dicit, Chriſtum eſſe hominem, dicit reipſa, quamvis implicite & confuſe, ipſum eſſe ſentiendi & ratiocinandi principium, ipſum conſtare corpore & anima rationali. Similiter Deus revelando explicite, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus, revelat implicite, etiam pro hoc numero homine, puta Juda, mortuum eſſe. Nam qui dicit *formaliter* pro omnibus hominibus mortuus eſt Chriſtus, dicit etiam *formaliter*, quamvis confuſe, pro hoc homine mortuus eſt, & pro illo mortuus eſt, & pro iſto mortuus eſt &c. Ergo etiam pro Juda mortuus eſt. Vox enim illa univerſalis *omnibus* ſupponit pro ſingulis hominibus diſtributive acceptis, igitur etiam pro Juda.

Cujus ratio uberior eſt, quod divina revelatio cadat immediate in illa omnia, ſub ea univerſalitate contenta. Nam per illam revelationem ſignificatur nobis verum judicium, quod Deus habet de adæquato objecto illius re-

revelationis: in Deo autem non eſt cognitio confuſa, ſed diſtincte judicat de omnibus, quæ revelat, etiamſi multa uno verbo complectatur. Confuſio tantum eſt ex parte noſtra, & in modo apprehendendi rem revelatam. Quod ſi ergo confuſio illa ab intellectu noſtro depellatur, uti depellitur per certam notitiam de continentia ſingularium ſub univerſali; revelatio propoſitionis univerſalis de ſe ſufficiet ad aſſentiendum fide divina particularibus ſub illa contentis. Ergo fide divina credi poſſunt ac debent propoſitiones, aliis expreſſe revelatis quoad ſenſum æquivalentes, aut in iis formaliter contentæ: quales ſunt potiſſimum propoſitiones, quæ per modum definitionis rei expreſſe revelatæ naturam explicant, aut ipſas partes præſertim eſſentiales totius explicite revelati enuntiant; item propoſitiones particulares contentæ in propoſitione univerſali, quæ expreſſe revelata eſt in ſenſu diſtributivo pro particularibus in ea contentis.

Reſpondetur ad Objecta.

VIII. OBjic. 1mo. Ad aſſenſum præbendum huic propoſitioni particulari, *Chriſtus mortuus eſt pro Juda*, propter univerſalem revelatam, neceſſarius eſt hic diſcurſus: *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus hominibus*, *Judas eſt homo*, *igitur etiam pro Juda mortuus eſt:* idem eſto judicium de aliis ejuſmodi concluſionibus, quæ dicuntur ad fidem pertinere. Atqui eo ipſo propoſitio particularis credi non poteſt fide divina propter revelationem univerſalem. Ergo. *Prob. min.* Si enim neceſſarius eſt prædictus diſcurſus, jam aſſenſus præſtitus concluſioni huic, *Chriſtus mortuus eſt pro Juda*, non nititur ſoli revelationi propoſitionis univerſalis, ſed nititur etiam ratiocinio naturali, & certitudini de continentia particularis ſub univerſali. Ergo non eſt aſſenſus fidei divinæ; vel ſi eſt, tunc idem dicendum erit de aſſenſu, qui præbetur concluſioni ex principio revelato per ſolum diſcurſum deductæ.

Reſp.

Reſp. Eandem hic adhibendam eſſe diſtinctionem, quam ſupra dedimus N. IV. Neceſſarius videlicet eſt ille diſcurſus ad hoc, ut applicet revelationem univerſalem ad credendum ſingulare in ea contentum, *Conc.* ad hoc ut etiam moveat intellectum ad præbendum fidei aſſenſum, *Neg.* Unde aſſenſus nititur ratiocinio naturali, & certitudini de continentia particularis ſub univerſali, tanquam partiali motivo credendi, *Neg.* tanquam meræ conditioni applicanti revelationem unius propoſitionis ad credendam alteram, de qua eſt quæſtio, *Conc.* Ratio diſtinctionis patet ex iis, quæ citato loco dicta ſunt; quemadmodum & diſcrimen, quod intercedit inter aſſenſum concluſionis, per ſolum diſcurſum ex principio revelato deductæ, & inter aſſenſum concluſionis, de qua eſt ſermo in præſenti. Sed

Inſt. Si ſupra adductæ argumentationis minor propoſitio, nempe hæc, *Judas eſt homo*, non poteſt credi fide divina, neque fide divina credi poterit ejuſdem concluſio; nam concluſio ſequitur debiliorem præmiſſam. Atqui minor illa propoſitio fide divina credi non poteſt, quia non eſt revelatum, Judam eſſe hominem. Ergo neque credi poterit concluſio, pro Juda videlicet Chriſtum eſſe mortuum.

Reſp. Neg. maj. Rationem additam *Diſt.* Concluſio ſequitur debiliorem præmiſſam, ſi ſumatur *formaliter*, hoc eſt, prout deducitur ex præmiſſis, & illis ut artificioſe diſpoſitis tanquam motivo aſſentiendi innititur, *Conc.* Si ſumatur *materialiter* tantum, hoc eſt, non prout deducitur ex præmiſſis, & propter illas creditur, ſed ſolum ut per illas ſufficienter oſtenditur eſſe revelata, *Neg.* Concluſio itaque prout deducitur ex præmiſſis artificioſe diſpoſitis, non poteſt credi fide divina; quia ſic ſumpta creditur ſolum propter ipſas præmiſſas artificioſe diſpoſitas, & ſic connexas cum ejus veritate. Poterit tamen credi fide divina eadem illa concluſio prout immediate ſubjacet revelationi, ipſi per præmiſſas evidenter applicatæ; poteſt enim intellectus ex imperio voluntatis illi aſſentiri aſſen-

ſu appretiative certiſſimo propter revelationem, cui imme-diate ſubjacere evidenter per præmiſſas cognoſcitur. Eo ipſo namque quod per minorem particularem evidentem evidenter deducatur concluſio ex majore univerſali revelata, cognoſcitur etiam evidenter eſſe *formaliter* implicite revelata in majore, & conſequenter immediate ſubjacere revelationi majoris revelatæ.

IX. *Objic.* *2do.* Gratis aſſeritur ſæpe dictam concluſionem, aut quamcunque ejusmodi aliam eſſe revelatam *formaliter* implicite in majore revelata. Cum enim Deus revelavit, omnes homines Chriſti morte redemptos eſſe, non revelavit Judam eſſe hominem. Ergo ne quidem implicite revelavit, illum Chriſti morte redemptum eſſe.

Reſp. Ad hoc ut Deus revelando, Chriſti morte omnes homines redemptos eſſe, cenſeatur revelaſſe implicite, Judam redemptum eſſe, ſufficit quod Judas ſit homo; quia eo ipſo quod Judas ſit homo, hæc propoſitio, *Judas redemptus eſt*, continetur *formaliter* implicite in illa, *omnes homines ſunt redempti*; & conſequenter qui dicit, *omnes homines Chriſti morte redempti ſunt*, hoc ipſo dicit *formaliter* implicite, *Judas Chriſti morte eſt redemptus.* Ratio eſt manifeſta; nam propoſitio univerſalis continet *formaliter* implicite omnia ſingularia, quæ participant rationem communem ſignificatam per ejus ſubjectum. Atqui hoc ipſo quod Judas ſit homo, participat rationem communem ſignificatam per ſubjectum propoſitionis univerſalis. Igitur in ea *formaliter* implicite continetur; atque adeo de eo *formaliter* implicite affirmatur quod ſit redemptus, cum dicitur omnem hominem eſſe redemptum. Quod maxime verum eſt reſpectu Dei, qui cum revelat omnem hominem Chriſti morte redemptum eſſe, clare & diſtincte cognoſcit omnia ſingularia, quæ hoc ſubjectum univerſaſe *omnis homo* conſtituunt. Ergo cum abſolute enuntiat omnem homi-

nem

Digitized by Google

nem redemptum eſſe, eo ipſo dicit & Petrum, & Paulum, & Judam, & quemcunque alium hominem redemptum eſſe.

X. *Objic. 3tio.* Si fide divina credi poſſent ac deberent propoſitiones particulares ſub univerſali expreſſe revelata contentæ, tunc pariter fide divina credendum eſſet, quod in hac determinata hoſtia ſit præſens Chriſtus, vel quod mihi ſint remiſſa peccata, eo ipſo quod univerſaliter revelatum ſit, in omni hoſtia valide conſecrata Chriſtum eſſe præſentem, & cuilibet pœnitenti, prout oportet, remitti peccata. Atqui hoc non admittitur. Ergo.

Reſp. Neg. maj. Cum enim univerſim, ut aliquid poſſit credi fide divina, id eſt, aſſenſu firmiſſimo ſuper omnia, neceſſaria ſit tanta certitudo de exiſtentia revelationis, ut excludatur omnis prudens formido de oppoſito; propoſitio ſingularis contenta ſub univerſali expreſſe revelata fide divina credi non poteſt, niſi revelatio univerſalis applicetur ad credendum ſingulare per evidentiam, quam vocant metaphyſicam, phyſicam, aut ſaltem moralem ſtricte talem; ſeu quod idem eſt, concluſio ſingularis non eſt de fide, niſi deducta ſit ex una propoſitione univerſali revelata, & altera ſingulari metaphyſice, phyſice, aut ſtricte moraliter certa & evidente. Sic de fide eſſe diximus, quod Chriſtus ſit mortuus pro Iuda, quia revelatum eſt univerſaliter, quod pro omnibus hominibus mortuus ſit, & metaphyſice certum eſt, quod Judas ſit homo. Similiter de fide eſt, quod e. g. Petrus ſit conceptus in peccato originali; quia revelatum eſt, quod omnis homo per generationem naturalem ab Adamo deſcendens (excepta Beatiſſima Virgine Maria) ſit conceptus in peccato originali, & phyſice certum eſt, quod Petrus ſic deſcenderit. De fide denique eſt, Concilium Tridentinum legitimum fuiſſe, atque adeo habuiſſe aſſiſtentiam Spiritus S. quia revelatum eſt, quod omne Concilium Oecumenicum rite

con-

convocatum ſit legitimum, habeatque aſſiſtentiam Spiritus S. & ſtricte moraliter certum eſt, quod Concilium Trid. fuerit Oecumenicum rite convocatum. At vero de fide ſaltem abſoluta non eſt, quod in hac hoſtia ſit præſens Chriſtus Dominus, quod mihi remiſſa ſint peccata: quia licet revelatum ſit, quod in omni hoſtia valide conſecrata ſit Chriſtus Dominus, quod omni, prout oportet pœnitenti, remittantur peccata; hujus tamen revelationis univerſalis applicatio non ſufficienter ſit ad hæc particularia, quia de illis non eſt ſufficiens certitudo propter multas & occultas circumſtantias, a quibus pendent; neque enim moraliter mihi certum eſt, hanc hoſtiam eſſe valide conſecratam, meque pœnituiſſe, prout oportet ad impetrandam peccatorum remiſſionem.

Conſectarium.

XI. SI revelatio propoſitionis univerſalis ſufficit, ut eam revera ſufficere oſtendimus hactenus, ad credenda fide divina ſingularia ſub illa contenta, cum de hac continentia habetur certitudo ac evidentia ſaltem moralis ſimpliciter talis, excludens videlicet omnem prudentem formidinem de oppoſito; etiam hæc revelatio univerſalis, *omnis Pontifex legitime electus, eſt verus Chriſti Vicarius*, facta illis præcipue Chriſti verbis ad Petrum, ejusque ſucceſſores Matth. 16. *Tu es Petrus; & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; hæc, inquam, revelatio univerſalis ſufficiet ad credendum, hunc Pontificem Romanum (hodie Benedictum XIV.) eſſe verum Chriſti Vicarium & Petri Succeſſorem, poſtquam nimirum ex communi Eccleſiæ conſenſione & acceptatione certo conſtat, eum eſſe legitime electum, & ſic contineri in ſubjecto revelationis univerſalis; præſertim cum revelatio illa univerſalis facta ſit eo fine, ut credantur ſingularia, ſeu ut fideles credant, hunc Pontificem, qui actu præeſt Eccleſiæ, quique poſt acceptatio-

tionem Eccleſiæ eſt certo legitime electus, eſſe verum Pontificem; eſt enim facta eo fine, ut ad illum tanquam ad vivam fidei regulam, & infallibilem controverſiarum judicem indubitanter recurrant. Recurrere autem non poſſent, neque quæ ab eo definiuntur ut dicta a Deo, fide divina credere, niſi eàdem etiam fide crederent, eum habere a Deo poteſtatem definiendi, & aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ſeu quod idem plane eſt, eum eſſe Chriſti Vicarium, & D. Petri Succeſſorem. Imo, ſi de fide catholica non eſſet, hunc determinatum hominem, qui communi Eccleſiæ conſenſione acceptus eſt ut caput Eccleſiæ, eſſe verum Pontificem, neque catholica veritas, & certitudo hujus numero Eccleſiæ poſſet recte conſiſtere, quia hæc maxime pendet ex conjunctione cum vero capite, requiritque veros ac legitimos Sacerdotes, Paſtores, & Eccleſiaſticam Hierarchiam. At hæc omnia pendent ex eo, quod hic determinatus homo ſit verus & legitimus Pontifex: qua enim ratione de hoc Pontifice dubitare poſſum, potero & de Anteceſſore, atque adeo de tota retro ſerie, ergo de veritate Epiſcoporum, & Cardinalium, qui ab his creati ſunt; atque ita ruet tota certitudo veræ Eccleſiæ, & Hierarchici ordinis: quemadmodum argumentantur Heterodoxi, contendentes, a tempore ſaltem Urbani Papæ defeciſſe veram ſucceſſionem; hinc enim ſufficienter ſibi videntur inferre, jam certum eſſe non poſſe, an Summo Pontifici verè ſuccedatur, aut ubi gentium vera Eccleſia viſibilis extet. Atque inde credo eſſe, quod in Concilio Conſtantienſi Martini V. Conſtitutione præceptum ſit, ut ab hæreticis, qui Eccleſiæ catholicæ reconciliari volunt, primum omnium exigatur, an credant, Papam canonice electum, qui pro tempore fuerit (ejus nomine expreſſo) eſſe Succeſſorem Petri, & habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei. Igitur hoc fide divina credendum eſſe ſupponit Pontifex, neque enim infra certitudinem fidei proponitur a Pontificibus res immediate credenda.

Digitized by Google

XII. Nec vero valet, quod quidam reſpondent, per Conſtitutionis illius quæſtionem non exigi fidem abſolutam, ſed implicite conditionatam: *Si hic Pontifex eſt legitime electus.* Contra namque eſt, conditionem hanc prudenter apponi non poſſe, cum poſt univerſalis Eccleſiæ acceptationem certum ſit, hunc Pontificem eſſe legitime electum.

Pro quo adverte, quod alibi a nobis fuſius exponetur, duplicem eſſe Pontificis electionem: 1*ma* fit a ſolis Cardinalibus. 2*da* conſiſtit in acceptatione univerſæ Eccleſiæ agnoſcentis eum, qui a Cardinalibus electus eſt, pro vero Pontifice. Quamvis ergo prima electio ob varios defectus & impedimenta juris humani irrita aut incerta eſſe poſſit, ut quod careat debito numero ſuffragiorum, quod ſit ſimoniaca, per vim extorta &c. Secunda tamen, ſita in acceptatione Eccleſiæ, nullo ex capite irrita aut incerta eſſe poteſt, ſed potius tanquam ultimata & abſoluta electio ſupplet omnes defectus primæ electionis, quos Eccleſia ſupplere poteſt, uti ſunt defectus humani juris; ſimulque nos reddit certos, nullum interveniſſe talem defectum, quem Eccleſia ſupplere non poſſit, cujusmodi ſunt defectus juris naturalis & divini: certos proinde nos reddit, Pontificem ita electum eſſe marem, eſſe baptizatum, rite ordinatum, cæteraque omnia habere, quæ ad verum Pontificem jure naturali aut divino requiruntur. Ratio hujus eſt infallibilitas Eccleſiæ in acceptando Pontifice. Si namque Eccleſia errare non poteſt in rebus ad ejus communem religionem pertinentibus, ut conſtat ex promiſſione divina pluribus Scripturæ locis aperte facta, præſertim Matth. 16. ubi promittitur, *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et 1. ad Tim. 3. *Ubi* dicitur *columna & firmamentum veritatis*; infallibilis non minus erit in agnoſcendo vero Pontifice: quandoquidem hunc Pontificem, qui nunc præeſt Eccleſiæ, eſſe verum Pontificem pertinet omnino ad communem totius Eccleſiæ religionem, imo ad ipſum fidei fun-

da-

damentum, quia ad vivam fidei regulam & ſupremum controverſiarum judicem, ita ut error, qui in re adeo gravi accideret, merito æquipararetur errori fidei; quin pernicioſius foret Eccleſiæ, in hoc, quam in aliis credendis errare. Si enim regula poſſet eſſe falſa, falſum etiam eſſe poſſet regulatum: atque ſi intolerabilis foret error in Eccleſia, quando crederet librum aliquem eſſe Canonicum, qui re ipſa talis non eſſet, cum tamen ille ſit quædam fidei regula inanimata; multo intolerabilius foret errare circa verum Pontificem, qui eſt viva fidei regula. Proinde ſi circa Pontificem poſſet ſemel dari error in univerſali Eccleſia, nunquam eſſet verum, illam habere certam & infallibilem regulam vivam fidei ſibi loquentem Chriſti nomine.

XIII. Neque objiciat aliquis, ejusmodi errorem accidiſſe aliquando in Eccleſia, & reputatos eſſe Pontifices, qui tales reipſa non erant. Contra namque eſt, nullam ea de re extare hiſtoriam fide dignam. Unde quæ de Joanne VIII. de Formoſo Stephani VII. prædeceſſore, de Eugenio IV. & pluribus forſan aliis vulgo circumferuntur, partim fabuloſa ſunt, partim aliter accipienda. Sed nos ad ea alibi opportunius reſpondebimus. In præſenti illud adnotaſſe ſufficiat, accidiſſe quidem aliquando, ut Eccleſia non agnoſceret pro tempore aliquo verum & certum paſtorem; nunquam tamen accidit, nec accidere potuit, ut tota conſpiraret in unum falſum caput, exiſtimando ſcilicet verum eſſe Papam, qui verus non eſſet. Neque a priore incommodo argumentum ſumi poteſt ad poſterius. Quod enim Eccleſia aliquo tempore non agnoſcat certum paſtorem, eſt quidem non leve Eccleſiæ detrimentum; non tamen ejusmodi, quod illam exponat periculo falſorum dogmatum, & perpetui cujusdam ac vix reparabilis damni; cum omnia illa, quæ per id tempus efficiuntur a Pontificibus dubiis, valida eſſe nequeant, quia deſtituta vera authoritate Pontificia; atque ideo non exiſtimantur certa, do-

nec per certum ac indubitatum Papam ſtabiliantur. Contra vero ſi falſus Pontifex pro certo & legitimo haberetur, omnia ab illo facta & definita certiſſima pariter exiſtimarentur, cum tamen errori obnoxia eſſent; quod quam perniciosum foret & periculoſum Eccleſiæ, quis non videt?

XIV. Igitur, inquies, pro hæretico habendus erit, qui nunc regnantem Benedictum XIV. verum eſſe Pontificem, & Eccleſiæ in eo agnoſcendo infallibilitatem negaret? durum id nimium videri, & contra communem Eccleſiæ ſenſum, quæ ita ſentientes, non hæreticos, ſed ſchismaticos unitatem ſcindentes, non contra fidem, ſed contra charitatem peccare reputat.

Reſp. Hæreticos illico pronuntiandos eos non eſſe, quia non negarent pertinaciter veritatem propoſitam ab Eccleſia ut materiam fidei, cum ſententia, quam hic propugnamus, de fide non ſit. Quanquam Suarezius ingenue fateatur, ſe non videre, quomodo is, qui negaret Pontificem, ab univerſa Eccleſia abſque controverſia receptum, eſſe verum Pontificem, poſſet ab hæreſi excuſari magis, quam ſi negaret, Romanum Epiſcopum eſſe Petri Succeſſorem, & quæ ab eo definiuntur, infallibilia eſſe.

Propterea etiam nonnulli, quamvis negent, de fide haberi, hunc eſſe verum Pontificem, volunt nihilominus eſſe de fide, hunc hominem, qui certitudine quadam morali in tota Eccleſia habetur verus Pontifex, habere aſſiſtentiam Spiritus S. gaudereque omnibus privilegiis, Petro, & legitimis ejus Succeſſoribus promiſſis. At vero unde magis conſtat, ut recte contra arguit Suarez, hunc hominem a nobis exiſtimatum Pontificem gaudere reipſa privilegiis Summi Pontificis, quam eſſe verum Pontificem; neque enim unum magis quam alterum revelatum eſſe dicetur, & utrumque pendet ab exiſtimatione quadam hominum morali. Præterquam quod intelligi ſatis

tis nequeat, quomodo de fide eſſe poſſit, hunc hominem habere poteſtatem Petro & Succeſſoribus a Chriſto traditam, quin etiam de fide ſit, eum eſſe verum Pontificem, cum eá poteſtas inſeparabilis ſit a vero Pontifice. Propterea, ut argumentari pergit laudatus Author, negantes haberi de fide, hunc eſſe verum Pontificem, & credentes nihilominus fide divina quæ ab illo definiuntur, reipſa ac de facto eadem fide credunt eum eſſe Pontificem, cum credant habere ſupremam poteſtatem, omniaque privilegia Summi Pontificis, ex quadam autem ignorantia putant ſe non credere; unde ex eadem ignorantia incidunt in quandam veluti contradictionem.

CAPUT VI.

De Motivo credendi, ſeu Objecto, ut ajunt, formali, *fidei divinæ.*

I. PEr motivum credendi, ſeu objectum *formale* fidei nihil aliud intelligimus, quam rationem illam, qua intellectus excitatur ad aſſentiendum divinæ revelationi. Certum eſt autem, motivum illud credendi nullatenus eſſe humanam rationem, ut perperam ſenſerunt Manichæi, teſte Auguſtino lib. de Utilit. credendi c. 1. docentes, nihil eſſe credendum, niſi quod humana ratione intelligitur ac perſuadetur, ſuperſtitioſumque videri, fidem ante rationem imperare; quem errorem etiam Abailardo tribuit D. Bernardus epiſt. 190. ad Innocent. Ille enim primum fundamentum credendi in ratione conſtituebat, erroris occaſionem ſumens ex illo Eccleſiaſt. 19. *Qui cito credit, levis eſt corde.* Cito namque credere, ut ille dicebat, eſt adhibere fidem ante rationem; nam qui ita credit, periculo errandi ſe exponit. Et ideo admonet Joannes Epiſt. 1. c. 4. *Probate Spiritus, an ex Deo ſint?* probatio autem hæc non fit, niſi per lumen rationis; quia ſi dicatur fieri per revelationem, illa ipſa erit probanda, non aliter

certe, quam rationis lumine; in quo proinde ſiſtere oportebit, tanquam in regula credendorum: atque hoc præcipuum erat erroris iſtius fundamentum. Cui accedit, quod niſi per rationem credendum ſit, poterunt etiam credi quæ ſunt contra rationem, & ita excuſandi erunt infideles, etiamſi abſurdiſſima credant & rationi contraria, dicentes ſe credere Deo contempta ratione naturali; quod maxime abſonum videtur. Quid, quod impoſſibile ſit, credere ſine ratione oſtendente veritatem: quia credere eſt aſſentiri; non poteſt autem intellectus aſſentiri, niſi cognoſcat ac percipiat connexionem terminorum, quod certo ſine ratione non fit.

II. Ad hunc ergo errorem refutandum & veritatem ſtabiliendam, advertere oportet cum Suario Tract. de Fide Diſput. 3. Sect. 1. quatuor modis poſſe intelligi, rationem humanam neceſſariam eſſe ad credendum. 1*mo*, quia oportet prius percipere id, quod proponitur ad credendum, & intelligere ſaltem conceptu apprehenſivo, quid ſit, quod aſſeritur: atque in hoc ſenſu evidens eſt, rationem naturalem ad hanc apprehenſionem neceſſariam, eſſe etiam neceſſariam ad fidem; quomodo dixit Auguſtinus Pſal. 118. in illa verba: *Da mihi intellectum*, niſi aliquid intelligatur, nemo poteſt credere in Deum. Verum hæc intelligentia non poteſt pertinere ad objectum *formale* fidei; quia apprehenſio non eſt motivum aſſentiendi, ſed eſt una ex conditionibus ad id requiſitis. 2*do* poteſt concurrere ratio, ut oſtendens eſſe prudenter credibile id, quod proponitur, & ad hoc ſufficienter proponi: atque hic quoque rationis concurſus neceſſarius eſt ad credendum, eumque perſuadet ſententia illa ſapientis, *Qui cito credit, levis eſt corde*; quia prudentis eſt prius conſiderare, quid credat. Verum neque hoc ſpectat ad objectum *formale* fidei, ſed eſt pariter conditio prævia, de qua deinde plura dicemus. 3*tio*, poteſt eſſe neceſſaria ratio ad credendum, ut oſtendat non eſſe impoſſibilia, neque rectæ ra-

rationi contraria ea, quæ credenda proponuntur. Sed iſtud continetur ſub præcedente; non enim poteſt res aliqua prudenter judicari credibilis, niſi judicetur non impoſſibilis, vel ſaltem non probari impoſſibilis, atque adeo nec eſſe contra rationem, licet ſupra illam ſit: hoc ipſo autem non eſt objeſtum *formale* fidei, ut antea diximus, ſed ſolum conditio prærequiſita. 4*to* denique requiri poteſt ratio ad credendum, tanquam fundamentum & motivum ipſius aſſenſus, quo modo eam neceſſariam putarunt dicti hæretici.

Contra quos tamen clamat ratio ipſa & experientia, qua conſtat, præcipua fidei noſtræ myſteria, ut Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ &c. ejusmodi eſſe, ut omnem rationem naturalem tranſcendant. Propterea Apoſtolus 1. ad Cor. 2. diſerte ait: *Prædicatio noſtra non eſt in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Et 2. ad Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti;* quæ autem eſſet captivitas intellectus, ſi illa tantum crederet, quæ per rationem vera cognoſcit. Hinc & SS. Patres ubique docent, in fide non requiri, imo nec intervenire ſcientiam, ſed potius ignorantiam; non quia fides non præbeat aliquam rei cognitionem, ſed quia non oſtendit res creditas quoad earum veritatem per rationem. Ita S. Auguſtinus Serm. 1. de Trinit. *Fidelis ſum*, inquit, *credo quod neſcio.* Et Serm. 10. de verbis Apoſtoli: *Melior eſt fidelis ignorantia, quam temeraria ſcientia.* Dionyſius c. 7. de Divinis Nomin. *Fides eſt ſimplex veritatis notio, imperſuaſibili veritate certa:* vocat *imperſuaſibilem*, quia ratione probari non poteſt. Unde etiam dixit Damaſcenus Lib. 4. c. 12. *Fides eſt inſcrutabilis conſenſus;* quia non datur per rationis inquiſitionem. Sic etiam Baſilius homil. in Pſal. 115. fidem vocat *aſſenſum, nulla prævia inquiſitione nitentem.* Sic denique Nazianzenus Orat. 34. alias 2. de Theolog. fidem rationi opponens, *Fidem*, ait, *potius, quam rationem ſequamur.*

III.

III. Communis proinde & certiſſima Theologorum doctrina eſt, fidei divinæ motivum, ſeu objectum *formale* nihil eſſe humanum, ſed divinum aliquid, ſummam nempe Dei in loquendo authoritatem ſeu veritatem. Fides namque omnis, ſeu divina ſeu humana, dicentis ſive atteſtantis auctoritate nititur; hæc nos movet ad credendum, & propterea motivum fidei dici ſolet. Ergo divina auctoritas aut veracitas eſt præcipua ratio, cur myſteriis adeo occultis fidem habeamus; eſt enim id, propter quod Deo aſſentimur tanquam primæ & ſummæ veritati; qui proinde nec falli ipſe, nec fallere nos poteſt. Hinc, ut ait S. Thomas Q. 14. de ver. art. 8. *Teſtimonium veritatis primæ ſe habet in fide, ut principium in ſcientiis demonſtrativis.* Principium vero cujusque ſcientiæ eſt ratio, atque motivum, quo impellimur ad aſſentiendum concluſioni. Ergo divina auctoritas ſeu veracitas in loquendo eſt objectum *formale*, cui fides noſtra innititur; in hoc omnino ſiſtit, & ulterius non tendit: fruſtra enim quis me roget, cur veritati ipſi credam, vel auctoritati divinæ. Unde & in ſacris Litteris pro motivo credendi Religionis noſtræ myſteria, ſola paſſim proponitur authoritas Dei revelantis. Sic Prophetæ ad conciliandam verbis ſuis fidem, præmittunt quam frequentiſſime: *Hæc dicit Dominus.* Et Apoſtolus Paulus, ut induceret Galatas ad credendum firmiter Evangelio, quod eis prædicabat, ait cap. 1. v. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.* Quia ut dicitur Joan. 2. c. 5. v. 9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt:* quibus intendebat S. Joannes inducere homines ad credendum, Chriſtum eſſe Filium Dei, quia hoc teſtificatur ipſe Deus. Quo etiam medio utebatur Chriſtus, ut moveret Phariſæos ad credendum, ſe eſſe Filium Dei. Sic enim Joan. 8. v. 19. ait: *Teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater.* Et v. 26. *Qui me miſit verax eſt* &c.

IV. Dicitur autem, motivum vel objectum *formale* fidei eſſe au-

authoritatem ſeu veracitatem Dei in loquendo; quibus verbis duo exprimuntur, quæ confundi non debent, nimirum veracitas Dei, & locutio ſeu revelatio. Pro cujus intelligentia adverte, locutionem univerſim definiri, quod ſit manifeſtatio objecti & conceptus interni, per ſignum aliquod externum, a loquente ad audientem ordinata: proinde & locutio ſeu revelatio divina eſt manifeſtatio objecti & conceptus divini, ſigno exteriore a Deo facta, & ad creaturam ratione præditam ordinata. Signo, inquam, exteriore, ſaltem reſpectu Dei loquentis, quamvis non ſit ſemper & neceſſario externum reſpectu creaturæ audientis: quia Deus proprie loquitur & revelat, non ſolum quando vel per ſe, vel per Angelum, aut hominem vocibus humanis, aut ſignis aliis externis ex inſtituto hominum ſignificantibus utitur, ad manifeſtandam veritatem aliquam; ſed etiam cum illuſtrationem ſupernaturalem, & cognitionem alicujus myſterii cum iis characteribus imprimit menti hominis, ut ipſe intelligat hanc ſibi a Deo impreſſam eſſe ad manifeſtationem myſterii, & cognitionis, quam Deus habet de illo.

V. De locutione ſeu revelatione hoc modo expoſita diſceptant Scholaſtici, utrum ea ſit motivum partiale fidei, an vero mera motivi applicatio? ſeu, an ad objectum *formale* fidei divinæ ita pertineat, ut non tantum applicet authoritatem Dei ad movendum, ſed ipſa etiam partialiter moveat ad credendum? Quod quidem nos paucis expediemus; neque enim quæſtiunculis ejusmodi immorari vacat, quæ ſola fere verborum altercatione continentur. Placet itaque revelationem potius appellare medium, per quod nobis tum motivum credendi, tum ea, quæ credenda ſunt, proponuntur, quam *formale* motivum aut objectum fidei. Licet enim non credamus alicui, niſi nobis loquatur, vel revelet aliquid ſecretum; non tamen ideo ei credimus, quia loquitur, vel revelat, ſed quia exiſtimamus ipſum eſſe veracem in dictis ſuis: quod ſi

Digitized by Google

eum exiſtimaremus non eſſe veracem, ejus dictis fidem non haberemus. Igitur locutio & revelatio divina eſt quidem conditio ſeu medium nobis applicans veracitatem Dei, & ſine qua credere non poſſemus; quomodo enim crederemus Incarnationem, niſi Deus eam nobis revelaſſet? ratio tamen & motivum *formale*, ob quod Incarnationem, aut quodcunque aliud Religionis noſtræ Myſterium credimus, non eſt revelatio, ſed ſumma Dei in revelando veracitas. Quemadmodum & fides humana non alio motivo nititur, quam veracitate loquentis: nec enim ob aliam rationem credimus alicui, niſi quia veracem arbitramur, & quo magis conſtat, illum veracem eſſe, eo etiam firmior fides ejus atteſtationi habetur. Unde ſimiliter dicendum eſt, fidem divinam divina veracitate, quæ ſumma & infallibilis eſt, tanquam *formali* ratione & motivo niti.

VI. Verum quidquid ea de re ſit, ſeu ad rationem objecti *formalis* fidei pertineat revelatio, ſeu medium potius quoddam dicatur, per quod tum ipſum credendi motivum, tum res credendæ nobis proponuntur; alia hic rurſus inter Scholaſticos exoritur quæſtio: Utrum videlicet revelationi divinæ, quocunque ea demum ex dictis modo accipiatur, falſum ſubeſſe poſſit? Cujus quidem quæſtionis duplex eſt ſenſus: 1*mo*. an poſſit revelationi ſubeſſe falſum ex parte primæ veritatis revelantis, hoc eſt, an Deus, utut ſumme verax, falſum aliquid revelare & ad credendum proponere poſſit hominibus? 2*do*. an revelationi falſum ſubeſſe poſſit ex parte ejus, qui credit, hoc eſt, an quis falſo præſumens, aliquid eſſe revelatum a Deo, quod re ipſa revelatum non fuit, hoc tamen fide ſupernaturali & divina credere poſſit quaſi eſſet revelatum?

VII. Circa primum quæſtionis hujus ſenſum errarunt Priſcillianiſtæ hæretici, impie non minus quam temere affirma-

re

re auſi, non ſolum poſſe Deum mentiri & falſum dicere, ſed etiam ſæpius dixiſſe, atque mentitum eſſe in Scripturis. Ita refert Auguſtinus Lib. contra Mendac. cap. 2. & de Hæreſibus in 70. Quin & nonnulli ex Catholicis Theologis eo temeritatis devenerunt, ut aſſererent, Deum quidem nunquam falſum dixiſſe, nec de potentia ordinaria mentiri poſſe, quia ipſe lege lata mendacium prohibuit; ſed nihilominus eum poſſe de potentia abſoluta falſum dicere & revelare hominibus. Ita ſenſit Gabriel in 3. Diſt. 12, q. 1. & Diſt. 18. concl. 2. qui ad vitandam vocis invidiam, non admiſit mendacium ſub hac voce eſſe poſſibile Deo, quia mendacium, inquit, ſignificat falſum dictum cum deordinatione & malitia morali; Deus autem, licet falſum diceret, non faceret malum moraliter, & ita non mentiretur. Quam ſententiam tenuit etiam Petrus de Alliaco in 1. quæſt. 12. & Holcot in 2. Diſt. 5. Contra quos tamen non minus, quam contra hæreticos Priſcilianiſtas dicendum, ac ſentiendum eſt, Deum ita eſſentialiter eſſe veracem, ut nec de potentia abſoluta poſſit vel per ſe vel per alios, vel directe vel indirecte mentiri, ſeu falſum dicere ac revelare hominibus. Ubi obſerva, falſam loquutionem & mendacium idem omnino fore in Deo; in eo namque non habet locum deceptio vel falſitas verborum *materialis*, quia nihil ignorat, nec opinatur, nec judicat verum quod falſum eſt, nec falſum quod verum eſt, & ideo non poteſt loqui falſum quin mentiatur, ſeu contra ſuam mentem loquatur; atque ita, quamvis mendacium & falſum dictum in hominibus diſtinguantur, in Deo tamen diſtingui non poſſunt.

Hæc autem primæ & ſummæ veritati ſimpliciter repugnare, evidenti ratione oſtenditur. Nam inprimis, ſi Deus aliquid falſi annuntiaſſet hominibus, aut annuntiare poſſet, vel per ſe ipſum immediate, vel alios homines, puta Prophetas, aut Apoſtolos, id ita contingeret, vel quia Deus ipſe errore deciperetur, vel quia ho-

mines decipere vellet. Sed utrumque eſt ſimpliciter impoſſibile: nam Deus per eſſentiam ſuam eſt ens ſumme perfectum, ſumme proinde perſpicax, ita ut omnia noverit, nihil ignorare, adeoque nec decipi ulla ratione poſſit; hoc ipſo etiam ſumme eſt verax, ita ut neminem fallere, nemini falſum & mendacium annuntiare queat. Unde in Scriptura Numer. 23. dicitur: *Non eſt Deus, quaſi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur*: ſed, ut Pſal. 144. habetur, *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis.* Deinde, ſi Deus de potentia abſoluta poſſet revelare falſum, jam nulla eſſet fides noſtra, nulla amplius in nobis fidei certitudo, totaque Scripturarum authoritas corrueret, ac proinde totius Chriſtianæ Religionis fundamenta everterentur; quia ſemper incertum eſſet, an id quod credendum proponitur, verum foret, poſſet enim quivis timere, ne Deus potentia hac abſoluta dicendi falſum re ipſa uſus ſit: vel etiam quando tam affirmate promiſit, ſe nunquam mentiturum, nihil omnino erit, unde nobis perſuadere poſſimus Deum non mentiri; non ex ipſius Dei natura, ſiquidem ſupponitur, eum poſſe ſi velit falſum dicere, non etiam ex illius promiſſis, cum & hæc abſolutè loquendo falſa eſſe poſſint, utpote quæ aliunde nobis non innoteſcunt, niſi per revelationem contentam in Scripturis, ſed quæ ipſæ in eo caſu falſitati & mendacio erunt obnoxiæ. Quod ſi igitur fides noſtra debet eſſe certa, omnis dubitationis expers, & abſolute infallibilis, qualem Deus a nobis exigit in Scripturis, neceſſario ſupponendum eſt, Deum ita eſſe veracem, ut nulla omnino potentia mentiri ac falſum revelare poſſit. Propterea Apoſtólus in Epiſt. ad Hebr. c. 6. *Abundantius*, inquit, *volens Deus oſtendere pollicitationibus hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus.* Eadem hac ratione uſus eſt S. Auguſtinus Lib. de mendacio c. 8. *Quomodo*, inquit, *credendum eſt illi, qui putat aliquando eſſe men-*

tien-

tiendum, nam forte tum mentitur, quando præcipit, ut illi credamus. Et paulo poſt: *quo admiſſo omnis omnino diſciplina fidei ſubvertitur.*

VIII. Ut Adverſariorum objectionibus occurratur facilius, advertendum eſt, aliud a Catholicis illis Theologis, quos ſupra nominavimus, aliud a Priſcilianiſtis hæreticis hic opponi.

Priorum argumenta præcipua huic fere principio innituntur, quod nempe nullus ſit actus intrinſece malus, proinde neque mendacium; ſed omnis malitia moralis ſit ab extrinſeco, quia videlicet ejusmodi actus lege prohibiti ſunt, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 3. *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio.* Ex quo inferunt, potuiſſe Deum non prohibere mendacium, quo caſu non eſſet malum: & poſtquum prohibuit, potuiſſe diſpenſare in illo, ſicut diſpenſavit cum Abraham in homicidio, & cum filiis Israel in furto, quæ non ſunt minus intrinſece mala, & ita diſpenſaſſe Deum cum Jacob in mendacio, ſignificari ab Innocentio III. in C. *Gaudemus.* de Divortiis. Ergo multo magis, inquiunt, poteſt Deus de ſua abſoluta potentia ſecum, ſi ita loqui liceat, diſpenſare: vel potius quia ipſe non ſubditur legi, non obligatur illà; ac propterea non faceret malum, licet falſum diceret: non ergo veracitati divinæ repugnat falſa loquutio.

Verum principium ejusmodi non falſum modo, ſed & ſumme perniciosum eſſe, conſtat aliunde. S. Auguſtinus Lib. de Mendac. cenſet eſſe de fide, quod mendacium ſit intrinſece malum; & colligi poteſt ex Cap. *Super eo* de Uſuris, quatenus ibi dicitur, ſecundum divinam Scripturam non eſſe licitum mentiri etiam propter tuendam vitam. Sed hæc non ſunt hujus loci, iis propterea non immorabimur. Breviter dumtaxat declaraſſe ſufficiet, quædam eſſe intrinſece mala, quæ prohibentur, quia mala, & non e converſo, ut in tracta-

tu de peccatis & de legib. D. Thomas & omnes graviores docent Theologi. Et rationem aſſignant: quia ſicut in aliis rebus quædam ſunt contraria naturæ uniuscujusque rei, ſeu illi diſconvenientia, quæ eo ipſo mala ſunt tali rei; ita etiam naturæ rationali quædam ſunt per ſe & intrinſeca ratione contraria, & diſconvenientia, atque adeo reſpectu illius mala, & facta libere ſunt moraliter mala. Unde licet hæc reſpectu creaturæ ſemper ſint lege prohibita (quod Paulus loco cit. intendit) non tamen ſunt mala quia prohibita, ſed potius prohibentur quia mala. Et ideo quæ hujusmodi ſunt, Deo etiam repugnant; quia ſummo bono repugnat omne malum, etiamſi illi per legem prohibitum non ſit. Quod autem mendacium ſit hujusmodi, vel inde oſtenditur; quia evertit ordinem naturæ rationalis, & eſt contra finem verborum & locutionis humanæ: nam eo fine verbum tanquam ſignum externum inter homines inſtitutum fuit, ut ejus beneficio mentem ſuam patefacerent, & ita fidelitas in eorum Societate ſtabiliretur; quod certe totum ſubruitur per mendacium. Eſt igitur diſſonans naturæ rationali, atque adeo de ſe & ab intrinſeco malum. Unde ulterius concluditur, nunquam poſſe mendacium cohoneſtari propter bonum finem, quia ab illo eſt inſeparabilis malitia; & nunquam licet facere malum, ut inde eveniat bonum. Neque poteſt fieri licitum ex diſpenſatione divina, quia nequit Deus intrinſecam rei naturam immutare. Quidquid proinde ſit, an Deus prohibitionem ſuam auferre poſſit, nihilominus hoc etiam dato, mendacium retineret malitiam, quam ex ſe habet: quo ſenſu dicunt Theologi ea, quæ ſunt intrinſece mala, non admittere diſpenſationem etiam divinam. Neque exempla de homicidio, aut furto contrarium evincunt; quia in illis non eſt facta diſpenſatio in actione per ſe mala, ſed eſt facta mutatio in objecto, per quam fit, ut actio non ſit eadem, ut fuſius oſtenditur in Tract. de Legib. Et juxta hoc etiam intelligendum eſſe ſupra citatum

Digitized by Google

tum Cap. *Gaudeamus*, docet Suarez Diſp. 3. Sect. V. Non enim, inquit ille, fieri potuit per revelationem, ut liceret Jacobo mentiri; potuit tamen per revelationem fieri, ut ſignificatio verborum ejus non eſſet falſa, quia per revelationem cognovit ſe eſſe primogenitum in re & ordinatione divina. Sic ergo per revelationem fieri potuit, ut verba illa haberent verum ſenſum & menti conformem, quem ſine revelatione non haberent; & conſequenter factum eſt, ut non eſſet mendacium, quod alias eſſet: non eſt tamen factum, ut manente mendacio, ab eo ſeparetur malitia. Cum ergo Deus nullum malum operari poſſit, neque mentiri aut falſum dicere, quod in Deo idem omnino fore oſtendimus, ullo modo poterit.

IX. Priſcilianiſtæ vero, ut impiam ſuam doctrinam ſtabiliant, varia producunt Scripturarum loca, eaque manifeſtæ falſitatis arguere non verentur. Nos iis hic ex propoſito non reſpondebimus, quia id magis pertinet ad Tractatum de Scripturis. Solum advertimus, ad quatuor Capita revocari poſſe quæcunque ex Sacris Litteris objiciuntur; ea nos ſolum attingemus, & reſponſionum fontes præcipuos indicabimus.

Primum eſt quorundam locorum, quæ videntur inter ſe pugnare & ſibi eſſe contraria. Unde ſequitur, Deum in uno Scripturæ loco vere locutum eſſe, & in altero veritati contradixiſſe; nam qui dicit contraria, neceſſe eſt, ut in aliquo eorum falſum dicat. Sed hæc facile conciliantur juxta verum utriusque loci ſenſum, ut recte probat S. Auguſtinus in Lib. *de conſenſu Evangeliſtarum*, & paſſim videre eſt apud Scripturæ Interpretes. Ex. gr. apud S. Joan. c. 14. Chriſtus dixiſſe legitur, *Pater major me eſt*; & c. 10. dixerat, *Ego & Pater unum ſumus*. Quæ verba, licet primo intuitu inter ſe pugnare videantur, optime tamen cohærent, & veriſſima ſunt. Prior enim locus intelligendus eſt de Chriſto ut homine, ſe-

cun-

cundus de eodem ut Dei Filio, & ejusdem cum Patre ſubſtantiæ & naturæ.

Secundum caput eſt eorum, in quibus Viri Sancti, & divino Spiritu ducti falſum dixerunt; ut cum Abraham Gen. 20. dixit, Saram non eſſe ſuam conjugem, ſed ſororem. Et c. 22. reverſurum ſe aſſeruit ex monte cum Iſaac, quem tamen putabat mox immolatum iri. Similiter Jacob Patri ſuo aperte mentitus eſt, cum dixit Gen. c. 17. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau.* Tametſi enim fuiſſet primogenitus jure & ordinatione divina, ut ſuprà ex Suario annotatum eſt, reipſa tamen non erat Eſau. Verum ad hæc & alia ejusmodi exempla reſponderi ſolet, non conſtare, num dicti Patriarchæ & alii ſimiles in ſingulis verbis Spiritu Dei locuti fuerint. Quamvis enim Scriptura Sacra ab omnibus fidelibus ſpectari debet tanquam ſincerum Dei verbum, quod divinitus inſpiratum eſt, non tamen propterea ſequitur, omnes qui inducuntur in ea loquentes ſemper verum dicere, & nunquam mentiri. Nonnunquam enim Scriptores Sacræ Hiſtoriæ referunt quædam male geſta aut dicta ab aliis hominibus, quæ ab omni culpa & peccato excuſari non poſſunt. Igitur etiam dicti Patriarchæ poterant interdum lingua delinquere, præſertim leviter. Ita illos Theologorum alii accuſant: alii vero excuſant cum D. Thoma, qui 2da 2dæ Q. 110. art. 3. ad 3. dicit, intelligi debere, *ea figuraliter & prophetice dicta* eſſe: & nominatim Jacobum *myſtice dixiſſe*, ſe eſſe Eſau primogenitum Iſaac, ad deſignandum Myſterium, quod videlicet minor populus, ſcilicet Gentilium, ſubſtituendus erat in locum primogeniti, nempe in locum Judæorum. Ita etiam ſentit S. Auguſtinus Lib. de Mendac.

Tertium ea Scripturæ loca continet, in quibus leguntur quædam prædictiones, vel promiſſiones divinæ, quæ non videntur impletæ. His reſpondet idem Doctor Angelicus 1. q. q.

p. q. 19. a. 7. ad 2. ejuſmodi Prophetias fuiſſe tantum vel comminatorias, vel conditionatas. Interdum enim, ut ait S. Doctor, Deus promiſit, aut prædixit aliquid, non quod abſolute futurum erat, ſed tantum ſub certa conditione, quam tamen ob rationes ſibi ſoli notas reticebat, nec ab aliis cognoſci volebat.

Ad quartum denique caput revocantur ii Scripturæ textus, quibus Deus ipſe profitetur ſe homines decepturum, errorem & mendacium Prophetis inſpirando: ut cum Ezechiel. 14. c. dicitur: *Homo de domo Iſrael . . . ſi alienatus fuerit a me, & poſuerit idola ſua in corde ſuo . . . Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 2. Regum c. 22. *Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum; ut* nempe deciperent Achab Regem Iſrael. Unde Job. 12. c. dicitur: *Qui immutat cor Principum, & decipit eos, & errare facit eos ſicut ebrios.*

Sed facile reſpondetur, his & aliis ſimilibus Scripturæ locis ſignificari tantum permiſſivam Dei voluntatem, qua ſinit iſta hominibus evenire in pœnam præcedentium ſcelerum. Quo ſenſu etiam dicitur Deus peccatores excæcare aut obdurare, videlicet negative & permiſſive, quia eos non illuminat, neque corda eorum emollit. Atque hic modus ſufficit, ut Deus puniat quempiam per errorem vel deceptionem, non activam, ut dici ſolet, ſed paſſivam, permittendo illam, non intendendo: hic enim modus eſt ſufficiens, & magis conſentaneus divinæ ſapientiæ & bonitati. Neque obſtat, quod Scriptura aliquando Deo veluti cauſæ tribuat id, quod ſolummodo ab eo permittitur: quia, ut obſervat S. Damaſcenus L. 4. de fide c. 20.

Moris eſt divinæ Scripturæ permiſſionem Dei vocare ejus actionem. Unde S. Auguſtinus L. 13. de Trin. c. 2. *Modus*, inquit, *quo traditus eſt homo in diaboli poteſtatem, non ita intelligendus eſt, quaſi hoc Deus fecerit, aut fieri juſſerit; ſed quod tantum permiſerit.*

IX. Alteram propoſitæ quæſtionis partem quod attinet, utrum videlicet revelationi divinæ falſum ſubeſſe poſſit ex parte credentis? ſeu, an quis poſſit fide divina credere aliquid quaſi a Deo revelatum, quod reipſa revelatum non fuit? Reſpondendum eſt cum communi Theologorum, revelationi divinæ etiam in hoc ſenſu falſum ſubeſſe non poſſe; atque adeo aſſenſum illum, quo quis crederet aliquid, quod revera non eſt a Deo revelatum, tametſi errore facti hoc ipſum revelatum putaret, non fore aſſenſum fidei ſupernaturalis. Ratio eſt: quia ad aſſenſum fidei ſupernaturalis requiritur neceſſario, ut ille ſuum habeat proprium ac legitimum objectum, quod idem commune eſt cuilibet alteri aſſenſui. Aſſenſus enim, ſeu actus e. g. ſcientiæ debet neceſſario habere pro objecto aliquid evidens, opinio aliquid probabile, ex ea nimirum cauſa, quod actus, ut Scholæ loquuntur, ſpecificentur ab objectis. Atqui verum ac legitimum fidei divinæ objectum eſt id omne, quod eſt a Deo revelatum; ſubjecta namque fidei materies, ut ſupra oſtendimus, ſunt omnes ac ſolæ veritates a Deo revelatæ: revelatum autem dicimus non quod ſolum præſumitur revelatum, ſed quod re vera revelatum fuit. Igitur objectum fidei divinæ debet neceſſario eſſe aliquid vere a Deo revelatum.

Hoc ipſum deduci poteſt ex Concilio Trid. quod Seſſ. VI. cap. 9. refellendo inanem hæreticorum fiduciam, ait, *quod nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei conſecuturum.* Ergo fidei divinæ aſſenſus ita certus eſt, ut illi nullo modo falſum ſubeſſe poſſit. Unde ſequi-

Digitized by Google

quitur, aſſenſum illum, cui falſum ſubeſt, aut ſubeſſe poteſt, non eſſe fidei divinæ. Et ratio inſuper eſt, quod ſi quis credendo aliquid ex motivo fidei & tanquam revelatum a Deo, quod re ipſa revelatum non eſſet, eliceret verum actum fidei divinæ, ſequeretur, habitum fidei ſupernaturalem a Deo infuſum poſſe intellectum hominis inclinare ad actum falſum & erroneum, ad illum nempe actum, qui verſaretur circa objectum, quod crederetur revelatum, reipſa tamen revelatum non eſſet; quod certe abſurdum eſt conſequens; quia habitus fidei, utpote a Deo infuſus, eſt de ſe bonus, & natura ſua inclinat ad actum verum.

X. Opponi quidem hic ſolet exemplum hominis rudis, qui audiens a Parocho prædicari tanquam fidei articulum, quod Spiritus S. ſit incarnatus, hoc ipſum crederet fide divina: quia ſi revelationi quamvis pure apparenti de Incarnatione Spiritus S. ſibi tamen evidenter propoſitæ ut credibili nollet præbere aſſenſum, committeret peccatum infidelitatis: ergo quando credit, aſſenſus ille eſt fidei divinæ.

Sed reſpondetur: Aſſenſum ejusmodi non eſſe fidei divinæ, niſi apparenter ſolum & ad ſpeciem, quemadmodum objectum, quod creditur, eſt tantum apparenter & præſumptive revelatum. Rudis ergo ille homo, licet putaret ſe credere fide divina, reipſa tamen ita non crederet, quia in re non eſſet revelatum, quod ei proponitur, nec revelari poſſet utpote falſum. Attamen committeret peccatum infidelitatis, ſi revelationi ſibi credibiliter propoſitæ aſſenſum præbere nollet: quia peccatum iſtud conſiſtit in affectu incredulitatis, quo quis non vult aſſentiri objecto ſibi hic & nunc evidenter propoſito ut credibili & credendo; hoc ipſo enim eſt ita affectus atque diſpoſitus, ut nolit aſſentiri, tametſi reipſa foret revelatum, ad qualem affectum ſufficit revelatio exiſtimata; ſufficit enim exiſtimare, aliquid eſſe de fide, & nolle illud cre-

dere. Contra vero cum actus fidei divinæ utpote actus intellectus non conſiſtat in mero credulitatis affectu, ſed in ipſo effectu, ſeu aſſenſu, eoque ſupernaturali & certiſſimo, manifeſtum eſt, ad eum habendum non ſufficere revelationem exiſtimatam, ſed debere eſſe in re talem, ſine qua nec ſupernaturalis, nec certiſſimus eſſe poteſt aſſenſus, atque adeo eſſe non poteſt aſſenſus fidei divinæ.

XI. Neque majoris eſt momenti altera objectio, quæ hic pariter fieri conſuevit; videlicet, aſſenſum illum, quem quilibet fidelium elicit circa hanc, aut illam hoſtiam conſecratam in particulari, de præſentia ſcilicet Corporis Chriſti ſub illius ſpeciebus, eſſe verum actum fidei ſupernaturalis: fieri autem poſſe, ut ibi non ſit Corpus Chriſti, vel defectu intentionis Miniſtri, vel defectu materiæ; ac proinde in illa hypotheſi poſſe revelationi & fidei ſupernaturali ſubeſſe falſum.

Facilis namque ad hæc eſt reſponſio, ſi cum S. Thoma 2. 2 q. 1. a. 3. ad 4. duplex hic diſtinguatur aſſenſus: unus, quo quis in genere credit, Corpus Chriſti eſſe vere & realiter ſub ſpeciebus panis rite conſecratis; alter, quo credit, has panis ſpecies eſſe rite conſecratas, ac proinde Corpus Chriſti ſub illis realiter contineri. Prior ille aſſenſus eſt fidei ſupernaturalis, cum revelatione divina nitatur; non item poſterior. Non enim ex revelatione divina ſcimus, hunc hominem eſſe Sacerdotem, in conſecratione debitam intentionem habuiſſe &c. imo nec certitudinem moralem proprie talem habemus de his omnibus in particulari, ſed magnam dumtaxat probabilitatem, quæ non ſufficit ad fidei divinæ aſſenſum. Unde tamen non ſequitur, hanc in particulari hoſtiam non poſſe abſolute adorari, ſed ſolum ſub conditione, quod rite conſecrata ſit. Nam in praxi virtutum moralium (de quarum numero eſt ipſa Religio, per quam cultus latriæ reddi-

ditur Sacramento Euchariſtiæ) ſufficit, ut qui illarum actus exercet, id faciat juxta rectam rationem, & prudens judicium. Unde cum in præſenti caſu prudenter judicetur, hoſtiam illam in particulari eſſe rite conſecratam, nec ulla ſubſit rationalis cauſa dubitandi de valore conſecrationis; hinc fit, ut non ſolum licite poſſimus, ſed etiam ut obligemur ad reddendum latriæ cultum huic hoſtiæ conſecratæ, ſub cujus ſpeciebus Corpus Chriſti eſſe, prudenter & ſecundum rectam rationem judicamus.

Hinc tamen inferre non licet: ad eliciendum actum virtutis moralis e. g. religionis in adoratione hoſtiæ ſufficit, quod hæc hoſtia prudenter exiſtimetur eſſe valide conſecrata. Ergo ſimiliter ad verum fidei divinæ actum ſat erit, quod ejus objectum ſit apparenter, & ex prudenti hominum judicio verum, & a Deo revelatum.

Diſcrimen namque in eo eſt, quod ad exercitium virtutis moralis ſufficiat univerſim, ſi quis operetur juxta dictamen practicum, hoc aut illud, ſpectatis omnibus circumſtantiis, eſſe faciendum, vel recte ac laudabiliter fieri, e. g. adorandam eſſe hanc hoſtiam, de cujus valida conſecratione prudenter dubitari non poteſt. Ex adverſo nullum dictamen, quantumcunque prudens, abſque revelatione reipſa exiſtente, poteſt aſſenſui adferre infallibilitatem fidei divinæ.

SE-

SECTIO SECUNDA

De propoſitione Objecti fidei ſufficiente, ac neceſſaria ad credendum.

DIctum eſt hactenus de toto fidei objecto, tam *materiali*, quam *formali*: indicatum eſt etiam, his duobus includi revelationem, tanquam conditionem, & medium, quo utrumque nobis objectum applicatur. Dicendum nunc reſtat de alia conditione, tam ex parte objecti, quam ex parte revelationis neceſſaria, nimirum ut hæc duo ſufficienter proponantur ad credendum; cujus conditionis neceſſitas ex ipſa fidei obſcuritate naſcitur. Cum enim res credendæ plerumque in ſe non videantur, neque etiam revelatio ut emanans a Deo, nec Deus ipſe ut revelans & teſtificans evidenter cognoſcatur; ideo neceſſe eſt, ut totum objectum credendum, & revelatio ejus certo modo proponatur, & offeratur menti hominis, quo circa illa verſari, & aſſenſum præbere valeat. De hac igitur conditione, & propoſitione objecti fidei ſequentibus capitibus diſſeremus, ac tria potiſſimum circa illam explicabimus. Primum, cuinam fieri poſſit, aut debeat. Secundo, quomodo eam fieri, aut qualem eſſe oporteat. Tertio, an re ipſa in fide noſtra, non ſufficienter modo, ſed perfectiſſime etiam reperiatur.

CAPUT I.

Utrum ad credendum fide divina neceſſarium ſit, objectum revelatum proponi publice per Eccleſiam? an vero ſufficiat, ſi privato cuipiam reveletur?

SEnſus præſentis controverſiæ eſt, an, ſi cuipiam fidelium certo innoteſcat, ſibi aliquid a Deo revelatum eſſe,

ſe, id ei poſſit ſufficere ad credendum; an vero ſemper neceſſe ſit, revelationem toti Eccleſiæ fieri, & ab hac veritatem revelatam fidelibus ad credendum proponi. Unde aliis verbis hæc quæſtio ita inſtitui ſolet: utrum ad credendum fide divina neceſſaria ſit revelatio publica, an vero ſufficiat etiam privata? Publica revelatio dicitur illa, quæ Prophetis & Apoſtolis facta eſt pro tota Eccleſia, & poſtea per univerſum orbem evulgata. Privata autem eſt ea, quæ fit privatim alicui ſine ullo ordine ad cæteros homines, nec ab Eccleſia proponitur omnibus fidelibus credenda; ut cum Deus alicui Sancto revelat, ipſum eſſe de numero prædeſtinatorum. Quod ſi tamen Deus aliquid cuipiam revelaret ex intentione, ut revelatio Eccleſiæ tradatur per eum, cui fit; ejusmodi revelatio cenſeretur publica, quamvis uni tantum homini immediate facta: quomodo legem antiquam Moyſi revelavit Deus in ordine ad totum Judaicum populum. Revelatio autem privata non eſt confundenda cum privato cujusque hominis ſpiritu, quo uno tanquam fidei regula infallibili veritatem ab errore, & genuinum Verbi divini ſenſum diſcernunt Novatores noſtri, qui tamen ſpiritus re ipſa nil aliud eſt, quam proprium cujusque judicium, cui pertinaciter adhærent, aliorumque ſententiam damnant: cum e contra revelatio privata ſit vera revelatio, facta a Deo credibiliter ſine ordine ad Eccleſiam. Sed de illo privato ſpiritu hæreticorum dicemus alibi. Nunc vero ut propoſitæ quæſtioni ſatisfiat, ſit

ASSERTIO UNICA.

Ad fidem divinam, ordinarie loquendo, revelatio debet eſſe publica, videlicet per propoſitionem & authoritatem Eccleſiæ. Quandoque tamen & in caſibus extraordinariis ſufficit etiam revelatio privata.

PRob: *quoad utramque partem:* Et inprimis indubitatum eſt, ad hoc, ut quis prudenter & cum judicio credat quid-

quidquid revelavit Deus, ipſi certo conſtare debere, hoc, aut illud fuiſſe a Deo revelatum. Sed aliud hominibus non ſuppetit medium, quo id re ipſa conſtare poſſit, quam authoritas Eccleſiæ illud indicantis, proponentis, teſtificantis, excepto caſu aliquo extraordinario, quo revelatio divina cuipiam privato innoteſceret per miracula, & certa quædam ſigna externa. Ergo extra ejusmodi caſum, vel recurrendum eſt ad Eccleſiam, ejusque teſtimonio adhærendum, vel certe unicuique licitum erit, judicare privato lumine, quid ſit revelatum, quid credendum: quod ſi admittatur, tota corruit religionis noſtræ certitudo; neque fides una amplius erit in omnibus fidelibus, ſed varia, & multiplex pro diverſo credentium ſenſu & affectu. Igitur ad bene & legitime credendum, revelatio debet innoteſcere, & confirmari per authoritatem Eccleſiæ, quæ a Chriſto, & Apoſtolis edocta, ſola eſt veræ fidei cuſtos & interpres, ſolaque authentico judicio poteſt veram fidei revelationem a falſa diſcernere. Hinc eſt, quod Chriſtus Dominus Matth. ultimo dixerit ſuis Apoſtolis, & in eorum perſona omnibus Paſtoribus: *Euntes docete omnes gentes.* Et Marc. 16. *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ.* Item Matth. 18. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Ex quibus apparet, hanc credendi regulam a Domino inſtitutam eſſe, ut per miniſterium Eccleſiæ, per Paſtores & Doctores diſcant populi, quid ſit credendum, quomodo fides vera a falſa diſcerni debeat. Ergo revelatio debet eſſe publica, ut objectum revelatum ad fidem pertineat.

III. Poteſt tamen aliquando etiam privata ſufficere ad credendum, cum nempe, ut diximus, alicui certo innoteſcit, revelationem ſibi a Deo factam eſſe. Cum enim fides divina ſit actus, quo intellectus ex imperio voluntatis aſſentitur veritati revelatæ propter Dei revelantis authoritatem, poterit voluntas intellectui imperare, ut ita aſſentiatur, etiam cum privata tantum

tum habetur revelatio, modò ſit evidenter credibile, eam eſſe revelationem divinam: nam authoritas Dei revelantis tam digna eſt aſſenſu ſuper omnia firmiſſimo, cum privatim revelat, quam cum revelat publice, modo revelet credibiliter.

Unde etiam Concilium Trid. Seſſ. 6. Can. 16. cum docet, neminem poſſe eſſe certum, certitudine fidei, de finali ſua perſeverantia, niſi hoc didicerit ex ſpeciali revelatione; aperte ſupponit, ſatis eſſe ad aſſenſum ſupernaturalem fidei, aliquid diſcere & accipere a Deo per privatam revelationem. Neque aliud certe ſupponere potuit, cum ab ipſis ſacris Litteris recenſeantur privatæ quædam revelationes a Deo factæ, quibus fides habita eſt. Sic Gen. 15. refertur, Abrahæ revelatum fuiſſe a Deo, filium ipſi ex Sara ſterili naſciturum, quod ipſe credidit: hinc de illo dixit Apoſtolus ad Rom. c. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Et ab eodem Apoſtolo ad Hebr. 11. c. laudantur etiam alii Patriarchæ, & Prophetæ, Iſaac, Jacob, Jephta, David &c. eo quod privatis revelationibus fidem adhibuerunt. Quid, quod & Apoſtolus ſine propoſitione Eccleſiæ crediderit Evangelio, ut de ſe teſtatur ipſe in Epiſt. ad Galatas cap. 1. ubi ait, ſe non accepiſſe Evangelium ab homine, neque didiciſſe, ſed accepiſſe per revelationem Jeſu Chriſti. Ergo revelatio privata ad fidem ſufficit, in caſibus nempe extraordinariis, & cum certo conſtat, revelationem divinitus factam eſſe.

IV. Quod ideo additur, ut cauti ſint fideles & circumſpecti in adhibenda fide privatis ejuſmodi revelationibus, ne falſæ videlicet pro veris accipiantur. Nam, ut ipſe nos monet Apoſtolus 1. ad Theſſal. c. 5. audiendus eſt quidem ſpiritus interius loquens, ſed & ex altera parte eſt probandus: *Spiritum nolite extinguere .... omnia autem probate.* Quia ut ait 2. ad Corinth. c. 11. *Pſeudo-Apoſtoli ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti: Et non mirum: ipſe Sata-*

nas transfigurat ſe in Angelum lucis. Experientia ſane nimis crebra nos docet, plurimas revelationes, quas perſonæ privatæ ſibi factas prætendunt, variis illuſionibus, & erroribus refertas eſſe. Unde Syneſius Epiſt. 54. jam ante duodecim ſæcula conqueſtus eſt, multos tunc temporis privatos homines etiam Sacerdotes finxiſſe ſomnia pro revelationibus. Ipſa nempe frequentia nimia revelationum merito illas ſuſpectas reddere debet. Neque enim Deus, niſi maximis & graviſſimis de cauſis aliquid revelare conſuevit. Et quamvis ante Chriſti adventum eſſent crebriores revelationes, eo quod mundo errorum tenebris conſepulto, tunc eſſent neceſſariæ, ut illis quibusdam veluti facu lis in ea ignorantiæ nocte hominum cæcitas levaretur. At nunc exorto veritatis ſole, & diffuſa undequaque Evangelii luce, cum minus neceſſariæ ſint, rarius etiam a Deo fieri ſolent. Ut ergo veritas ab errore & illuſione dignoſcatur, utque revelationi fides ſupernaturalis adhiberi poſſit, debet ſigno aliquo tam evidenti conſtare, eam divinitus immiſſam eſſe, ut nemo prudentum vel leviter dubitare queat. Unde Innocentius III. Cap. *cum ex injuncto*, monet nulli privatæ revelationi fidem eſſe adhibendam, niſi miraculo, aut alio ſufficienti ſigno externo vel interno confirmetur.

Ubi præterea obſervandum venit, privatam hujusmodi revelationem ordinari poſſe vel ad ipſum recipientem, vel ad alios; communiter tamen ordinatur ad inſtructionem & directionem ipſius recipientis: unde is ſolus obligatur ad illi fidem adhibendam, in aliis vero rarior eſt hæc obligatio, quia illis non ſufficienter proponitur. Generalis eſt regula, requiri approbationem Eccleſiæ, ut alii credere teneantur; quod colligitur ex Concilio Later. ſub Leone X. Seſſ. 11. ubi prohibentur prædicari revelationes ſpeciales ſine examine, & approbatione Eccleſiæ. Quapropter tam illum qui recipit revelationem, quam etiam alios ſpectat monitum Pauli, probandos nimirum eſſe Spiritus, an ex Deo

ſint.

Digitized by Google

ſint. Conſuli ea ſuper re poterit præter alios D. Thomas in illud Apoſtoli ſupra citatum: *Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Et Joannes Gerſon in Tractatu de probatione ſpirituum.

V. *Oppon.* Secundum legem Dei ordinariam non creditur ſine medio illo, quod Chriſtus inſtituit, ut fidei dogmata propagarentur. Atqui tale medium, & quidem unicum, eſt propoſitio veritatum revelatarum, facta ex authoritate Eccleſiæ. Ergo revelatio privata, & quæ ab Eccleſia non proponitur, non erit ſufficiens medium ad credendum. *Min. prob.* ex SS. Auguſtino, & Thoma. Prior enim Lib. contra epiſtol. quam vocant fundamenti, cap. 5. ſic ait: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret authoritas; qua ſublata, nec jam Evangelio credere potero.* Alter vero 2. 2. q. 5. art. 3. in Corp. *Formale objectum fidei eſt veritas prima, ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis Sacris, & doctrina Eccleſiæ.*

Reſp. Diſt. maj. Secundum legem Dei ordinariam non creditur fide catholica ſine medio illo, quod Chriſtus inſtituit &c. *Conc. maj.* non creditur fide theologica & ſupernaturali, *Neg. maj.* Solent hoc loco Scholaſtici diſtinguere inter fidem catholicam, & præciſe theologicam ſeu ſupernaturalem. Fidem catholicam vocant illam, cujus objectum eſt veritas ad communem doctrinam pertinens, totique Eccleſiæ ad credendum propoſita: theologicam autem illam, quæ pro objecto habet quidquid a Deo revelatum fuerit, etiamſi ad communem Eccleſiæ doctrinam non pertineat, ſed ſolum dirigatur ad particularem perſonam, cui fit revelatio. Quæ quidem diſtinctio non eſt ſecundum eſſentiam, utraque enim fides eſt vere divina & ſupernaturalis; ſed ſolum eſt ſecundum accidens, ſecundum diverſam ſcilicet materiam, aut modum, vel medium recipiendi revelationem a Deo. Quamvis ergo

ſecundum legem ordinariam ad credendum fide Catholica, ſeu ad aſſenſum præbendum veritatibus ad communem Eccleſiæ doctrinam pertinentibus, neceſſarium ſit medium a Christo inſtitutum, propoſitio ſcilicet revelationis & veritatum revelatarum, Eccleſiæ authoritate facta; non eſt tamen neceſſarium iſtud medium ad credendum ſimpliciter fide theologica & ſupernaturali: ad hoc enim ſufficit, ut præbeatur aſſenſus firmiſſimus veritati cuicunque revelatæ propter authoritatem & teſtimonium revelantis Dei; ejuſmodi namque aſſenſus eſt actus ſupernaturalis, habens pro objecto veritatem revelatam, & pro motivo authoritatem Dei revelantis; nihil proinde illi deeſt ad actum fidei divinæ. Imo etiam ad fidem catholicam abſolute neceſſaria non eſt authoritas Eccleſiæ proponentis, cum aliter poſſint annuntiari fidei dogmata, & interdum aliter annuntiata fuerint cum ſufficienti credibilitate ad credendum fide divina, ut jam ſupra notatum eſt.

Unde patet reſponſio ad adducta SS. Auguſtini & Thomæ teſtimonia. Angelicus nempe Doctor ſolum loquitur de fide catholica, quæ ordinarie loquendo innititur revelationi per Eccleſiam propoſitæ. Auguſtinus vero verbis illis nihil aliud ſignificare intendit, quam ſine Eccleſiæ teſtimonio ſe non habere ſufficientem credibilitatem de veritate Evangelii. Quod recte dictum eſſe a S. Doctore agnoſcimus: neque enim ordinarie loquendo alia habetur Evangelii applicatio & regula illud credendi ut verbum Dei, quam Eccleſiæ propoſitio; quamvis id, ſicut & aliæ veritates revelatæ, alia via poſſet proponi: ut evidenter credibile, ut ſi quis privatam revelationem acciperet, vel miraculum aliquod a Deo patrari videret, ad probandam & confirmandam Evangelii veritatem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Quomodo proponi debeat objectum fidei, ut ad credendum fide Chriſtiana ſufficiat?

I. QUo mens hominis prudenter iis, quæ proponuntur ad credendum, aſſentiatur; præter alia requiritur etiam quædam intellectus perſuaſio, qua eadem ſibi fiant credibilia, neque ulla cauſa ſit, ob quam judicet talia nec credi poſſe, nec debere. Non enim ita voluntatem gratiæ ſuæ afflatu impellit Deus, ut leviter & temere credamus; atque rationabile a nobis obſequium is poſtulat, non ut caſui aut fortunæ fidem omnem noſtram permittamus. Quapropter immerito olim Gentiles, ut refert Baſilius in Pſal. 115. Chriſtianos reprehendebant, quod ſine ratione, vel ut ipſis videbatur, contra rationem crederent: de quibus dixit Paulus 1. ad Cor. 1. v. 18. *Verbum crucis pereuntibus videri ſtultitiam;* & v. 23. *Chriſtum crucifixum Judæis eſſe ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam:* inter quos etiam erat Porphirius, & Julianus Apoſtata, qui teſte D. Hieronymo in Matth. irridere ſolebant ſtultitiam Chriſtianorum, quod doctrinam & vocationem Chriſti ſequerentur. Unde nonnulli hæretici, quos ſupra refutavimus, ad vitandas ejusmodi reprehenſiones in aliud extremum inciderunt, docentes, nihil eſſe credendum, niſi quod ratione oſtendi poteſt. Vera autem & Catholica doctrina mediam hic viam tenet: nam & levitatem animi, & cordis duritiem reprehendit in credendo; docetque, quamvis non ſemper poſſimus rationem reddere propriam earum rerum, quas credimus, poſſe nihilominus nos ſufficientem rationem reddere, cur credamus. Sic enim dixit Petrus 1. Cap. 3. *Paratos nos eſſe debere ad reddendam rationem ejus, quæ in nobis eſt ſpei, ſeu fidei.* Hanc ergo rationem in præſenti inquirimus; nam ex hoc pendet, ut ſciamus, quomodo poſſit talis eſſe propoſi-

tio objecti fidei, ſeu quomodo poſſit myſterium aliquod revelatum, ipſaque divina revelatio ita proponi, ut ſit rationi conſentaneum eidem aſſenſum præbere.

ASSERTIO.

Ad ſufficientem objecti fidei propoſitionem neceſſarium eſt, ut id quod proponitur, fiat certo & evidenter credibile, evidentia ſcilicet morali, excludente omnem prudentem formidinem de oppoſito, fundata in motivis credibilitatis: proinde non ſufficit judicium ſolum probabile de credibilitate myſteriorum.

II. PRob. Aſſenſus fidei divinæ eſt aſſenſus firmiſſimus, appretiative ſummus de myſteriis a Deo revelatis, quæ maxima ex parte ſunt obſcura, creditu difficilia, ſupra humanæ mentis captum poſita. Sed ejusmodi aſſenſum nobis imperare prudenter non poſſumus, niſi id, quod credendum proponitur, ſit certo & evidenter credibile evidentia morali proprie tali, hoc eſt, niſi per motiva credibilitatis, de quibus dicemus poſtea, nobis ita evidenter appareat, illud eſſe a Deo revelatum, ac ſubinde certum & infallibile, ut non niſi imprudenter ac temere negari, vel in dubium revocari poſſit. Ergo ad ſufficientem objecti fidei propoſitionem non ſufficit judicium probabile de credibilitate myſterii, ſed neceſſe eſt, ut res fide divina credenda fiat certo & evidenter credibilis. Etenim per judicium dumtaxat probabile de revelatione divina, & myſterii credibilitate non poteſt voluntas noſtra prudenter induci, ut aſſenſum illum firmiſſimum ſibi imperet; cum fieri poſſit, ut appareant rationes efficaciores in oppoſitum, cumque judicium hujusmodi nos exponat manifeſto erroris periculo: ſiquidem non defuerunt homines, qui mendacium ſub Dei nomine locuti ſint, ut habetur Jeremiæ 23. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non*

lo-

Digitized by Google

loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Igitur firmiſſime, & tuto credere non poſſumus, niſi certo & evidenter conſtet, Deum revelaſſe quæcunque credimus, tanquam a Deo revelata. Unde jure merito damnata eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus.* Ergo ſtare non poteſt cum notitia ſolum probabili revelationis; igitur neque cum judicio ſolum probabili de credibilitate myſteriorum, nam judicium mere probabile de myſteriorum credibilitate eſt etiam judicium mere probabile de exiſtentia revelationis.

Hinc etiam S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 4. ad 2. docet, ea quæ ſubſunt fidei, ab illo, qui credit, eſſe viſa ſub communi ratione credibilis. Et hanc rationem ſubdit: *Non enim crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujusmodi.* In quem locum Suarius noſter Diſp. IV. Sect. 2. monet, notandam eſſe diſtinctionem & variationem illorum verborum *credere*, & *videre*; nam prius dicit obſcuritatem, poſterius vero claritatem & evidentiam; quæ duo non repugnant, quia verſantur circa diverſa: creditur enim aliquid ſub ratione veri, videtur autem ſub ratione credibilis; qua diſtinctione facta occurritur præcipuæ Adverſariorum objectioni, ut ex nunc dicendis patebit.

Reſpondetur ad Objecta.

III. OBjic. 1°: Si ad fidem divinam neceſſe eſt, ut id quod ad credendum proponitur, fiat evidenter credibile, jam fidei noſtræ certitudo pendebit ab aliquo judicio pure humano, nimirum quo judicatur ex motivis credibilitatis, Deum revelaſſe quæ credenda proponuntur. Atqui abſurdum

eſt

eſt, conſequens. Ergo. *Maj.* propoſitio negari non poteſt: quia certitudo fidei pendet neceſſario a certitudine revelationis, certum proinde eſſe non poteſt illud omne quod Deus revelavit, niſi certo conſtet, Deum illud revelaſſe. *Min.* quoque probatione non eget; quia ſi certitudo fidei penderet ab aliquo judicio pure humano, eo ipſo niteretur judicio incerto & fallibili, quod evidenter abſurdum eſt.

Reſp. Conc. maj. ſano ſenſu intellectam; & eodem ſenſu *Neg. min.* Neque enim abſurdum eſt affirmare, fidei certitudinem aliqua ratione pendere a judicio humano & naturali; quatenus nempe nemo legitime adduci poteſt ad aſſentiendum alicui veritati ex motivo fidei divinæ, hoc eſt, quia ejuſmodi veritas eſt a Deo revelata, niſi prius ipſi aliquo modo innotuerit, Deum re ipſa revelaſſe quod proponitur credendum tanquam a Deo revelatum: non poteſt autem id innoteſcere per aliam revelationem, quia hæc revelatio innoteſcere deberet rurſus per aliam, & ſic daretur progreſſus in infinitum: ergo neceſſe eſt ut innoteſcat cognitione mere naturali, per motiva nimirum credibilitatis, quæ adjuvante lumine & diſcurſu naturali poſſunt evidenter cognoſci. Neque timendum eſt, ut quidquam propterea e certitudine fidei noſtræ detrahatur; quia illa omnia, quibus velut præambulis nititur, tametſi per fidem divinam non attingantur, ſed naturali ſolum lumine ſint cognita, ejuſmodi tamen ſunt, ut a nemine ſanæ mentis compote revocari poſſint in dubium, ut deinde fuſius exponemus.

IV. *Inſt.* Res ad credendum propoſitæ non poſſunt eſſe evidenter credibiles, quin eo ipſo ſint evidenter veræ. Sed non ſunt evidenter veræ. Ergo nec debent eſſe evidenter credibiles. *Min.* patet; quia ſecus tolleretur omnis fidei obſcuritas & libertas. *Maj. prob.* res ad credendum propoſitæ ſunt evidenter credibiles propter revelationem divinam:

er-

ergo evidens eſt, quod ſint a Deo revelatæ. Sed evidens etiam eſt, quod omne a Deo revelatum ſit verum. Ergo quod eſt evidenter credibile, eſt etiam evidenter verum.

Reſp. Neg. maj. Ad *prob. Diſt. primum conſeq.* Ergo evidens eſt, quod ſint a Deo revelatæ, evidentia extrinſeca motivorum credibilitatis perſuadentium exiſtentiam revelationis, *Conc.* evidentia intrinſeca ipſius revelationis, *Neg. maj.* & *conceſſa min. Neg. conſ.* Evidens quidem eſt, veritates, quæ ad credendum proponuntur, eſſe a Deo revelatas, quatenus nempe motiva credibilitatis evidentia ſua morali id efficaciſſime perſuadent; ex eo tamen ſolum ſequitur, eas eſſe evidenter credibiles, non vero etiam ſequitur, eſſe evidenter veras, quæ duo magnopere differunt: qui enim credit fide divina, videt quidem motiva, quæ ipſi reddunt credibile id quod credit; illud tamen, quod credit, non videt. Evidentia quippe credibilitatis petitur ex argumentis ſeu motivis rei revelatæ extrinſecis, quæ nimirum efficiunt rem revelatam certo credibilem, ſed rem illam non efficiunt in ſe evidenter veram. Patet id experientia in rebus humanis: Si namque ab homine fidei probatiſſimæ ſtupendum quoddam & inſolens factum referri audiam, mihi quidem hoc credibile eſt propter authoritatem dicentis, quem veracem novi, ſed non minus propterea ſtupendum apparet; ejus proinde veritas non idcirco clare & evidenter percipitur. Similiter, quamvis evidenter credibilis ſit Divinarum Perſonarum Trinitas, Verbi Incarnatio, aliaque ejusmodi Religionis noſtræ myſteria, quod nempe ex motivis credibilitatis perſuaſiſſimum habeamus, ea a Deo eſſe revelata, non tamen propterea etiam evidenter vera nobis apparent, quia in ſe obſcura ſunt, & inevidentia. Itaque evidentia exiſtentiæ revelationis fundata in motivis credibilitatis, & evidens credibilitas myſteriorum revelatorum non impedit actum fidei, ſed e contra utraque ad illum præparat & accingit intellectum, ut poſſit pruden-

ter a voluntate, ex pio affectu credendi Deo loquenti, determinari ad credendum cum firmitate appretiative maxima revelationem & veracitatem divinam propter ſe, & veritatem revelatam propter revelationem & veracitatem, quod eſt fide divina credere.

Urg. Si evidentia credibilitatis eſt neceſſaria ad credenda fidei myſteria, eo ipſo opus non erit pia voluntatis affectione, quia ad credendum intellectus eſt evidenter convictus. Sed hoc eſt contra fidei divinæ naturam. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Opus non erit pia voluntatis affectione ad credendum fidei myſteria eſſe credibilia, quia ad id eſt intellectus evidenter convictus, *Conc. maj.* ad credendum ea eſſe vera, & ad id eſt intellectus evidenter convictus, *Neg. maj.* Dupliciter poteſt intellectus convinci ab objecto evidenter credibili. Uno modo ad judicandum evidenter, illud eſſe credibile, & ad hoc intellectus non eget pia affectione voluntatis; eum inclinantis ad aſſenſum, alio modo ad credendum id, quod judicat eſſe credibile: cum autem non obſtante evidentia credibilitatis, poſſit adhuc non credere, quemadmodum multi non credunt, ideo ad inclinandum intellectum ad aſſenſum requiritur pia motio voluntatis, cum ad id non ſufficiat objectum de ſe inevidens, & obſcurum.

V. *Objic. 2do.* Poteſt quis ſibi prudenter imperare firmiſſimum fidei aſſenſum de myſteriis a Deo revelatis, modo vere probabiliter judicet, ea hic & nunc eſſe credibilia & credenda. Ergo ad ſufficientem fidei propoſitionem neceſſarium non eſt, ut id quod proponitur ſit evidenter credibile, ſed ſufficit judicium vere probabile de credibilitate myſteriorum. *Prob. antec.* Prudenter ſibi fidei aſſenſum imperat, qui practice certus eſt, id quod proponitur, eſſe ſecundum rectam rationem credendum. Sed ad hanc certitudinem practicam ſufficit judicium vere probabile de credibilitate objecti.

Er-

Digitized by Google

Ergo. *Prob. min.* Ex probabilitate ſpeculativa ſæpe infertur certitudo practica: ſic fide humana prudenter non raro creditur, quod probabiliter tantum apparet credibile; & in aliis etiam actionibus frequenter ducimur judiciis probabilibus, applicando illa cum certitudine practica, & tunc prudenter operamur. Ergo pariter in fide divina ſatis erit probabile judicium, hoc quod proponitur eſſe credibile, ut inde cum certitudine practica inferamus, hoc eſſe credendum.

Reſp. Neg. antec. Ad *prob. Neg. min.* Ad ulteriorem illius *prob. Conc. antec. Neg. conſ.* Longe diverſa eſt ratio fidei divinæ, & humanæ. Etenim judicium prudens, fundatum in ſola probabilitate ſpeculativa, quamvis ſit certum practice, eſt tamen mutabile: quia principia probabilia, in quibus fundabatur, poſſunt facile mutari, atque ita etiam humana fides mutari poteſt, ſi nempe rationes & conjecturæ in oppoſitum efficaciores ac probabiliores appareant. At vero fides divina ita eſt certa, ut ſemel concepta mutari nequeat, juxta teſtimonium Pauli ad Gal. 1. *Si Angelus de Cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*: & ideo talem certitudinem practicam requirit in judicio credendorum, quæ fundata ſit in evidentia credibilitatis, & non in ſola probabilitate, quæ facile poteſt deficere, advenientibus aliis conjecturis: ſecus enim deficiente illa probabilitate, poſſet homo prudenter dubitare, vel etiam impune deficere a fide ſemel ſufficienter propoſita, & prudenter concepta, quod eſt abſurdiſſimum. Accedit, quod certitudo fidei divinæ non ſit ſolum practica, ſed ſpeculativa, id eſt, de veritate rei in ſe: ergo requirit etiam certitudinem ſpeculativam de credibilitate ſui objecti; nam impoſſibile videtur, hominem determinari ad credendum aliquid firmiter & certo, ſi cum formidine tantum, & non certo judicet illud eſſe credibile.

VI. *Objic.* 3°. Si Myſteria fidei ad hoc ut credi poſſint,

deberent eſſe evidenter credibilia, homines rudes & idiotæ incapaces forent fidei divinæ. Abſurdum conſequens. Ergo. *Prob. maj.* quia homines rudes & idiotæ expendere ac penetrare non valent vim motivorum, quibus ſuadentur revelationes divinæ; neque aliud ipſis ſuppetit medium, quo certi reddantur, credibile eſſe id, quod ad credendum proponitur.

Reſp. Neg. maj. ejusque probat. Neque enim exiſtimandum eſt, eadem eſſe motiva credibilitatis pro omnibus & ſingulis fidelibus: unusquisque ſuo modo convincitur, ſuo modo prænoſcit revelationem, priusquam credat: ad credendam hanc veritatem facti alia homines doctos & perſpicaces, alia minus doctos & rudes inducunt argumenta. Hinc duplicis generis motiva credibilitatis hoc loco diſtingui ſolent. Primi generis ſunt motiva credibilitatis perfectæ & abſolutæ, quibus moventur viri docti & perſpicaces, poſtquam eadem rite expenderunt ac penetrarunt: qualia ſunt illa, quæ ordinarie adduci ſolent ad oſtendendam evidentem credibilitatem myſteriorum Religionis Catholicæ. Secundi generis ſunt motiva credibilitatis imperfectæ & reſpectivæ, quibus homines rudes & minus docti moventur, & quæ etiam reſpectu illorum ſufficiunt: talis eſt prædicatio Parochi reſpectu ruſtici, inſtructio Parentum reſpectu parvulorum, conſenſus aliorum fidelium &c.

Ad aſſenſum itaque fidei divinæ non requirimus, reſpectu omnium, evidentiam credibilitatis abſolutam & perfectam, quia non omnes illius aquirendæ capaces ſunt; ſed vel hanc, vel ſaltem imperfectam & relativam, hoc eſt, evidentiam credibilitatis uniuscujusque captui proportionatam, qualis poteſt eſſe, ut mox diximus, reſpectu ruſtici ab authoritate Parochi, & reſpectu parvulorum ab authoritate Parentum: nam authoritas ejusmodi poteſt huic hominum generi tanti eſſe ponderis, ut pariat illis moralem evidentiam & cer-

Digitized by Google

certitudinem de exiſtentia revelationis, non abſolutam & perfectam, ſed imperfectam & relativam, ipſorumque captui proportionatam, ſufficientem tamen ad aſſenſum fidei ab ipſis eliciendum: quia reſpectu ipſorum ſufficit, ad judicium practicum de credibilitate myſterii, ſive ad actum, quo evidenter judicent, voluntatem poſſe hic & nunc prudenter imperare intellectui, ut propter authoritatem Dei revelantis aſſentiatur myſterio revelato, aſſenſu appretiative firmiſſimo. Dixi, propter authoritatem Dei revelantis: hæc enim ſola eſt motivum immediatum & intrinſecum ipſius aſſenſus fidei; authoritas autem hominis eſt ſolum motivum prævii imperii.

VII. *Inſt.* Ad prudenter imperandum aſſenſum firmiſſimum, requiritur motivum excludens omnem prudentem formidinem de oppoſito. Sed teſtimonium Parochi prædicantis non eſt ejusmodi motivum: nam rudiſſimus quisque intelligit, Parochum, ut alios homines, poſſe ex ignorantia, vel ex malitia falſum dicere; atque adeo prudenter timere poteſt, ne hic & nunc falſum dicat. Ergo.

Reſp. Diſt. min. Teſtimonium Parochi ſecundum ſe conſideratum, & reſpectu omnium credentium non eſt motivum excludens omnem prudentem formidinem de oppoſito, *Conc. min.* Non eſt ejusmodi motivum reſpectu ruſtici, & in circumſtantiis, quibus ipſe nullam habet rationem dubitandi de Parochi doctrina & probitate, *Neg. min.* Ruſtici, aliique rudes & indocti eo fere ad credendum adducuntur, quod ita a Paſtore ſuo, aut alio quopiam probo & ſapiente Viro ſint edocti. Qamvis enim iisdem occurrat, Parochum abſolute falſum dicere poſſe; quia tamen eundem ordinarie loquendo, virum doctum & probum exiſtimant, ſimul cogitant, ſe nullam habere rationem formidandi, ne hic & nunc falſum dicat. Authoritas proinde Parochi prædicantis eſt ſufficiens credibilitatis motivum reſpectu ruſtici, licet ſufficiens non ſit re-

reſpectu aliorum, qui cæterorum motivorum vim & efficaciam expendere & penetrare valent. Ruſticus igitur cum Parochum inter concionandum dicentem audit, Deum revelaſſe Myſterium Incarnationis, præciſe propter ejus authoritatem certo & evidenter judicat evidentia & certitudine morali, imperfecta quidem, ſed proprio captui proportionata, exiſtere revelationem; quo judicio præſuppoſito, ſine alia evidentia credibilitatis, poteſt aſſentiri myſterio revelato aſſenſu appretitative firmiſſimo: modo tamen, quod ſemper intellectum volumus, non deſint neceſſaria, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, gratiæ auxilia.

Quod ſi contingat aliquando, prædicationem & teſtimoniumParochi reipſa non eſſe ſufficiens ad formandum judicium ſat firmum & evidens de credibilitate myſterii; ut ſi ruſticus vere dubitaret, aut formidaret, ne Parochus aut ex ignorantia, aut ex malitia falſum dicat: opus haud dubie erit eo caſu ulteriore aliquo credibilitatis motivo, rudi illius ingenio accommodato, e. g. confirmatione aliorum doctorum piorumque hominum, credentium multitudine, miraculorum narratione, aliisque ejusmodi, quæ moralem illam, quam diximus, certitudinem & evidentiam in eo parere valeant.

VIII. *Urge*: Si poteſt fieri evidenter credibile ruſtico per authoritatem Parochi, quod e. g. Verbum ſit Incarnatum, poterit per eandem authoritatem fieri illi evidenter credibile, quod Spiritus S. ſit incarnatus, ſi nempe id a Parocho ſeu ex ignorantia, ſeu ex malitia prædicari audiat. Abſurdum conſequens: nam evidentia credibilitatis non poteſt eſſe de re falſa. Ergo.

Reſp. Conc. maj. Neg. min Nihil enim in eo eſt abſurdi, quod res etiam falſæ poſſint cuipiam apparere evidenter credibiles, evidentia nempe imperfecta & reſpectiva, qualem re-

Digitized by Google

reſpectu rudiorum ſufficere diximus: ſatis eſt, quod non poſſint apparere evidenter credibiles evidentia credibilitatis perfecta & abſoluta, qualem habent myſteria Religionis noſtræ a motivis, quibus Viri docti & perſpicaces moveri ſolent.

Igitur, *inquies*, poterit ruſticus in caſu poſito fide divina credere Incarnationem Spiritus S. quia prudenter ſibi imperare poterit aſſenſum fidei firmiſſimum.

Reſp. Neg. conſ. Quia, ex alibi dictis, ad verum fidei divinæ actum requiritur neceſſario, ut is verſetur circa veritatem re ipſa a Deo revelatam: fides ergo illa non eſſet divina, ſed humana; & aſſenſus, quem ſibi ruſticus ille imperaret circa Incarnationem Spiritus S. eſſet quidem firmiſſimus firmitate affectiva, ſita in imperio voluntatis ſupernaturali, quo vellet Deo credere ſuper omnia; non tamen eſſet firmiſſimus firmitate effectiva adhæſionis intellectus, ſeu non eſſet aſſenſus ſupernaturalis, certiſſimus, & eſſentialem habens connexionem cum objecto credito; quia non inniteretur revelationi re ipſa exiſtenti, & propoſitæ illuſtratione ſuaſiva Spiritus S. ſed tantum apparenti & exiſtimatæ.

IX. *Si dicas*, fieri poſſe, ut, poſtquam ruſticus aſſenſum fidei præbuit circa Incarnationem Verbi, ſibi a Parocho annuntiatam, ſuperveniat alter in opinione vulgi ſanctior & doctior, authoritatis notabiliter præponderantis, puta Epiſcopus, affirmetque, Parochum errare, & non Verbi, ſed Spiritus S. Incarnationem a Deo eſſe revelatam: hoc caſu ruſticus prudenter repudiabit priorem fidei aſſenſum, novumque eliciet de Incarnatione videlicet Spiritus S. quia de hac majorem aquirit credibilitatis evidentiam reſpectivam. Sed hoc admitti non poteſt. Ergo. *Prob. min.* Actus fidei divinæ ſemel conceptus nunquam poteſt prudenter revocari: propterea damnata eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio: *Poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habuit ſupernaturalem*, Ergo.

Reſp.

Reſp. Diſt. maj. In caſu poſito ruſticus prudenter repudiabit priorem fidei aſſenſum prudentia erronea, & conſequenter inculpatè, novumque aſſenſum eliciet, qui tamen non ſit ſupernaturalis, *Conc.* Secus *Neg. maj. & conſ.* Ad *prob. min. Diſt. antec.* Actus fidei divinæ ſemel conceptus nunquam poteſt prudenter revocari, ſi fuerit conceptus ex evidentia credibilitatis abſoluta & perfecta, *Conc.* Si fuerit conceptus ex evidentia credibilitatis imperfecta ſolum & relativa, iterum *Diſt.* non poteſt prudenter revocari per ſe, & ratione objecti *formalis*, *Conc.* nam actus fidei divinæ eſt eſſentialiter verus, nititurque motivo abſolute infallibili, & abſoluta infallibilitate connexo cum veritate objecti materialis: Non poteſt prudenter revocari per accidens, & ratione ſubjecti, cui ad credendum fide divina ſufficere poteſt evidentia credibilitatis reſpectiva, quæ, quia imperfecta eſt, elidi poteſt, imo & ſuperari per aliam evidentiam, cadentem in revelationem non veram, ſed ſolum apparentem & exiſtimatam, *Neg.* Hinc patet, quo ſenſu intelligi debeat propoſitio a Pontifice damnata, ſcilicet repudiari prudenter non poſſe aſſenſum ſupernaturalem, habitum ex evidentia credibilitatis perfecta & abſoluta, quin nec aſſenſum ex evidentia reſpectiva & imperfecta conceptum repudiari poſſe per ſe & ratione motivi; quamvis repudiari poſſit per accidens, & ratione ſubjecti credentis, cui ſupervenit major evidentia reſpectiva in oppoſitum. Quo caſu voluntas credentis eſſet meritoria, & imperium, quo novum ſibi aſſenſum imperaret, foret ſupernaturale, quia procederet ex judicio inculpabiliter erroneo; ipſe tamen aſſenſus poſterior, eſſet mere naturalis, & fidei divinæ ſolum exiſtimatæ, quia nixus revelationi non veræ, ſed apparenti.

Alii reſpondent, in caſu propoſito ſupervenientis novæ prædicationis, haberi non poſſe novam evidentiam reſpectivam nixam revelationi falſæ: quia ut ruſticus in eo caſu prudenter agat, debet ulterius in rei veritatem inquirere, conſu-

ſu-

Digitized by Google

ſulendo plures alios doctos & probos viros, orandoque Deum, ut recte inſtruatur: & tunc juxta certiſſimum illud Theologorum, *facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam*, indubitanter futurum, ut ad notitiam veritatis perveniat, comperiatque, primam prædicationem fuiſſe veram; atque ita reſtituta, imo aucta priore evidentia, in priore aſſenſu ſupernaturali confirmetur.

Conſectarium.

X. Quamvis ordinarie loquendo ad prudenter imperandum fidei divinæ aſſenſum, neceſſaria ſit prævia credibilitatis eorum, quæ ad credendum proponuntur, evidentia vel abſoluta, vel ſaltem reſpectiva, ut ex iis, quæ dicta ſunt hactenus, ſit manifeſtum; contingere tamen poteſt aliquando, ut quis credat, nullo ad credendum ductus argumento & motivo credibilitatis: quemadmodum de Infidelibus quibusdam compertum habemus, eos ſtatim ad Chriſtum converſos, & fidem Chriſtianam amplexos fuiſſe, nullis ſignis excitatos, nullisque ad id ductos credibilitatis motivis; quod nempe eos ſingulari fidei gratia & ſupernaturali lumine interius illuſtraverit Deus. Sic forſan Lydia purpuraria civitatis Thyatirenorum ſtatim ad Deum converſa eſt, nullo viſo miraculo, ad ſolam Pauli prædicationem, ut habetur in Actis Apoſtolorum c. 16. *Colens Deum audivit*, inquit S. Lucas, *cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo.*

Quin univerſim loquendo, ſi contingat, exteriorem prædicationem non eſſe ſufficientem rudioribus præſertim hominibus, ad formandum judicium ita firmum & evidens, de credibilitate Myſterii ad credendum propoſiti, exiſtimat Suarez Diſp. IV. Sect. 5. eo caſu per divinam inſpirationem & vocationem internam compleri hujusmodi credibilitatem: quam ſuam conjecturam dicit deſumptam ex D. Thoma quodlib.

2. art. 6. ubi Doctor Angelicus ait, fidem ordinarie fieri credibilem per miracula, & alia externa ſigna; nihilominus ſine illis poſſe Deum per vocationem internam propoſitionem complere, juxta illud Joan; 6. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*: imo *poteſt*, inquit, *talis eſſe interna vocatio, ut teneatur homo non reſiſtere, ſed fidem adhibere*, juxta illud Iſaiæ 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*: & ad hunc modum reprehenſum eſſe Zachariam Luc. 1. quod Angelo, annuntianti filii conceptionem, non ſtatim firmam fidem adhibuerit, ſed dubitarit. Unde credendum eſt, cum illa externa locutione adfuiſſe internam inſpirationem, quæ faceret rem ſufficienter credibilem; nam de ſola externa poſſet interdum dubitari, cum *Angelus Satanæ transfiguret ſe in Angelum lucis*. Ita cit. Suarez.

CAPUT III.

Utrum Myſteria fidei Chriſtianæ ſint evidenter credibilia, & credenda?

I. IN præcedenti Capite expoſuimus ſolum, quid requiratur ad ſufficientem fidei propoſitionem. Nunc oſtendendum eſt, quomodo illud totum in fide noſtra non ſufficienter modo, ſed etiam perfectiſſime reperiatur. Poſito namque, quod a nemine ſanæ rationis compote in dubium vocari poteſt, aliquam veram religionem ab auctore Deo hominibus traditam eſſe, ſequitur neceſſario, eam talia ſigna credibilitatis habere debere, per quæ ab omnibus aliis falſis religionibus facile dignoſci queat. Quamvis enim Deus poſſit interius illuſtrare hominem, ut veram a falſa religione diſcernat; id tamen in hac providentia, de lege ſaltem ordinaria, fieri non ſolet, præſertim antequam cuipiam doctrina fidei per externam prædicationem fuerit tradita: ſed potius per media aut motiva,

Digitized by Google

va, ſeu ſigna quædam exteriora hominibus oſtendit Deus, quænam religio, omnibus diligenter conſideratis, cæteras credibilitate excedat, atque adeo præ illis ſit amplectenda.

ASSERTIO.

Myſteria fidei noſtræ ſunt evidenter credibilia.

II. ITa teſtatur Scriptura ipſa pluribus in locis. Sic Pſal. 92. dicitur: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Et Apoſtolus ad Hebr. 2. *Quomodo*, inquit, *nos effugiemus*, ſcilicet iram Dei, *ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus.* His conſonant illa Chriſti verba Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent . . . . Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt &c.* Quibus verbis quid aliud ſignificare intendit Salvator noſter, quam Religionem a ſe inſtitutam adeo eſſe evidenter credibilem, ut inexcuſabiles ſint, qui eandem non amplectuntur.

Sed quoniam veritas hæc ratione potius, quam authoritate oſtendi debet; ex argumentis plurimis, & efficaciſſimis credibilitatis motivis, quibus jam olim uſi ſunt SS. Patres adverſus Gentiles, & temporum ſuorum hæreticos, ad illam credibilitatis Myſteriorum noſtræ fidei evidentiam demonſtrandam; quæve apud alios, eos præſertim, qui de Fidei Controverſiis ex inſtituto ſcripſerunt, ampliſſime pertractata reperies, ex iis, inquam, illuſtriora dumtaxat eligemus, & ſumma veluti capita delibabimus, ne præfixos nobis brevitatis limites excedamus.

III. Primum Caput ea credibilitatis motiva complectitur, quæ ducuntur a ſanctitate & efficacia ipſius doctrinæ chriſtianæ, quibus tanquam fortiſſimis & efficaciſſimis argumentis uſus eſt S. Juſtinus Martyr in Apolog. 2. ad Antoninum Pium. Illa namque doctrina jure merito, & cum ſumma ratione credenda eſt niti fundamento veritatis, quæ ex omni parte eſt pura & ſancta; & cujus in animos hominum efficacia ex effectis & fructibus, quos in univerſum orbem intulit, fit manifeſta. Atqui talem eſſe doctrinam Chriſtianam facile intelligitur, ſeu dogmata fidei ſpectes, quæ credenda fidelibus proponuntur, ſeu præcepta & conſilia Evangelica, quæ ad bonos mores informandos, & Chriſtianam perfectionem ſectandam pertinent.

Ac primum ſi attendatur ad fidei Chriſtianæ dogmata, quanquam nonnulla ſint longe ſupra humanæ mentis captum poſita, ejusmodi ſunt tamen, ut ipſi rationi non ſint contraria, & ab omni abſurditatis & contradictionis genere facile vindicentur a Chriſtianis. Deinde, quod incomprehenſibilia ſint quædam Religionis noſtræ Myſteria, hoc ipſum eſt veritatis argumentum: quia utique æquum eſt, aliqua de Deo credere, quæ humanæ intelligentiæ vim excedunt; quod nempe Deus non ſolum a voluntate, ſed etiam ab intellectu tributum & ſubjectionem exigat, quodque idem in ſe complectatur tantam perfectionem, quantam humana ratio comprehendere non valet.

Quod vero attinet vitam rectam & morum diſciplinam, ea apud Chriſtianos reperitur (ſi ab omni hæreſi pura ſit, ut apud Catholicos eſt) tam honeſta, tam caſtigata ac ſancta, ut eam etiam fidei hoſtes laudent, atque ſuſpiciant, quamvis ob nimis ardua virtutum opera ab eadem abhorreant. Sive enim conſideremus, quæ ad Deum, ſive quæ ad proximum, ſive quæ ad nos ipſos ſpectant, talibus moribus jubemur vivere, qui nos ſanctos & immaculatos efficiunt. Præcipit lex Chriſtiana, ſummum Deo univerſorum Conditori & Gubernatori exhibendum

eſſe

Digitized by Google

eſſe cultum, eum ſuper omnia diligendum, illius honorem bonis omnibus, ipſi quoque vitæ temporali præferendum, ſanctiſſimæ ejus voluntati quibuscunque, etiam difficillimis rerum eventibus, acquieſcendum. Quoad proximum, jubemur eum amare ſicut nosmetipſos, nemini inferre injuriam, benefacere omnibus, etiam inimicos diligere, orare pro perſecutoribus, & alia id genus, quæ Chriſtus Magiſter noſter, non verbis modo, ſed & exemplo nos docuit. In nobis denique ipſis, frenandæ ſunt cupiditates, licitis etiam voluptatibus moderandum, vitioſa quæque, etiamſi ſola mente verſentur, damnanda. Ut nihil jam dicam de obſervatione conſiliorum Evangelicorum, quæ in Religione catholica proponuntur, & ab innumeris religioſe obſervantur; quæve perfecte ſervata hominem ad ſummam ſanctitatem perducunt. Unde merito Propheta dixit Pſal. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas* &c.

IV. Sed quod Chriſtianorum profeſſionem & doctrinam maxime commendabilem & credibilem reddit, eſt ejus efficacia, quæ ex modo, quo in mundum introducta & propagata eſt, fit manifeſta. Nam ut dixit Auguſtinus Lib. 22. de Civit. Dei c. 7. quod mundus in Chriſtum crediderit, *virtutis fuit divinæ, non perſuaſionis humanæ.* Quis enim non obſtupeſcat, ſi attente conſideret, qua ratione id factum ſit a pauciſſimis hominibus, nulla Philoſophorum doctrina, aut eloquentia humana imbutis, nulla vi aut potentia armatis, nulla opulentia præſtantibus, nullo terrenorum Principum patrocinio commendatis; ſed omni humano præſidio deſtitutis, & præterea ejusmodi doctrinam prædicantibus, quæ naturali hominum propenſioni eſſet maxime adverſa; ab illis, inquam, totum prope terrarum orbem brevi tempore Chriſto ſubjugatum eſſe, & in eo plurimos ſapientiſſimos, potentiſſimos, eloquentiſſimos homines ita eſſe perſuaſos, ut ultro deſertis patriis Religionibus, & abdicatis omnibus naturæ deſideriis,

Chriſtianæ Religionis jugum ſubierint, & illam fidem, quæ docet abnegare ſeipſum, crucem ferre, &c. ſummo ſtudio & affectu profeſſi fuerint: quis, inquam, hæc attento animo expendens non obſtupeſcat, atque exclamet cum Propheta Pſal. 76. *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

Creſcet enimvero ſtupor & admiratio, ſi præterea revolvamus animo, Philoſophorum ſapientiſſimos, quantumvis aut ingenii acumine, aut eloquentia & ſcientia excelluerint, ac res intellectu faciles, & ab uſu communi non abhorrentes propoſuerint, nunquam tamen potuiſſe multitudinem ab errore, & a vanis ſuperſtitionibus dedocere. Quin & ipſi coacti ſunt vulgi erroribus obſequi, ac perpaucis tandem hominibus ſua dogmata perſuaſerunt. Religio e contra Chriſtiana, utut vilis, & abjecta videretur, adverſus Imperatorum edicta, Magiſtratuum ſævitiam, plebis tumultuantis impetus, Judæorum calumnias, Philoſophorum, & Oratorum ſcripta, tam brevi tempore ſic excrevit, ut primo & ſecundo ſæculo toto penè orbe diffuſa fuerit, tertio jam prope pars hominum dimidia huic nomen dederit; quarto demum ſæculo, perpaucis exceptis, Imperium Romanum eam omnino complexum fuerit. Quocirca hæc Apoſtoli pronuntiata inconcuſſa manent: *quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientia; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & corruptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret.* Nihil infirmius, nihil contemptibilius ſapientes hujus mundi judicant, quam crucem Domini; & tamen ea nihil fortius, nihil efficacius fuit, ad perſuadendum quæ vera ſapientia nos docet, quæ Chriſtus ipſe tradidit. Nam, *quia*, ut ait idem Apoſtolus, *in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Quod Philoſophi efficere non potuerunt, ut a ſimulacris homines averterent, ut Dei unitatem & providentiam, animæ immortalitatem, & alia hujuſmodi hominibus perſuaderent,

rent,

rent, cum iis nec argumentorum copia deeſſet, nec eloquentia, hoc Chriſtus omnibus perſuaſit, divinæ authoritatis pondere. Id eleganter ſuo more expreſſit Lactantius L. 3. C. 26. his verbis: *Quod ergo illi poſcente natura faciendum eſſe ſenſerunt, ſed tamen neque ipſi facere potuerunt, neque a Philoſophis fieri poſſe viderunt, ſola hoc effecit doctrina cæleſtis, quia ſola ſapientia eſt.*

V. Alterum Caput eſt eorum argumentorum, quæ ſumuntur ex multitudine & authoritate teſtium hujus doctrinæ. In quo ordine primum & præcipuum teſtimonium ſit ipſiusmet Chriſti, qui primus omnium Evangelicam doctrinam prædicavit, quem etiam ut hominem eſſe fide digniſſimum, externi quoque Scriptores confeſſi ſunt. Ipſa certe vita ejus tot mirabilibus coruſcans, tanta innocentia & ſanctitate conſpicua, tam præclaris virtutibus inſignis, tanta humilitate, benignitate, manſuetudine, charitate erga omnes etiam acerbiſſimos hoſtes prædita, efficaciſſimum argumentum ſuggerit, ut recte monet S. Bonaventura in ſtimulo Divini Amoris part. 1. cap. 6. quo convincantur animi, illius doctrinam digniſſimam eſſe, cui credatur; *neque aliud Nomen ſub Cœlo datum eſſe hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Deinde, etiam lante adventum Chriſti habuit hæc doctrina teſtimonium a ege, & Prophetis; & ſpecialiter Moyſes præmonuit Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies.* Præceſſit quoque teſtimonium Joannis Baptiſtæ, quod maxime propter admirandam ejus vitæ ſanctitatem ſufficiens erat, ad perſuadendum, & præparandum mundum, præſertim vero populum Judæorum, ad Chriſti adventum. Poſt ipſum vero Chriſtum, Apoſtoli fuere graviſſimi teſtes doctrinæ hu us: neque enim de illis præſumi prudenter poteſt, quod per malitiam prædicaverint, cum vitam ducerent ſanctam & immaculatam, in qua ipſi etiam Adverſarii quod reprehenderent, non invenirent;

rent; nec etiam per ignorantiam, etſi enim rudes prius piſcatores fuerint, poſtea tamen induti virtute ex alto, toti mundo cœleſti quadam eloquentia & ſapientia inclaruerunt; ipſaque doctrina, quam annuntiabant, præ ſe ferebat ſummam lucem & ſapientiam, in qua ſapientes hujus ſæculi nullum errorem oſtendere potuerunt, quod bene proſequitur Auguſtinus lib. 83. quæſt. 79. Poteſt præterea hic addi, ipſos Dæmones coactos fuiſſe interdum ad ferendum teſtimonium pro veritate hujus doctrinæ: quo etiam argumento uſos nonnunquam SS. Patres, legimus; & videri poſſunt ſacræ hiſtoriæ, præſertim Rufinus Lib. 1. c. 11. & Nicephorus L. 11. c. 27. Quamvis enim teſtimonium Dæmonis de ſe nullius ſit authoritatis, cum *ſit pater mendacii*; & ſi interdum ipſe ſua voluntate aliquid verum dicit, id agat animo fallendi in aliis: at vero quando divina virtute cogitur *ut credat & contremiſcat*, & ita veritatem fateatur; tunc magnum inde ſumitur argumentum veritatis doctrinæ; quia induci non poteſt Dæmon ad teſtimonium ferendum contra ſeipſum, niſi divina virtute coactus.

VI. Ad hunc quoque locum ſpectat teſtimonium Martyrum, qui inde etiam nomen acceperunt, quod ſuo ſanguine, magnum fidei teſtimonium præbuerint: quo argumento S. Juſtinus & ipſe Martyr Apol. 1. ad Senat. Rom. teſtatur, ſe maxime fuiſſe permotum ad fidem Chriſtianam amplectendam. Eſt tamen advertendum, perſeverantiam unius vel plurium hominum in confitenda aliqua veritate usque ad mortem, non eſſe argumentum ſufficiens veritatis, aut teſtimonii divini: nam nonnulli hæretici pro ſuis erroribus occubuerunt, affirmantes ſe mori propter Chriſtum, ejusque doctrinam. Unde Nicephorus L. 4. Hiſtor. c. 23. ex Apollinari refert hæc verba: *Plures hæreſes de ſuis Martyribus gloriantur; non tamen propterea in earum ſententias imus.* Idem notat Euſebius Lib. 5. Hiſt. c. 15. & de Anabaptiſtis id ipſum affirmat Bernardus Serm. 66. in Cant. & de Donatiſtis Auguſtinus Epiſt. 65.

Digitized by Google

65. qui propterea in Lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 5. inquit: *multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes, multa patiuntur, ſed ideo excluduntur ab iſta mercede, quia non propter juſtitiam patiuntur; ubi enim vera fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia.* Quoniam vero hoc ipſum eſt, quod oportet diſcernere, quando ſcilicet mortes Martyrum ſint propter juſtitiam, & ita ſint teſtimonium veræ fidei; ideo conſiderandæ ſunt peculiares quædam teſtimonii hujus prærogativæ. In primis expendi debet Martyrum multitudo, deinde modus & ratio patiendi, tum conditio, ſexus, & ætas eorum, qui patiuntur; denique ponderandi ſunt ſingulares quidam eventus, qui paſſiones Martyrum ſunt ſubſecuti. Hæc ſane ſi in conſiderationem vocentur, facile apparebit, ſolam Catholicorum Religionem veris fidei Martyribus gloriari poſſe. In hac enim ſola innumerabilis extitit multitudo, omnis conditionis, utriusque ſexus, ætatis teneræ & maxime provectæ, qui pro aſſerenda fidei veritate mortem oppetere non dubitarunt: atque inter tormenta ſæviſſima, inter ignes & rotas, & quæcunque atrocia ingenioſa crudelitas excogitare potuit, inter infames etiam cruciandi modos, invicta conſtantia ad mortem usque ſumma animi alacritate ſteterunt, ſolo ſtudio placendi Deo, & ſervandæ religionis; quin ullis aut parentum, vel filiorum lacrymis, aut Principum, Judicumve blanditiis, ampliſſimisque promiſſis ſeſe moveri ſinerent. Quibus adde innumera prodigia, quæ non ſolum Martyrum paſſionem comitabantur, ſed etiam accidebant poſtea in eorum tumulis & ſepulchris, ut eſt notum in Hiſtoriis, & conſuli poteſt Nicephorus Lib. 3. c. 29. & Lib. 4. c. 27. Denique, quod præprimis conſiderari meretur, tot millibus hominum extinctis tantum abeſt, Eccleſiam diminutam fuiſſe, ut potius mirum in modum aucta fuerit; quia nempe *ſingula grana, quæ in terram cadebant, multiplicata enaſcebantur*, ut dixit Leo Magnus Serm. 1. de Apoſt. Petro & Paulo; & Juſtinus Dial. cum Trypho-

ne citans illud Pſal. 127. *Uxor tua ſicut vitis abundans*, ſicut vinea, inquit, creſcit, dum putatur, ita Eccleſia crevit per ſuos Martyres. De quo etiam argumento ſcripſerunt alii Patres, præſertim Tertullianus in Apol. circa finem, & Auguſtinus L. 18. de Civit. Dei c. 50.

VII. Denique inter hos teſtes fidei maxime numerari poſſunt Prophetæ, quorum vaticinia multis ſæculis ante Chriſti adventum edita ſunt, vel ipſis Judæis teſtibus, qui etiam nunc illas eſſe veras prophetias agnoſcunt, & teſtantur; in quibus tamen videmus, omnia vitæ, ac mortis Chriſti myſteria tam diſtincte fuiſſe prædicta, & tam fideliter ſuo tempore adimpleta, ut ab alio Spiritu procedere non potuerint, niſi ab illo, cui ſoli omnia nota ſunt & aperta, æque futura atque præſentia. Ad illas prophetias mittebat Chriſtus Judæos Joan. 5. ut ex illarum adimpletione moverentur ad credendum in ſe: *ſcrutamini ſcripturas; illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Idem urget S. Paulus Epiſtola ad Romanos C. 1. his verbis: *ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis de filio ſuo, qui natus eſt ei de ſemine David, ſecundùm carnem.*

Hoc porro momentum ex prophetiis veteris teſtamenti Chriſtum deſignantibus depromptum, tam adverſus Gentiles, quam adverſus Judæos luculentiſſimum eſt, ad ſtabiliendam Religionis Chriſtianæ veritatem; quia certo conſtat, prophetias illas non fuiſſe a Chriſtianis confictas, nec ulla ſui parte interpolatas, utpote quæ ſumma ſemper Religione aſſervatæ ſunt a Judæis, fidei Chriſtianæ hoſtibus infenſiſſimis, quo fit, ut nemo ſanæ mentis compos ejusmodi textus revocare poſſit in dubium. Eodem hoc argumento uſus eſt S. Auguſtinus L. 18. de Civit. Dei C. 46. ubi oſtendit, quod Judæi *eradicati, diſperſique per terras (quandoquidem ubique non deſunt) teſtimonio nobis ſunt, prophetias nos non finxiſſe de Chriſto.* Nimirum ne quis opponere poſſet prophetias illas a Chriſtianis

Digitized by Google

eſſe confictas, voluit Deus, ut Judæi per univerſum orbem diſperſi ſecum ferrent veteris teſtamenti libros, ut ex concordia eorum cum noſtris teſtimonium ſuæ fidei vel ab ipſis inimicis haberent Chriſtiani. Unde Sermone 2. de Symbolo ad Catechumenos C. 4. dicit, quod Judæi legis lucernam manibus geſtent, ut aliis viam demonſtrent, dum ipſi tenebris conſepulti jacent. Et in Pſal. 56. *Codicem*, inquit, *portat Judæus, unde credat Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, iſti legendo proficiant.*

VIII. Tertium denique Caput ea credibilitatis motiva continet, quæ ſumuntur ex variis modis, quibus Deus peculiariter ſubſcripſit, & authoritatem præbuit teſtimoniis hominum prædicantium hanc fidem; in quo ordine primum locum tenent miracula. Eſt enim miraculum pignus quoddam Omnipotentiæ Dei, ut dixit Chryſoſtomus Homil. 14. in Matth. quia eſt proprium opus ejus, *qui facit mirabilia magna ſolus.* Pſal. 135. De ratione namque miraculi eſt, ut ſit inuſitatum quoddam opus, omnem creatam facultatem ſuperans. Unde merito concluditur, illam doctrinam, quæ miraculis confirmata eſt, evidenter eſſe credibilem, tanquam veram & a Deo revelatam: nam, ut Auguſtinus dixit epiſt. 49. quæſt. 6. *Deus mirabilibus operibus loquitur*; & ideo quæ per mirabilia ejus modi opera confirmantur, credibilia fiunt tanquam a Deo dicta. Hinc Chriſtus ipſe loquens de Operibus ſuis, *Opera* inquit Joan. 10. *quæ ego facio in nomine Patris mei, ipſa teſtimonium perhibent de me.* Et Cap. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite.* Quapropter Apoſtolis & Diſcipulis ſuis patrandorum miraculorum, in confirmationem fidei, poteſtatem fecit, apud S. Matth. c. 10. verbis illis: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite* &c. qua etiam poteſtate uſi ſunt, ut de iis legitur Marci ultimo: *Illi autem profecti*

Digitized by Google

prædicaverunt ubique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Unde manifeſte ſequitur, ad confirmandam doctrinæ alicujus veritatem non ſuppetere validius argumentum, quam ſi ab eo, qui ſe miſſum a Deo teſtatur, in hujus veritatis confirmationem varia identidem edita fuerint miracula.

Quod autem doctrina fidei noſtræ innumeris hujusmodi miraculis confirmata ſit,id notiſſimũ eſt omnibus.Primo ex ipſiusChriſti Domini prodigioſis operibus, quæ Evangelica nobis narrat hiſtoria. Quamvis enim hæc, ut Canonica eſt, evidentiam non faciat, quia ſola fide credimus, conſcriptam eſſe ex directione Spiritus S. attamen etiam humano modo loquendo, parit certitudinem; quia exarata eſt a Viris fide digniſſimis, qui res ſua ætate geſtas narrarunt, nec falſum dicere potuerunt, aut voluerunt. Non potuerunt quidem, cum Chriſtus nihil eorum, quæ deſcribuntur, clam perpetraverit; ideoque Evangeliſtæ potuiſſent facile falſitatis redargui ab invidis, & Chriſto inſenſiſſimis hoſtibus. Sed nec falſum dicere voluerunt; cui enim bono, ſi nihil inde utilitatis ſe percepturos videbant, ſed perſecutionem tantummodo, odiumque hominum, cum nequaquam eos lateret prædicari a ſe Jeſum crucifixum, Judæis ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam? Dubitare ergo non poſſumus, quin ſacri Evangelicæ Hiſtoriæ Scriptores nobis vera narraverint; quos nec ipſi Judæi auſi ſunt falſitatis arguere: quin potius Joſephus lib. 16. Antiquit. ea univerſim confirmat, dicens de Chriſto Domino, quod fuerit *Vir ſapiens, & operum plane mirabilium effector &c.*

Deinde per Apoſtolos non minus miranda patrata ſunt opera ad eandem veritatem confirmandam, ut ipſemet Chriſtus Dominus promiſerat, & in iisdem libris Canonicis ex parte narratur. Multa denique ſimilia per Sanctos ſuos poſtea operatus eſt Deus ad eundem finem, quæ omnia ne-

ga-

Digitized by Google

gare, niſi inſipiens, nemo poteſt; cum jam tot ſæculis annotata inveniantur, ac ſcripta a SS. Patribus, etiam antiquiſſimis, Athanaſio, Gregorio Nyſſeno, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Gregorio Magno, Theodoreto, Sulpitio Severo, & aliis; quorum ſyllabum, & ordinem etiam ſæculorum ac temporum videre potes apud Bellarminum Tom. 2. Controv. Lib. 4. de Notis Eccleſiæ c. 14. Et quamvis nonnunquam occulti quidam naturæ effectus pro miraculoſis ſint habiti, aut eventus aliqui ex imprudenti ſimplicitate ſint confiĉti: dicere tamen tantos viros (quorum vitæ integritas, fides, ac ſapientia omni exceptione eſt major; quique loco ac tempore, integris nempe ſæculis ac regnis, inter ſe fuere disjuncti) in hoc conſpiraſſe, ut anilibus fabulis & figmentis fidem leviſſimo animo haberent, iisque conſcriptis orbem implerent; vel etiam illis malitioſe ſparſis alios deciperent, certe inſaniſſimum eſt.

IX. Sed inquiunt Adverſarii: Si tot olim facta ſunt miracula, cur hodié nulla pene conſpicimus? Reſp. Multa etiamnum patrari, ſed ad ea animum nos non advertere; ac plerumque in gratiam paucorum fieri, quorum major eſt fides. Cavendum quidem eſt, ne nimia credulitate hac in re peccetur: ſed cur oculatis & probatis teſtibus fidem omnem denegemus? Illud certe credi vix poteſt, tot nationes intra paucos annos in Japonia & Indiis a S. Franciſco Xaverio, ut de aliis taceam, ad Chriſti fidem converti potuiſſe, nullis factis miraculis, ut fuſe demonſtrat vir excellenti ingenio P. Pardies in eleganti diſſertatione de fide, quæ miraculis eſt adhibenda. Quod ſi ex innumeris, quæ & publicis inſtrumentis, & coram magna hominum multitudine facta commemorantur, vel unum factum fuit verum miraculum, id ipſum & de compluribus fidem facit, & ad Religionis noſtræ veritatem comprobandam ſufficit: eſt enim miraculum quaſi ſigillum, quo Deus veritatem confirmat; neque poteſt falſum teſtari, aut decipere.

 Ve-

Verum eſto, nulla amplius fieri miracula; quid inde? nos non profitemur niſi veterem doctrinam, quæ miraculis dudum eſt confirmata; quæve propterea opus amplius non habet, ut iterum confirmetur, quemadmodum advertit S. Gregorius Homil. 29. in Evang. ubi ait: *Ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis erat nutrienda; quia & nos, cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra jam coaluiſſe videamus: & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit.* At vero hæretici novam doctrinam ſpargunt, nullis unquam prodigiis approbatam.

Neque audiendi ſunt, cum dicunt, non repugnare bonitati Dei, ut per pravos homines interdum vera miracula patret, cum operatio miraculorum pertineat ad gratias gratis datas, quæ & malis & bonis communes ſunt: miraculis proinde, etſi conſtet ea eſſe vera, non ſatis confirmari fidei credibilitatem; quia ſi pravus homo poteſt patrare verum miraculum, etiam poterit eſſe deceptor, & falſum dicere.

Contra namque eſt, duobus modis miraculum fieri poſſe, ut recte obſervat Suarez Diſp. IV. Sect. 3. Primum ſine ullo reſpectu ad veritatem aliquam per illud confirmandam, ſed ſolum propter illius utilitatem, ut ad conferendam ſanitatem &c. Secundo fit miraculum, in teſtimonium alicujus doctrinæ, ut veram eſſe confirmet. Quamvis ergo priore modo poſſit Deus patrare miracula per pravos homines, quod etiam rariſſime contingit, & non tam ex virtute operantis, quam ex fide recipientis; poſteriore tamen modo fieri nequit, ut miraculum patretur in confirmationem falſitatis, quia hoc repugnat veracitati divinæ; cooperaretur enim Deus hac ratione mendacio, & eſſet teſtis ejus, ut ſentit Auguſtinus Lib. de utilitate credendi c. 6 Et S. Thomas 2. 2. q. 27. art. 2. ubi expreſſe negat, ab iis, qui falſam doctrinam annuntiant, fieri vera miracula in doctrinæ ſuæ confirmationem: quam-

Digitized by Google

quamvis quandoque fieri poſſint ad commendationem nominis Chriſti, quod invocant, & virtute Sacramentorum, quæ exhibent. Idque uberius explicat lib. 2. art. 6. ubi fatetur miracula non ſemper fieri, ut demonſtrent gratiam & ſanctitatem ejus, per quem fiunt; cum poſſit contingere, ut is ipſe non ſit juſtus: ſed negat id accidere poſſe, ut falſa ſit ejus doctrina, qui eam miraculis confirmat; ſecus enim Deus eſſet teſtis falſitatis.

X. Quod ſi etiamnum perſrictæ adeo frontis reperiatur aliquis, qui iis omnibus non obſtantibus, nullum unquam miraculum in fidei catholicæ confirmationem patratum aſſerere audeat; is ſaltem non effugiet inviſtiſſimum illud argumentum D. Auguſtini L. 22. de Civit. Dei cap. 5. Ubi S. hic Doctor negantibus miracula facta in confirmationem Reſurrectionis Dominicæ, & ceu conficta credere nolentibus reſpondet, hoc majus miraculum fuiſſe, quod ſine miraculis rem incredibilem totus orbis crederet. *Si vero*, inquit, *per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, Reſurrectionem atque Aſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod eam terrarum Orbis ſine ullis miraculis credidit.*

Miraculo huic affine eſt alterum, quod non minus divinæ virtutis potentiam, & fidei noſtræ credibilitatem commendat, perſeverantia videlicet ab initio prædicationis Evangelicæ, & conſtans duratio ejusdem Religionis a Chriſto inſtitutæ. Nam cum hæc Religio multa proponat ad credendum difficilia, quia naturalem intelligendi vim longe excedentia; multa etiam ad obſervandum valde ardua, quia corruptæ naturæ & concupiſcentiæ noſtræ repugnantia; cumque veritatis ipſius ſplendore quamplures ſectæ, quæ identidem exortæ fuerant, penitus extinctæ ſint, & ideo innumeros, potentiſſimosque ſemper habuerit hoſtes; nihilominus integra

&

& inconcuſſa hucusque permanſerit, quin inter ipſas perſecutiones & contradictiones credentium numero, & merito aucta ſit, quod profecto nulla virtus humana efficere unquam potuiſſet; id maximo eſt argumento, Religionem iſtiusmodi regi virtute Altiſſimi, & ſpiritu veritatis. Atque ita experimento videmus impletum Chriſti vaticinium, *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam ;* & ejusdem promiſſionem, *Ecce ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi.*

XI. Atque ex his omnibus in unum collectis ita ſummatim conficitur argumentum, quo Religionis noſtræ credibilitas ad evidentiam demonſtratur. Doctrina, quæ ex omni parte eſt pura & ſancta, innumerosque habet teſtes fide digniſſimos, qui non ſolum humana, ſed etiam divina virtute per ſigna mirabilia illam firmarunt, & ita confirmarunt, ut potentia mundi & dæmonum contra illam prævalere non potuerit, eſt evidenter credibilis. Atqui talem eſſe doctrinam Religionis noſtræ, ad evidentiam oſtendunt, quæ adduximus, credibilitatis motiva & argumenta. Ergo Religio noſtra, & quæ in ea ad credendum proponuntur fidei myſteria, ſunt evidenter credibilia. Ad cujus uberiorem confirmationem addi poteſt, naturali lumine evidens eſſe, Deum habere providentiam rerum humanarum, ideoque non deſerere hominem, in his maxime, quæ ad ipſiusmet cognitionem & cultum, & ad æternam hominis felicitatem pertinent. Unde incredibile omnino eſt, a Divina providentia ita deſtitutos eſſe homines hanc fidem amplectentes, ut eos falli permittat cum tanta credibilitatis evidentia, præſertim cum inter eos ſint multi, qui toto corde & tota mente Deum ipſum, ejusque veritatem inquirunt. Propter quod cenſet Chryſoſtomus in quadam homilia de Providentia, ſine magna injuria providentiæ divinæ non poſſe hanc fidem falſam reputari; & ſi per hypotheſim impoſſibilem falſa eſſet, hominibus imputandum non fore, quia prudentiſſime credunt. Unde & Richardus de S. Vict.

Lib.

Digitized by Google

Lib. 1. de Trinit. cap. 2. cum Deo loquens auſus eſt dicere: *Domine! ſi error eſt quem credimus, a Te decepti ſumus: iis enim ſignis doctrina hæc confirmata eſt, quæ, niſi a Te, fieri non potuerunt.*

XII. Hinc denique poſtremo colligitur, Religionem catholicam eſſe hoc ipſo evidenter credibilem & credendam, non ſolum abſolute, ſed etiam comparate ad quasvis alias ſectas; imo has in comparatione illius eſſe plane incredibiles. Nam ſtante credibilitate catholicæ doctrinæ, qualis a nobis demonſtrata eſt, fieri non poteſt, ut doctrina illi repugnans in comparatione ejus ſit credibilis: quia oſtendimus, doctrinam catholicam ita eſſe credibilem, ut repugnet providentiæ & veracitati divinæ tantam credibilitatem cadere in rem falſam: ergo non poſſunt doctrinæ contrariæ ſimul eſſe credibiles tanta credibilitate. Igitur poſita evidenti credibilitate Religionis catholicæ, neceſſe eſt, ut credibilitas cujuscunque contrariæ ſectæ ſit longe minor, imo nulla; quod etiam unicuique evidens fiet, ſi comparationem inſtituere libuerit, ſeu cum Paganiſmo, & Judaiſmo, ſeu cum diverſis Hæreticorum ſectis, adducta credibilitatis motiva iis applicando. Id quod abunde præſtitum eſt ab aliis, qui de credibilitate, & veritate Religionis catholicæ ex profeſſo tractarunt. Nobis, ut initio propoſuimus, in re adeo diffuſa ſummos rerum apices attigiſſe ſufficiat. Supereſt, ut obvias quasdam difficultates, quæ a Scholaſticis hoc loco moveri ſolent, paucis expediamus.

Reſpondetur ad Objecta.

XIII. OBjic. 1o. Si myſteria Religionis catholicæ, ipſaque adeo Catholicorum religio eſſet evidenter credibilis & credenda, nemo infidelium, aut hæreticorum hanc credibilitatem, & credendi obligationem negare poſſet: quin & fideles, ſaltem ii, qui ſufficienter penetrant vim & efficaciam mo-

motivorum, iisdem conſentirent neceſſario. Sed neutrum dici poteſt. Non primum; conſtat namque experientia, illam motivorum credibilitatem & credendi obligationem etiam ab iis infidelibus & hæreticis negari, qui cæteroquin in rebus fidei ſunt apprime verſati. Non etiam ſecundum; nam ſecus aſſenſus fidei non eſſet liber; nec, præter judicium de motivorum credibilitate, neceſſarium foret prævium voluntatis imperium, ſeu pius credulitatis affectus, cum in veritatem evidentem intellectus neceſſario feratur.

Reſp. Neg. maj. quoad utramque partem. Et primum infideles & hæreticos quod attinet, ſunt inter eos alii, quibus vera religio nondum eſt evidenter credibilis, quia rationes & motiva evidentem credibilitatem ſuadentia nondum ſunt illis ſufficienter propoſita. Aliis ſunt quidem ſufficienter propoſita, ſed quia præjudiciis tenaciter ſunt imbuti, illorum vim, quamvis poſſent, ſi vellent, non penetrant, aut potius ne penetrent, expendere nolunt, ſectæ ſuæ erroribus, quos ab infantia combiberunt, pertinaciter adhærentes. Alii denique, quamvis & motivorum credibilitatem, & evidentem credendi obligationem intelligant, huic tamen ſatisfacere nolunt, vel quod dura ipſis nimium accidat legum, quas Catholica præſcribit religio, obſervantia, vel quod temporalibus bonis ſpoliari metuant, aut alio ejusmodi motivo vel reſpectu humano prohibeantur; quemadmodum frequens nos docet experientia. His accedit, quod evidens credibilitas excludat quidem etiam imprudens dubium de ipſa obligatione credendi, adeo, ut qui rationes noſtras rite penetrant, credendi obligationem dari non diſſentiant: attamen evidentia de obligatione credendi non excludit imprudens dubium de re ipſa, cum quis poſſit imprudenter dubitare, an verum ſit, quod proponitur ut evidenter credibile. Unde infideles, præſertim quando intellectum a motivis credibilitatis quantum poſſunt avertunt, & convertunt ſe ad fallacias & commenta

quæ-

Digitized by Google

quædam, quibus apparenter ſuadetur, religionem catholicam eſſe falſam, maxime circa particularia quædam fidei myſteria ad credendum difficiliora, poſſunt a nobis diſſentire, & re ipſa diſſentiunt.

Atque ob eandem rationem aſſenſus fidei, quem fideles præbent religionis ſuæ myſteriis, liber eſt & meritorius; ea namque in ſe evidentia non ſunt, licet ſint evidenter credibilia & credenda: atque adeo intellectus quamvis non poſſit diſſentiri motivorum credibilitati, & obligationi credendi, poſita ſufficiente eorum apprehenſione; libere tamen aſſentitur ipſis myſteriis, quia poteſt aſſenſum cohibere, imo etiam temere ac imprudentiſſime diſſentiri. Unde eſt, quod præter judicium de credibilitate alicujus myſterii & obligatione illud credendi, requiratur prævium voluntatis imperium, ſeu pius credulitatis affectus.

XIV. *Objic.* 2°. Dictum voluntatis imperium non prærequiritur, ſi myſteria fidei ſint evidenter vera. Atqui eo ipſo quod ſint evidenter credibilia, ſunt etiam evidenter vera. *Prob. min.* Tunc ſunt evidenter vera, quando ſunt evidenter credibilia evidentia abſoluta, ſeu ſufficiente reſpectu omnium motiva credibilitatis rite expendentium. Sed ſunt ita evidenter credibilia. Ergo. *Prob. maj.* Quamvis falſum aliquod dogma poſſit eſſe evidenter credibile evidentia reſpectiva, ſeu ſufficiente reſpectu alicujus particularis hominis; evidens tamen eſt, quod nihil falſum poſſit eſſe evidenter credibile evidentia abſoluta, ſufficiente reſpectu omnium, etiam prudentum & doctorum. Sed evidens eſt, myſteria fidei noſtræ eſſe evidenter credibilia evidentia abſoluta, ſufficiente reſpectu omnium, etiam prudentum & doctorum. Ergo evidens eſt, quod non ſint falſa: ſunt igitur evidenter vera eo ipſo quod ſint evidenter credibilia.

Reſp. Neg. min. Ad *prob. Diſt. maj.* Tunc ſunt evidenter

ter vera, evidentia extrinſeca motivorum perſuadentium ipſam veritatem, *Conc.* Sunt evidenter vera evidentia intrinſeca ipſius veritatis, *Neg. maj. Ad prob. Diſt.* iterum *maj.* evidens eſt evidentia morali ſimpliciter & abſolute tali, excludente potentiam moralem ſaltem imprudentiſſime diſſentiendi, *Neg.* evidentia morali ſtante cum ejusmodi potentia diſſentiendi, *Conc. maj.* Spectatis motivis credibilitatis, quæ pariunt evidentiam magnam moralem, uti & principiis reflexis, quod tanta credibilitas cadere non poſſit in dogma falſum, poteſt quidem admitti aliqua evidentia de veritate Myſteriorum fidei, videlicet extrinſeca, proportionata ipſis credibilitatis motivis, & ſtans cum potentia morali, ſaltem imprudentiſſime diſſentiendi: ſed nullatenus admitti poteſt evidentia ſimpliciter & abſolute talis, excludens prædictam diſſentiendi potentiam; quia hæc tanta evidentia repugnat ſublimitati & obſcuritati Myſteriorum. Præter dictam namque evidentiam abſolute talem, & præter probabilitatem, quæ ſtat cum potentia morali etiam prudenter diſſentiendi, datur evidentia moralis ſecundum quid, ſtans cum potentia morali ſaltem imprudentiſſime diſſentiendi, quam ſolam admittimus ſequi ex evidenti Myſteriorum fidei credibilitate.

XV. *Objic.* 3. Adducta a nobis credibilitatis motiva non ſufficiunt ad diſcernendum, quænam religio ſit aliis omnibus credibilior. Ergo non faciunt religionem noſtram evidenter credibilem. *Prob. ant.* Ex hominibus etiam doctis vix novit aliquis, quænam religiones ſint in mundo, quæ ſingularum dogmata, quæ credibilitatis motiva &c. multo autem minus id rudes norunt, cum tamen etiam hi inter ſectas diſcernere poſſe deberent.

Reſp. Neg. ant. Ad *prob.* dico, opus non eſſe, ut ſectæ ſingulæ, & ſecundum ſingula motiva & argumenta inter ſe comparentur; ſed ſatis eſt, ſi id ſub generica quadam ratione

ne fiat: nam omnes de facto reducuntur ad Paganiſmum, Judaismum, & Chriſtianismum, quæ ſectæ paulo doctioribus quoad præcipua ſaltem dogmata ſat notæ ſunt; & ex eorum collatione facile quivis intelliget, ſolum Chriſtianismum eſſe evidenter credibilem. Quod autem ad ipſas Chriſtianorum diverſas ſectas attinet, aliquæ jam interciderunt, ut Sabellianorum, Novatianorum, Priſcillianiſtarum, Gnoſticorum &c. & de his certum eſt, quod motivis illis credibilitatis deſtitutæ fuerint, atque adeo non fuerint vera religio; cum hæc ex promiſſione Chriſti debeat ſemper perſeverare usque ad finem mundi, & contra eam prævalere non poſſint portæ inferi, ut eam ſubvertant. Idem eſto de iis ſectis judicium, quæ pauciſſimos habent ſequaces; cum vera religio & Eccleſia, etſi ab initio & in ſuo ortu poſſit eſſe inter paucos, deinde tamen & in progreſſu diffundi debeat, multosque numerare aſſeclas, ut ſit catholica, ſeu univerſalis. Igitur eas tantum ſectas noſſe oportebit, quæ extant adhuc paulo celebriores. Sed neque has, opus eſt, ut quis intime ſibi perſpectas habeat quoad ſingula earum dogmata; ſed ſatis erit noſſe motiva credibilitatis religionis catholicæ, eaque cum cæterarum ſectarum motivis conferre; unde paulo doctioribus facile patebit, quantum ſit diſcrimen inter credibilitatem fidei Romanæ, & cujuscunque hæreticæ doctrinæ, imo quam nulla ſit hujus credibilitas in comparatione illius. Eandem notitiam etiam rudes acquirere poterunt, tum ex inſtructione Paſtorum, quæ iſta explicare iis poſſunt ad captum, & frequenter etiam debent, tum ex propria cujusvis conſideratione; neque enim doctrina aut ingenio opus eſt, ad quædam ſaltem ex adductis credibilitatis motivis penetranda, præſertim quod reſpectu rudiorum ſatis ſit, quod videant multitudinem Chriſtianorum, & in hac etiam ſapientiſſimos Viros eam fidem amplecti ut indubitatam, & quod audiant illam eſſe multis miraculis, multoque Martyrum ſanguine confirmatam &

obſignatam; ac denique quod intelligant, ejusmodi doctrinam conſentaneam eſſe rationi, nihilque in ea morum honeſtati contrarium inveniant: nam hæc illorum captum non ſuperant, & tamen ſufficiunt, ut ipſis fiat doctrina fidei ſufficienter credibilis.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Regulis Fidei.

QUamvis fidei divinæ certitudo ex ſola infallibili Dei authoritate immutabiliter pendeat, quia tamen ex lege & providentia ordinaria Deus per ſe & immediate hominibus non loquitur, juxta dicta Diſſertatione præcedente Sect. 2. c. 1. ideo inter Deum & hominem intercedere neceſſario debet aliquod medium, per quod locutio divina & fidei doctrina univerſo fidelium cætui infallibiliter innoteſcat. Medium ejusmodi dicitur regula infallibilis fidei, qua, tanquam certo principio, regi & uti poſſint fideles omnes, & cumprimis Prædicatores Evangelii, & Eccleſiæ Doctores, ad diſcernendam doctrinam veram a falſa, ipſamque fidem ſufficienter aliis proponendam.

Duplex autem a Theologis fidei regula diſtingui ſolet, ſcilicet inanimis, & viva. Prior eſt ſcripta, vel non ſcripta, ſeu Scriptura & Traditio. Scriptura enim non loquitur, neque ſe ipſam interpretatur, ideo regula inanimis dicitur; & Traditio cum fundata ſit in antiqua conſuetudine eorum, qui nos præceſſerunt, pariter inter mortuas regulas reputatur. Viva autem fidei regula eſt Eccleſia, utpote quæ nobis loquitur, & veritates a Deo revelatas proponit & explicat: quæ cum tripliciter conſiderari poteſt, ſcilicet vel ſecundum ſe, & prout eſt cœtus fidelium ſub uno capite Chriſto, & ejus in terris Vicario; vel ut eſt in ſuis Prin-

Digitized by Google

Principibus in unum congregatis, & ut per eos nobis loquens; vel ut loquitur per ipſum ſuum Caput, legitimum nempe Chriſti in terris Vicarium, & D. Petri Succeſſorem; hinc quinque reſultant fidei regulæ, ſcilicet Scriptura, Traditio, Eccleſia, Concilium, Pontifex, ex quibus tamen poſtremæ duæ ad tertiam, nempe ad Eccleſiam revocari ſolent. De ſingulis, præciſe ut ſunt fidei regulæ, dicemus breviter. Nam ſecundum totam amplitudinem de iis diſſerere non eſt hujus loci, ſed proprium volumen exigit.

SECTIO PRIMA

De Regula fidei inanimi, ſeu de Scriptura, & Traditione.

CAPUT I.

Quo ſenſu Scriptura Sacra ſit regula fidei?

I. PRiusquam veritatem Catholicam ſtabiliamus, neceſſarium videtur, præambulas quasdam de Scriptura quæſtiones expedire. Igitur *Quær.* 1°. Quid ſit Scriptura Sacra?

Reſp. Eſſe Verbum Dei, nobis a Deo revelatum, eodemque inſpirante, ac verba dictante, vel ſaltem Scriptorem, ne erret, dirigente, litteris exaratum. Quod ut clarius intelligatur, tria præprimis in ſacris Litteris diſtinguere oportet: nempe res, ſeu ſententias; verba; & verborum ſeriem ac ſtructuram, ſeu ſtylum. Res verbis expreſſæ, vel ſunt dogmata, quæ fidem aut mores ſpectant; vel præteritorum temporum hiſtoriæ; vel prædictiones futurorum; vel leges ac præcepta, quibus homines ad virtutem informantur, & retrahuntur a vitiis. Verba ſunt ipſæ voces, qui-

bus

bus ſacri contextus mens ac ſenſus exprimitur. Stylus denique eſt verborum ordo, ſeries, ſtructura & compoſitio.

Deinde diſtinguenda eſt in Scriptoribus ſacris triplex Dei operatio: ſcilicet revelatio, inſpiratio, ac ſpecialis directio, ſeu aſſiſtentia. Revelatio proprie ac ſtricte ſumpta, eſt rei antea ignotæ facta divinitus declaratio, ſeu manifeſtatio. Inſpiratio eſt motus quidam interior ſeu impulſus, quo Deus Scriptorem movet & excitat ad ſcribendum, & ad delectum eorum, quæ vult, ut ab eo ſcribantur. Aſſiſtentia denique, ſeu ſpecialis directio, eſt ſingulare divini Spiritus auxilium, quo fit ut auctor ſacer nihil falſi ſcribere poſſit.

Inter revelationem & inſpirationem diſcrimen eſſe patet, tum ex utriusque mox adducta definitione, tum ex eo, quod refertur Joan. 11. v. 50. nempe dixiſſe Caipham: *Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo;* quod non ex revelatione, ſed ex interno quodam impulſu & inſpiratione protulit: neque enim revelatum ipſi fuerat, nedum ſciebat ille, Jeſum pro ſalute generis humani cruci affigendum; *Hoc autem*, ait Scriptura, *a ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit quod Jeſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.*

Ex ambigua & æquivoca ſignificatione vocis, *inſpirationis*, orta videtur gravis illa diſcordia, quæ inter Doctores Lovanienſes ac Duacenſes ex una parte, & nonnullos Societatis noſtræ Theologos ex altera exarſit, anno 1588. quæ forſan facile componi potuiſſet, ſi fixa & determinata fuiſſet verborum ſignificatio. Cum enim Theologi noſtri docerent, non eſſe neceſſarium, ut ſingula Scripturæ verba, aut etiam ſingulæ ſententiæ & veritates ſint immediate a Spiritu S. inſpiratæ, ſed ſatis eſſe, quod ab eodem ſint dirigente & aſſiſtente, ne quis unquam error irrepat; opinio iſta Magiſtris Lova-

va-

Digitized by Google

vanienſibus ac Duacenis ita diſplicuit, ut eandem ſua cenſura notaverint, contendentes, non tantum res & ſententias, ſed etiam ſingula verba, imo & apices verborum, ſtylum ac ſermonis texturam a Spiritu S. inſpirante ac movente eſſe. *Singula*, inquit dicta Cenſura, *ſcripturarum verba ſunt ſingula Sacramenta, ſinguli ſermones, ſyllabæ, apices, puncta divinis plena ſunt ſenſibus.*

Verum quod inſpirationem rerum ac ſententiarum attinet, diſcordia de nomine duntaxat fuiſſe videtur. Quippe cum Societatis Theologi negabant, omnes & ſingulas, quæ in Scripturis referuntur, hiſtorias atque ſententias fuiſſe a Spiritu S. immediate inſpiratas, nomine inſpirationis intelligebant veram & propriam revelationem rei antea incognitæ; non autem motum, ſeu interiorem illum impulſum, quo Scriptor ſacer ad ſcribendum, & inter multa ſibi cognita, ad hæc potius, quam illa conſcribenda interius movebatur & incitabatur; quam quidem internam motionem illi ultro admittebant. Ita ſe ipſum exponit Leſſius in Reſponſione ad Cenſuram Lovanienſem: *Dicimus*, inquiebat, *non fuiſſe neceſſarium, ut ad ſingulas ſententias & ſingula verba habuerint* (Scriptores ſacri) *novam & poſitivam inſpirationem ex parte illius; id eſt, novam illuminationem* (hoc eſt revelationem) *qua novo modo cognoſcerent veritates, quas ſcriberent; ſed ſuffeciſſe, ut Spiritus S. peculiari modo illos excitaret ac impelleret ad ſcribendum.* Hac nominis æquivocatione ſublata, conſopiri poterat controverſia de rebus atque ſententiis Scripturæ excitata. Verba autem, ac verborum ordinem & compoſitionem, ſeu ſtylum quod ſpectat, non eſt, cur Cenſoribus iſtis aſſentiamur.

Itaque tuto ac convenienter dici poteſt *Primo*, res aliquas Scriptoribus ſacris immediate a Spiritu S. revelatas fuiſſe: ſed non omnes. Revelatæ nempe ſunt Prophetiæ, fidei myſteria, cæteraque ab ipſis antea ignorata: *Beatus es Simon* *Bar-*

Bar-Jona, inquit Chriſtus Matth. 16. v. 17. *quia caro & ſanguis non revelavit tibi*, *ſed Pater meus*, *qui in cœlis eſt*. Sic & in Veteri Teſtamento multa Prophetis manifeſtata ſunt, quæ prius ignorabant, e. g. Iſaiæ, quod Virgo eſſet paritura c. 7. v. 14. quod Chriſtus multa paſſurus eſſet c. 53. Danieli, quod in medio hebdomadæ ſeptuageſimæ ſit occidendus c. 9. Zachariæ, quod triginta argenteis a Diſcipulo tradendus c. 11. &c.

Hiſtoriæ autem & facta, quorum ipſi Scriptores teſtes fuerant, & quæ propriis uſurpaverant oculis, ſine ſpeciali revelatione ſcribi ab illis potuerunt. *Quod fuit ab initio*, inquit S. Joannes Epiſt. 1. C. 1. v. 1. & 2. *quod audivimus*, *quod vidimus oculis noſtris*, *quod perſpeximus*, *& manus noſtræ contrectaverunt . . . teſtamur & annuntiamus vobis.* Ut quid enim neceſſaria fuiſſet ſpecialis revelatio, hoc eſt, rei incognitæ manifeſtatio, ad ea ſcribenda, quæ publica erant, & in conſpectu ipſo tum Apoſtolorum, tum aliorum geſta fuerant? Similiter neceſſaria non videtur fuiſſe ſpecialis revelatio, ut Moyſes enarraret Ægyptiorum plagas, quas oculis viderat; Joſua Iſraëlitarum victorias in ingreſſu terræ promiſſionis, quarum ipſe teſtis erat; Sanctus Joannes Chriſtum pendentem & morientem in cruce, cui ipſe aſtiterat &c. ad res hujuſcemodi ſcribendas non revelatione proprie dicta opus fuit, ſed tantum inſpiratione, ut ſcriberentur; & aſſiſtentia ſeu directione Spiritus Sancti, ne quid falſi ſcriberetur.

Secundo. Verba Scripturæ non omnia & ſingula a Spiritu Sancto dictata & inſpirata eſſe cenſemus. Quamvis enim a Spiritu Sancto dictante ſint illa, quibus exprimuntur myſteria, quæ captum Scriptoris ſacri ſuperant, cum ad exponenda quæ adeo ab humanis ſenſibus remota ſunt, naturalis loquendi facultas non ſufficiat; in facilioribus tamen & obviis, ut in Hiſtoriis deſcribendis verborum delectus, ordo & compoſitio ſeu

Digitized by Google

ſeu ſtylus ſcriptorum ingenio & indoli permiſſus fuiſſe videtur, aſſiſtente duntaxat ſpecialiter Spiritu Sancto, ne alicubi laberentur. Et re ipſa quidem diverſus eſt, & inæqualis ſcribendi modus, pro ingenio, educatione, peritia, vel imperitia Scriptoris. Quin idem Auctor res easdem aliis verbis, alioque ordine nonnunquam deſcribit, ut videre eſt in Moyſe, qui Decalogum refert Exodi 20. & Deut. 5. alio verborum delectu. Deinde Auctor Lib. 2. Machab. C. 2. v. 27. teſtatur ſe opus illud confeciſſe multo labore & ſudore. Cap. vero ultimo v. 39. dubitans, num effectus votis ſuis reſponderit, totum opus concludit his verbis: *etſi quidem bene, & ut Hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim: ſin autem minus digne, concedendum eſt mihi.* Igitur non manum duntaxat & calamum præbuit Spiritui Sancto ſingula verba dictanti, ſed propriam induſtriam adhibuit. Crimen enim eſt dubitare, num Spiritus Sanctus congrua verba delegerit, eaque apte, & ut Hiſtoriæ competit, ordinaverit. Blaſphemum quoque eſt petere, ut ei venia concedatur. Denique opinioni huic favent S. Dionyſius Alexand. apud Euſebium Lib. 7. Hiſt. C. 25. Hieronymus Epiſt. ad Algaſiam, Auguſtinus Lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum c. 28. & ex Recentioribus Bellarminus, cum pluribus gravibus Theologis.

II. *Quær.* 20. Quibus libris conſtet S. Scriptura?

Reſp. Vetus Teſtamentum conſtare 45. Libris, & novum 27. atque ita eſſe omnino 72. Libros divinos, quos Concilium Trid. Seſſ. 4. recenſet, & declarat ſacros & canonicos his verbis: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit - - . anathema ſit.* Qui quidem Librorum ſacrorum Canon non eſt primum editus a Synodo Trid. Sed eundem jam habuit Sæculo ſeptimo Iſidorus Hiſp. Lib. 6.

originum, c. 1. Sæculo quinto Innocentius I. in Epiſt. ad Exuperium c. 7. quod his verbis incipit: *Qui vero libri recipiantur in Canone Sanctarum Scripturarum, brevis annexus oſtendit.* Eodem Sæculo quinto eundem canonem habuit S. Auguſtinus Lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 8. & Gelaſius in Concil. Rom. 70. Epiſcoporum. Quarto denique ſæculo Concilium Carthag. III. cap. 47. Inter illos autem libros aliqui Protocanonici dicuntur, de quibus dubitatum nunquam fuit; quales ſunt in veteri Teſtamento quinque Libri Moyſis, & in novo quatuor Evangelia, aliique ſimiles. Aliqui vero Deuterocanonici appellantur, de quibus aliquando dubium fuit, & poſterius in Canonem ſunt relati; quanquam & in Synagogis Judæorum, & in pluribus ac inſignioribus Eccleſiis Chriſtianis publice legerentur, unde Eccleſiaſtici, & Hagiographi, & pii nuncupabantur: quales ſunt in veteri Teſtamento Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, Epiſtola Jeremiæ, duo Machabæorum, nonnullæ partes Danielis, & Eſtheris. In novo autem S. Marci caput ultimum, S. Lucæ Hiſtoria de Sudore Chriſti ſanguineo, Epiſtola ad Hebræos, Jacobi Epiſtola, & Apocalypſis; quos omnes jam tanquam veros & Canonicos Eccleſia agnoſcit & admittit.

At *inquies*: Qui fieri poteſt, ut Libri veteris legis, qu nec divini, nec canonici fuerunt in Synagoga, ſubinde tales effecti ſint in Eccleſia?

Reſp. Libros, qui non fuerunt divini in Synagoga, non poſſe eſſe tales in Eccleſia, id omnino verum eſt; quia Liber ſacer & divinus editus eſſe debet, inſpirante, ut diximus, & aſſiſtente Spiritu Sancto: ac proinde Libri ante Chriſti adventum conſcripti ſine inſpiratione Spiritus S. poſt adventum ejus divini eſſe non poſſunt. Sed falſum eſt, Libros divinitus inſpiratos, qui in Judæorum Canone non fuerunt repoſiti, non poſſe canonicos ab Eccleſia declarari; ipſius enim eſt de-

Digitized by Google

definire, quinam ſint libri ſacri & divini, ac conſequenter illos in Canonem referre; non quidem ex nova revelatione, ſed ex antiqua & conſtanti, quam deprehendit, illuſtrium ac multarum Eccleſiarum traditione. Quemadmodum ergo Epiſtolam ad Hebræos, & Hiſtoriam mulieris adulteræ Joan. 8. de quibus olim ambigebatur, in Canone repoſuit, quia revera divinæ ſunt; potuit quoque Libros veteris Legis, de quibus eſt ſermo, canonicos declarare, quia & iſti plane ſunt divini, quamvis ſerius recogniti; quod luculente demonſtratur a Theologis & Scripturæ Interpretibus, qui Libros illos ſingillatim expendunt.

III. *Quær.* 3°. Quot ſint Scripturæ Sacræ verſiones, & quænam ex illis authentica?

Reſp. Sacræ Scripturæ libri variis linguis & idiomatibus editi fuere. Ac inprimis vetus Teſtamentum licet primum lingua hebraica a Moyſe, Prophetis, & aliis Auctoribus conſcriptum ſit, variis tamen ex cauſis chaldaice, ſyriace, græce & latine temporum ſucceſſu, translatum & editum fuit. Novi vero Teſtamenti libros omnes græce primum conſcriptos fuiſſe conſtat; ſi tres tantum excipias, ſcilicet S. Matthæi Evangelium, quod hebraice primum ab illo ſcriptum fuerat; Evangelium S. Marci, quod multi exiſtimant latina lingua initio editum fuiſſe; & Epiſtolam ad Hebræos, de qua ambigitur, an primum hebraice, an vero græce ſit ſcripta. Hæc omnia copioſe pertractat Bellarminus Lib. 2. de Verbo Dei, cap. 1. & ſeq.

Porro Hebraicam editionem, partim negligentia Librariorum, partim Rabbinorum ignorantia, qui puncta addiderunt, quæ vocalium litterarum, quibus carebant Hebræi, ſupplerent vicem, fuiſſe aliquo pacto depravatam, & quosdam in eam errores irrepſiſſe certum eſſe notat cit. Bellarminus.

Editio, vel potius paraphraſis Chaldaica (ſi paucos libros veteris Teſtamenti excipias, ſcilicet Tobiæ, Judith, & aliquam Esdræ & Danielis partem, qui libri exiſtimantur fuiſſe primum chaldaice editi) tota inquam illa paraphraſis, quæ Targum a Rabbinis vocatur, quamvis lucem aliquam afferat locis obſcuris, nullius tamen momenti eſt in Eccleſia, cum in illa multa reperiantur fabuloſa, & Chriſtianæ veritati parum conſentanea.

Editio Syriaca (quæ fuit tantum novi Teſtamenti, & quorundam Librorum veteris) licet ab illius linguæ peritis probetur, atque ea olim uſa fuerit Syrorum Eccleſia, apud quam non pauci extitere Doctores, quales Iacobus Syrus, S. Ephrem &c. ab univerſali tamen Eccleſia nunquam authentica declarata eſt.

Græcam quod attinet, cum plures editiones lingua illa prodierint ex variis Auctoribus, ut Aquila, Theodotione, Symmacho & aliis; quæ tamen a ſeptuaginta Interpretibus in Ægypto tempore Ptolemæi Philadelphi facta eſt, omnibus aliis Græcis verſionibus merito antefertur; utpote qua uſi ſunt Apoſtoli, qua utuntur etiamnum Græci, & quæ velut authentica diu in Eccleſia obtinuit; ac nunc etiam obtineret, ſi ex Eccleſiæ judicio atque ſententia conſtaret, eam, quæ jam extat, autographo ſeptuaginta Interpretum conformem eſſe.

Denique Verſio latina, quam Auguſtinus Italam, Hieronymus vulgatam, Gregorius veterem appellat, quæ ſimpliciter Vulgata noſtra dicitur, hæc inquam verſio, prout Decreto Concilii Trident. & Romani Pontificis authoritate edita eſt, ſola pro vera, legitima & authentica Canonica Scriptura eſt habenda. Ita definitum eſt in eodem Concilio Trid. Seſſ. IV. his verbis: *Sacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis Editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum Librorum, quænam pro au-*

authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot Sæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur; & nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.

Cujus quidem Decreti Senſus non eſt, quod in noſtra Vulgata nihil omnino reperiatur, quod melius & clarius verti non poſſit; aut quod ea prorſus immunis ſit a nævis levioribus in iis, quæ non pertinent ad fidem & bonos mores: cum ipſemet Hieronymus nonnulla in ſua verſione emendarit, faſſusque ſit, rectius aliter verti potuiſſe. Unde Bellarminus Epiſt. ad Lucam Brugenſem, a quo libellum de Correctione Vulgatæ acceperat, *de libello ad me miſſo*, inquit, *gratias ago: Sed ſcias velim, Biblia vulgata non eſſe a nobis accuratiſſime caſtigata; multa enim de induſtria multis de cauſis pertranſivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Neque etiam Concil. Trident. cum Vulgatam noſtram declaravit authenticam, primigeniis textibus Hebraico & Græco vim omnem & authoritatem detractam voluit. Synodus enim Vulgatam cum ipſis fontibus non comparat, ſed cum aliis duntaxat, quæ paſſim circumferebantur Latinis Verſionibus. Non prohibet igitur fontes ipſos adiri & conſuli; ſed hoc unum, ne Vulgata alicujus erroris incuſetur: quia in iis omnibus, quæ fidem & mores ſpectant, primigenio textui plane conformis eſt, tametſi a levioribus quibusdam mendis expurgata omnino non ſit. De hoc argumento copioſe diſſeruit Cardinalis Palavicinus L. 6. Hiſt. Conc. Trid. C. 17.; & Andreas Vega, qui Concilio interfuit L. 15. de Juſtificatione C. 9.

Eſt autem dubium inter Doctores, an editio Latina vulgata, quæ nunc in uſu eſt apud Catholicos, ſit una eademque cum editione veteri, an vero diverſa ab illa? Quidam contendunt Vulgatam noſtram eſſe S. Hieronymi, atque adeo diverſam ab illa veteri. Alii contra eandem eſſe volunt cum veteri, ſolum-

lumque a S. Hieronymo fuiſſe emendatam. Alii denique, quod probabilius videtur, cenſent editionem hanc noſtram mixtam eſſe ex utraque, & partim eandem cum veteri, partim ex S. Hieronymi translatione. Quod etiam aſſerit Bellarminus L. 2. de Verbo Dei c. 9. ubi docet, novum Teſtamentum noſtræ Vulgatæ eſſe ex antiqua editione, quam Hieronymus emendavit; ſimiliter & Pſalterium Davidicum ab eodem emendatum, nec non libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum. Reliquos vero ab eodem S. Doctore translatos eſſe ex Hebræo in Latinum, ut ipſe teſtatur in fine libri de Scriptoribus Eccleſ. *Novum*, inquit, *Teſtamentum Græcæ fidei reddidi, vetus juxta Hebraicum transtuli.*

IV. *Quæres* 4°. Quotuplex diſtingui ſoleat Scripturæ ſenſus?

Reſp. Duplex in prima ſui diviſione communiter aſſignatur Scripturæ ſenſus, nimirum litteralis, & myſticus, ſeu ſpiritualis. Senſus litteralis eſt, quem verba ipſa per ſe primo ſignificant, ſive ea proprie ſumantur, ſive non. Unde ſenſus litteralis duplex diſtinguitur. Unus proprius, quem verba proprie accepta exprimunt. Alter metaphoricus ſeu improprius, cum verba a ſua propria ad impropriam ſignificationem transferuntur: ut cum dicitur Joan. 11. *Oves meæ vocem meam audiunt*, ſenſus eſt de populo fideli, per oves metaphorice acceptas ſignificato. Ejusdem textus multiplex poteſt eſſe ſenſus litteralis, ut docet S. Auguſtinus L. 12. Confeſſionum C. 18. Et Sanctus Thomas 1. p. Q. 1. Art. 10. Et patet manifeſte ex Scripturis. Sic Exod. 12. v. 46. de agno Paſchali ad litteram præſcribitur: *Os non comminuetis ex eo.* & idem S. Joan. C. 19. v. 36. applicat Chriſto in cruce immolato absque crurium confractione. De Salomone quoque & de Chriſto ſimul dictum eſt;

ero

ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium ad Hebr. 1. v. 5. Pariter quod de populo Judaico legitur Oſeæ 7. v. 2. *ex Ægypto vocavi filium meum*, tanquam de Chriſto dictum refert S. Matthæus C. 2. v. 15.

Senſus myſticus ille dicitur, qui non verbis ipſis, ſed rebus per verba ſignificatis indicatur; & trifariam vulgo dividitur, nempe in Allegoricum, Tropologicum ſeu moralem, & Anagogicum.

Allegoricus eſt cum verba Scripturæ præter literalem, quem haben. ſenſum, ſignificant aliquid gerendum in novo Teſtamento, quod ad Chriſtum præſertim, & Eccleſiam pertinet: *e. g.* Exaltatio ſerpentis in deſerto deſignabat Chriſtum exaltandum in Cruce.

Tropologicus ſeu moralis eſt, cum verba aut facta referuntur ad ſignificandum aliquid, quod ad mores informandos ſpectat: ſic circumciſio carnis, quæ apud Judæos in uſu erat, in ſenſu morali ſignificabat vitiorum & cupiditatum reſectionem, ut habet Apoſtolus ad Rom. 2. v. 29.

Anagogicus eſt, cum verba ſeu facta referuntur ad patriam cœleſtem: ſic introitus Iſraëlitici populi in terram promiſſionis ſignificabat introitum fidelis populi ad æternam gloriam. Et Apoſtolus ad Hebr. 9. ingreſſum Pontificis in Sancta Sanctorum refert ad introitum Chriſti in cœlum.

Quadruplex autem hic Scripturæ ſenſus hac unica voce *Jeruſalem* fit manifeſtus ex D. Hieronymo in cap. 16. Ezech. hæc enim vox ad literam ſignificat civitatem Judææ, civitas autem hæc ſignificat allegorice Eccleſiam militantem, anagogice patriam cœleſtem, ſeu Eccleſiam triumphantem, tropologice animam juſti.

Præfati quatuor Scripturæ ſenſus levandæ memoriæ cauſa vulgatis iis duobus verſiculis exprimuntur:

Litera geſta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quid ſperes Anagogia.

Quod ſi ſcire cupias, quibus Ducibus poſſis quemcunque ex dictis Scripturæ ſenſibus aſſequi, diſces ex Sixto Senenſi L. 3. Biblioth. Sanctæ ſic metrice reſpondente

Hiſtoriam Hebræis, & Græcis fontibus hauſtam,
Hieronymo diſces duce.
Allegorias, Anagogemque recludent
Origenes, & Ambroſius.
Exponent ſenſus formandis moribus aptos,
Chryſoſtomus, & Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine merſis
Aurelius lucem feret.
At brevis, & facilis non eſt ſpernenda tyroni
Lirinenſis expoſitio.

Sed omnium fideliſſimus dux, & tutiſſima regula, genuinum Scripturæ ſenſum diſcernendi eſt judicium Eccleſiæ. Hanc præſcribit Concilium Trid. Seſſ. IV. dum ſtatuit, nemini ſuæ nixo prudentiæ licitum eſſe Scripturam interpretari, *contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum.*

Ab hac regula quotquot receſſerunt, in turpiſſimos errores atque hæreſes prolapſi ſunt. Receſſerunt autem potiſſimum Novatores noſtri, qui ſacros, divinarumque rerum plenos libros abſque duce & Judice revolvendos ſibi eſſe putarunt, quod adeo clari & aperti ſint, ut dogmata in iis propoſita nullo declarante unusquisque aſſequi poſſit. Queruntur quidem ex iis nonnulli, id falſo a nobis ipſis imputari; cum & ipſi fateantur, in Scripturis permulta occurrere ſcitu difficillima, quæ viris etiam doctiſſimis plurimum negotii faceſſant. Sed imperitos ſpecioſis verbis decipiunt homines callidiſſimi.

Quam-

Digitized by Google

Quamvis enim nonnunquam fateantur Scripturam alicubi intellectu difficilem, & donum quoque interpretationis Eccleſiæ prorſus non denegent; nihilominus contendunt, dogmata ad ſalutem neceſſaria, quæ in Sacris litteris continentur, obſcura quidem eſſe ſuperbis & infidelibus, non autem humilibus, & qui gratiæ fideique Spiritu aguntur: hos uno verbi ſcripti præſidio omnia quæ ſunt credenda dijudicare; ſi quid abſtruſum ac per difficile in uno Scripturæ textu ob implexam ſignificationem verborum invenitur, illud alio in loco absque ulla ambiguitate dilucide contineri; difficultatem denique, non rerum eſſe, ſed verborum, quæ per Grammaticas inſtitutiones, ac peritiam hebrææ, græcæque Syntaxeos haud difficulter ſuperari poſſit. At Catholici ex adverſo ſolam Scripturam ad controverſias fidei componendas ſatis eſſe, atque res omnes in ea traditas per ſe cuique fidelium patere negant, aſſerentes, temere ac imprudenter eos ſe gerere, quicunque Eccleſiæ authoritate neglecta, arrogant ſibi munus interpretationis, confugiuntque ad divinorum librorum oracula, tanquam ad Judicis definientis tribunal.

Verum ut contra eos ordine procedamus, & quæſtioni hoc Capite propoſitæ, ſublata omni verborum & rerum ambiguitate, plenius ſatis fiat, præmittimus, nos inter & Novatores in eo convenire, quod ſacra Biblia tanquam fidei norma & regula ſint agnoſcenda: ſed illi normam, & Judicem imperite confundunt; nos unum ab altero diſtinguendum eſſe contendimus. Hæreticorum vox una eſt: *Scriptura, Judex, norma & regula agnoſcitur, ad quam, ceu ad lydium lapidem, omnia dogmata exigenda ſunt & judicanda.*

Hæc nempe vetus eſt hæreticorum conſuetudo, ad ſolas Scripturas provocare, easque pro libitu in ſenſum, quem ipſi approbant, detorquere, ut S. Auguſtinus ſcribit de Arianis Lib. 1. contra Maxim. c. 1. & de Pelagianis L. de Nat. &

Grat. c. 39. Nos itaque Scripturam eſſe fidei regulam, licet non unicam, profitemur; eſſe regulam ſimul ac Judicem denegamus.

ASSERTIO.

Scriptura ſacra non eſt eo ſenſu fidei regula, ut ea ſola ad credendum, & fidei dogmata definienda ſufficiat.

V. **P***Rob.* Tunc ſcriptura ſacra non eſt ex ſe ſola ſufficiens regula ad credendum, quando de ipſo Scripturæ Canone & vero ac genuino ſenſu ex ea ſola judicium repeti nequit. Sed ita eſt. Ergo. *Prob. min. quoad utramque partem.* Et inprimis notum eſt, non omnibus eundem eſſe ſcripturæ Canonem. Nam Judæi veteris Teſtamenti libros pleroſque ut divinos agnoſcunt; at novo Teſtamento omnem authoritatem abrogant. Manichæi contra, exploſo teſtamento veteri, ſoli novo fidem adhibebant. Novatores ex utroque Teſtamento libros aliquos rejiciunt: ut ex veteri libros Eſther, Baruch, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum. Et ex novo Epiſtolam ad Hebræos, Epiſtolam Jacobi, ſecundam Petri, ſecundam ac tertiam Joannis, ejusque Apocalypſin, itemque epiſtolam Judæ. Ex adverſo nonnulli admittunt tanquam Canonicos, librum Hermetis ſeu Paſtoris, tertium & quartum Esdræ, tertium & quartum Machabæorum, orationem Regis Manaſſe, epiſtolam Pauli ad Senecam, Evangelium Nazaræorum, &c. quos tamen libros Catholici ut Canonicos non agnoſcunt. Quod ſi igitur Canon ipſe in quæſtionem veniat, ſi de autographia unius libri, aut unius textus oriatur contentio, neque occurat in alio libro, e. g. Hiſtoria Suſanæ, aut Adulteræ; undenam componi poterit hæc controverſia? Vel ſi contendat aliquis, recipiendum in Canone librum quempiam non authenticum, aut ab hæreticis confi-

ctum,

ctum, qua Scriptura commonſtrante hunc inter apocrypha ſcripta rejiciemus? Detur præterea antiquiorum librorum autographiam comprobari teſtimonio poſteriorum; hos qua authoritate poſſumus vindicare? *ſi non de aliqua particula*, quærit Auguſtinus Lib. XI. contra Fauſtum c. 2. *ſed de toto audias contradicentem, & clamantem: falſus eſt; quid ages, quo te convertes? quam libri a te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis?* Quæſtio itaque de Canone Scripturarum, niſi ad alterius, præterquam Scripturæ, judicium confugiatur, manebit ſemper ambigua. Atque hinc eſt, quod Athanaſius in Synopſi rationem afferens, cur non recipiamus Evangelium Thomæ, reſpondet: *Quia non eſt in Catholico Canone.* Et S. Auguſtinus Lib. 1. ſerm. Dom. in monte Cap. 3. ſcribit, a nobis cenſeri apocrypham Apocalypſim Pauli, quoniam illam *Eccleſia ſana non recipit.* Contra vero libros Machabæorum, aliosque ab hæreticis rejectos ipſius Eccleſiæ authoritate retinemus, juxta ejusdem S. Doctoris regulam Lib. XI. de doctrina Chriſti c. 8. Accedit, quod Novatores ipſi quosdam veteris Teſtamenti libros rejiciant ideo, quia non extiterunt in Canone Judæorum. Nobis inſuper objiciunt, quod recipiamus libros ab Eccleſia priorum ſæculorum nequaquam probatos; a ſe vero omnes illos retineri, quos ante Magni Gregorii tempora Eccleſia ipſa probavit, ut Piceninus ait in Triumpho c. 2. n. 26. Igitur non ad ſacrarum literarum judicium, ſed ad veteris Synagogæ, & priorum ſæculorum Eccleſiæ tribunal, ut diſcernant ſacrorum librorum authoritatem, ipſi confugiunt.

VI. Ratione conſimili ſi de dubio aliquo atque obſcuro Scripturæ ſenſu occurrat quæſtio, ad eam dirimendam alterius, quam Scripturæ judicium requirendum erit. Negant quidem pertinaciter noſtrorum præſertim temporum hæretici, Scripturas alicubi adeo eſſe obſcuras, ut ab humilibus ſaltem atque fidelibus intelligi non poſſint, atque adeo ſolæ ad quam-

cunque fidei controverſiam componendam non ſufficiant. Sed manifeſtæ falſitatis convincuntur tum ipſiusmet Scripturæ teſtimonio, & Patrum authoritate, tum ratione, & proprio experimento.

Scriptura inprimis ipſa teſtatur, ſe eſſe obſcuram, & intellectu difficilem. Sic enim Pſal. 118. v. 18. ait David: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Et v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Rurſus 9. v. 135. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas.* In quæ loca S. Hieronymus Epiſt. ad Paulinum de inſtit. Monach. c. 4. ait: *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, & pene lactentes inſcitiæ nocte circumdari?*

Similiter de Diſcipulis euntibus in Emaus legitur Luc. 24. cap. v. 27. quod illis Jeſus, *incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Et v. 45. *Aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.*

Et Eunuchus Reginæ Candacis Iſaiam legens, atque a Philippo Diacono interrogatus Actor. 8. v. 30. *Putasne, intelligis, quæ legis?* reſpondit v. 31. *Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?*

Quorſum iſta, ſi Scriptura adeo perſpicua eſt, ut Solis inſtar, quemadmodum loquuntur Heterodoxi, ipſa un cuique ſplendeſcat? Reponere certe non poterunt, ſanctiſſimum Davidem, Chriſti diſcipulos ob illatam Magiſtro ſuo mortem triſtitia affectos, atque Eunuchum diſcendi cupidum, & ſacrorum librorum cultorem, fuiſſe ſuperbia tumidos, & omni fide deſtitutos, aut ſaltem in fide nondum roboratos. Nam de Davide hoc ſentire non licet; Eunuchus autem ille, & Diſcipuli Chriſti, quamquam non omnia completæ Redemptionis myſteria firmiter perceperint, ſacram tamen Scripturam eſſe ver-

Digitized by Google

verbum Dei fatebantur. Cur ergo hanc recipientibus Prophetarum oracula non fuerunt aperta? aut ſi in fide nutantibus plura in ſacris literis apparent ambigua, hi quomodo ad fidem pertrahentur?

Qua deinde via ſe expedient hæretici, ſi clariſſima SS. Patrum teſtimonia adjiciantur. Ut mittam Hieronymum, Irenæum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Clementem Alexandr. Origenem, aliosque citatos a Bellarmino Tom. I. Controv. 1. de verbo Dei l. 3. c. 1. S. Auguſtinus, quo præſertim abutuntur Adverſarii, Præf. in Pſ. 140. ita ſcribit: *ſunt in Scripturis ſanctis profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, ne vileſcant; ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut paſcant.* Et Epiſt. 119. ad Januarium c. 21. *Miror, quia hoc te latet, quod non ſolum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, ſed etiam in ipſis ſanctis Scripturis multo neſciam plura, quam ſciam.* Similia paſſim occurrunt tum apud eundem hunc S. Doctorem, tum apud alios mox nominatos.

Sed quid Patres commemoro? ipſi hæretici quamvis pertinaciter tueantur, Scripturam eſſe omnibus apertam; aliquando tamen ſui immemores, parumque ſibi conſtantes veritatem confeſſi ſunt. Nam Lutherus Præfat. in Pſal. arguit impudentiſſimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a ſe in omnibus partibus intellectum. Et l. 1. contra Zwinglium, & Oecolampadium ait, propter diverſas Scripturæ interpretationes, ſi mundus diutius ſteterit, recurrendum tandem rurſus erit ad Conciliorum decreta. Brentii, Chemnitii, aliorumque antilogias vide apud Bellarminum loco cit.

Accedit, quod facto ipſo ſibi contradicant Adverſarii. Clariſſimus certe videtur locus ille Matth. 26. v. 26. *Hoc eſt corpus meum:* & tamen Sacramentarii cum Lutheranis plures quam octoginta diverſas ejus interpretationes adhibuere. Sane

Lu-

Lutherani ea verba accipiunt proprie & literaliter, Calviniſtæ, & Zwingliani ea explicant in ſenſu figurato & ſymbolico. Si ex ſola Scriptura hæc lis dirimi poteſt; quare hæretici eundem ſenſum non aſſequuntur? cur idem dogma unanimiter non propugnant? Aut ſi allatus textus ambiguus eſt, cur non profertur alter expreſſior, & ita apertus, ut pars adverſa acquieſcat? At etiamſi proferretur, reſpondere poterit Adverſarius, quod Fauſto olim repoſuit Auguſtinus Lib. 13. c. 4. *Quomodo ille, cui non credo, profert mihi Scripturas, quibus de illo credam; & eis ipſe conatur dare authoritatem, cum ego ipſi non credam?* Ita nimirum Calviniſta non credit Lutherano divinam Scripturam in ſui favorem proferenti; quia illius ſenſum ab ipſo nequaquam percipi, ſed obviam ſibi eſſe oppoſitam interpretationem exiſtimat. Et ob eandem cauſam Calviniſtæ non credit Lutheranus; quia non illi, ſed ſibi verum Scripturæ ſenſum patere arbitratur. Atque ita ſi nullum præter ipſam Scripturam judicium expectetur, nullus litigiorum finis unquam erit, ſed perpetuo crudeſcent diſſidia, inter Heterodoxos nullo unquam tempore componenda.

VII. Sed inquiunt, obſcuritatem Scripturarum eſſe in verbis, non in rebus; aut certe ea, quæ ſunt obſcura, non pertinere ad ſubſtantiam fidei, ſed ad Scholaſticas dumtaxat controverſias.

At Auguſtinus Epiſtola ad Voluſianum III. nunc CXXVII. ita contra ſcribit: *Tanta non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimisque cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum conſummaverit homo, tunc incipit.* Deinde in ſupra adducto Evangelii textu, *hoc eſt corpus meum*, de cujus intelligentia Lutheri & Calvini Diſcipuli convenire hactenus non potuerunt, quodnam verbum eſt obſcurum? quid locutione hac planius? quidnam pronomine illo uſitatius? Myſterium

ita-

Digitized by Google

itaque Euchariſticum, non verborum involucra & obſcuritas Calvinianos deterret. Eadem eſt ratio verborum illorum *Verbum caro factum eſt*, quæ in oppoſitum ſenſum trahunt Neſtoriani & Eutychiani. Item illorum, *Ego & Pater unum ſumus*, quæ de unitate tantum morali & affectiva perperam interpretantur Ariani. Quis dixerit iſta involvi difficultaté ſolum grammaticali, aut ad ſubſtantiam fidei non pertinere? cum profunda ſint myſteria, & quæſtiones graviſſimæ, in quibus nobiſcum, & invicem Hæretici pugnaciter bellum gerunt. His adde complura iſtiusmodi alia, quæ minoris momenti non ſunt, neque minus latent in ſacris paginis. Quomodo enim ex ſolis Scripturis clare deſumi poterit, parvulos eſſe baptizandos; ad ſalutem iis neceſſariam non eſſe Euchariſtiam; valere Baptiſmum ab Hæretico datum &c. Rurſus Patrem in divinis ingenitum credimus; itemque Spiritum Sanctum adorandum: & tamen negat Auguſtinus L. 3. contra Maximinum C 3. hæc in Scripturis clare legi. Sed nec deſcenſus ad inferos Chriſti Domini, ut plura ejusmodi omittam alia, in iis eſt clare expreſſus. Atque hæ non ſunt leves ſcholarum quæſtiones, ſed controverſiæ ad fidei ſubſtantiam pertinentes, ut nemo non videt.

Affirmant præterea Hæretici, unum Scripturæ textum ex alio innoteſcere. Sed quid agendum erit, cum plures invicem videantur pugnare? quo jure unum locum præferemus alteri, vel unum pro alterius regula ſtatuemus? Textum illum, *Pater major me eſt*, Catholici exponunt ex altero, *Ego & Pater unum ſumus*: at Ariani oppoſitum faciunt. Similiter Lutherani exiſtimantes concupiſcentiam eſſe vere peccatum, vérba illa ad Rom. 6. & 8. quibus dicitur, homines per Baptiſmum ablui & ſanctificari, interpretantur ex aliis ad Rom. 6. ubi Apoſtolus dicit in ſe adhuc habitare peccatum: unde contendunt per vocem *ablui* non ſignificari, quod omnino tollatur peccatum, ſed quod tantum non imputetur. Catholici

vice verſa, quibus certum eſt in juſtis peccatum non remanere, poſteriorem hunc locum ita ex priore interpretantur, ut peccatum, de quo loquitur Apoſtolus, non exiſtiment accipiendum eſſe de peccato proprie tali, ſed de effectu peccati, aut in quibusdam de cauſa peccati, qualis eſt concupiſcentia. Ergo opus adhuc erit alio Judice, litem hanc decretorie & infallibiliter dirimente. Igitur neque de Scripturarum Canone, neque de vero ac legitimo ſenſu ex ſola ſacra Scriptura nobis conſtare poteſt; atque adeo hæc non eſt ejusmodi fidei regula, ut ſola, & ſublata vivi Judicis authoritate, ad credendum & ad omnia dogmata definienda ſufficiat.

Heterodoxorum Objecta refelluntur.

VIII. PLurima hic congerunt Sectarii Scripturæ teſtimonia, quibus ad veritatem oppugnandam abutuntur. Atque inprimis Scripturam fidelibus ſingulis apertiſſimam eſſe demonſtrare conantur ex ſequentibus locis.

I°. Inquiunt, Pſal. 18. v. 9. legitur: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et Pſ. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Igitur verbum Dei unicuique fidelium perſpicuum eſt, ac per ſe nitidiſſimum effundit lumen.

2°. Joan. 5. v. 39. Chriſtus ad ſolam Scripturam remittit Judæos, ut veritatem Incarnationis jam peractæ, & Meſſiæ adventum cognoſcerent, dicens: *ſcrutamini Scripturas.*

3°. Actor. 17. 11. Beroenſes, ac nobiliores Theſſalonicæ ad prædicationem Pauli *ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Si Apoſtoli verba ad Scripturarum judicium revocata ſunt, quidni

fas

fas erit ex Scripturis de Eccleſiæ ipſius definitionibus judicium ferre?

4°. In Apocalypſi v. 9. dicitur *Agnus*, id eſt, Chriſtus aperuiſſe *librum*, & ſolviſſe *ſignacula ejus*: igitur poſt Chriſti mortem nullum amplius myſterium latet.

5°. Denique S. Petrus Epiſt. 2. c. 1. v. 19. *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Sermo itaque divinus, ſacro librorum codice contentus, apertiſſimus eſt, & fidelium cuilibet lucentis inſtar lucernæ ſplendeſcit.

Reſp. Ante omnia ex adverſariis jure merito quæri poſſe, unde nam ipſis certo conſtet, aut qua Scripturæ authoritate demonſtrari queat, ea loca eſſe authentica, & non apocrypha? id niſi exploratum ſit, nullum inde ſat firmum duci poteſt argmentum. Verum demus, de eo nos ſecuros jam eſſe, tanquam de re aliunde manifeſta: ut ſingulis, quæ objecta ſunt, ſatis fiat,

Ad 1mum dico, verbum Dei Scripturis contentum lucidum eſſe, atque lucernæ inſtar, pedibus ac ſemitis, id eſt, actionibus noſtris regulam infallibilem exhibere, ſed ſuppoſita revelatione, & præmiſſa declaratione eorum, quibus id divinitus datum eſt; quod idem Pſalmiſta haud obſcure affirmat citat. Pſ. 118. v. 18. dicens: *revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Et v. 130. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

Ad 2dum. Eo loco Chriſtus non remittit Judæos ad ſolam Scripturam, ſed etiam ad teſtimonium Joannis: *vos miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium perhibuit veritati.* v. 33. Item ad opera a ſe patrata: *opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* v. 36. Inſuper ad teſtimonium, quod de illo perhibuit Pater: *qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me,*

v. 37. Quomodo ergo adverſarii ſolam Scripturam hoc loco abutentes deprædicant? Deinde aliud eſt, Scripturam ſcrutari, id eſt, expendere, & ex ea veritatem inquirere; aliud ipſius authenticitatem dignoſcere, & ſenſum ambiguum definire. Primum Eccleſia Romana non prohibet, quin magnopere commendat, Dei verbum tanquam normam fidei, & perennem veritatis fontem nobis proponendo. Sed alterum ex ſolis Scripturis, ſublata vivi Judicis authoritate, fieri non poſſe docet. Denique non adeo certum eſt, vocem illam *ſcrutamini* imperandi modo dictam eſſe, & non potius indicandi. Non deſunt, qui velint, eam eſſe indicativi, temporiſque præſentis. Senſus proinde verborum illorum erit: vos ſcrutamini Scripturas, ſed iisdem non creditis; cum enim illæ de me teſtimonium perhibeant, *non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Ex quibus adverſus Sectarios ita arguere licet: quemadmodum Judæi, quamvis ſcrutarentur Scripturas, quia non receperunt Joannis teſtimonium, non crediderunt operibus Chriſti, non audierunt vocem Patris, obcœcati ſunt, ut videntes non viderent; ita hæretici ſolas Scripturas perlegentes, & Sanctorum teſtimonia, miraculorum virtutem, & vivam Dei vocem Eccleſiæ ore prolatam pervicaciter contemnentes, veritatem peſſumdant, & in tenebris deliteſcunt.

Ad 3 um. Berœenſes, & nobiliores Theſſalonicæ non ſcrutabantur Scripturas, ut Pauli prædicationi crederent, jam enim ſuſceperant verbum cum omni aviditate; ſed ut in fide magis roborarentur, expendentes omnia, quæ de Chriſto ab Apoſtolo enuntiabantur jam impleta, fuiſſe revera prædicta vaticiniis Prophetarum. Hoc animo unicuique licitum eſt Sacrarum Litterarum ſtudiis incumbere, & ex illis veritatem inveſtigare, judicio ſeu intentione diſcuſſionis, non definitionis; quæ duo confundi non debent, quod callide faciunt Sectarii.

Ad

Digitized by Google

Ad 4tum. In Apocalypſi dicitur Agnus occiſus accepiſſe librum, & ſolviſſe ſignacula ejus; quoniam in Chriſti morte completi fuerunt typi veteris Teſtamenti, quod etiam veli ſciſſio demonſtravit, juxta communem Patrum, ac Interpretum expoſitionem. Quibus adde, librum ab Agno apertum eſſe in medio ſeniorum, & quatuor animalium, Evangeliſtarum nempe, & Apoſtolorum, quibus Dominus aperuit ſenſum, *ut intelligerent Scripturas*. Deinde cum aperuiſſet Agnus unumquodque de ſeptem ſigillis, ait unum de quatuor animalibus: *veni, & vide;* quæ ſunt verba Petri, Apoſtolorum principis, Joannem alloquentis, quia & dignioribus ſummus Eccleſiæ Rector pandit oracula. Petrum hic loci ſpecialiter deſignari exiſtimat Grotius ipſe Tom. 3. Op. Th. p. 1178. quem tanti faciunt Novatores, ut nonnulli appellent illuſtrem, eximium, & ſingulis Romanenſibus præferendum. Si reponant, Grotium in hac expoſitione decipi; fateantur neceſſe eſt librum etiamnum iis obſignatum eſſe, qui in Scripturæ ac fidei controverſiis vivi Judicis authoritatem non agnoſcunt.

Ad 5tum. Quamvis Petrus cit. textu propheticum ſermonem lucernæ lucenti comparet, fruſtra tamen caliginoſum locum ibidem non commmemorat; ſed ut demonſtret eos, qui lucem non habent, debere illam ab aliis mutuare. Ita fecit Hieronymus, dum perrexit Alexandriam ad Dydimum, & ab eo ſciſcitatus eſt, quæ in Scripturis dubia habebat, ut ipſe teſtatur in præfat. Comment. in Epiſt. ad Epheſ. Hieronymum quoque de Scripturarum quæſtionibus difficillimis conſuluerunt Damaſus Papa, Evagrius, Dardanus, & totius fere orbis viri clariſſimi. Similiter Auguſtinum Voluſianus, Marcellinus, Bonifacius, Simplicianus, & alii. Atque his in caliginoſo loco exhibita eſt lucerna, quam Sectarii cœce abjiciunt, ſuoque judicio audaciſſima temeritate confiſi, & eorum declarationem contemnentes, quibus a Domino dictum eſt, *vos*

eſtis lux mundi, in explicandis textibus etiam expreſſiſſimis turpiter cœcutiunt, & inter ſe Andabatarum more decertant.

IX. Objectant præterea Sectarii ſanctorum Patrum authoritatem, qui aſſerere iis videntur, Scripturam unicuique apertam eſſe, & non indigere alterius judicis definitione. Ita namque S. Auguſtinus l. 2. de doctrin. Chriſt. c. 6. ait: *nihil fere de iis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur.* Quæ ergo in uno Scripturæ textu intellectu difficilia occurunt, aliorum textuum collatione facile intelliguntur. Chryſoſtomus Homil. 3 in Epiſt. 2. ad Theſſal. affirmat, *omnia ex Scripturis divinis plana eſſe.* Juſtinus cum Tryphone diſputans eundem ſolis propheticis teſtimoniis revincit, eaque tam perſpicua eſſe contendit, ut auditione ſola, non interpretatione opus habeant.

Reſp. Perperam Sectarios ad Patrum authoritatem confugere. Etenim S. Auguſtinus neque de omnibus Scripturæ locis intelligendus eſt, ut patet ex particula *fere*, quam adjicit; neque commendat Scripturas abſque Eccleſiæ authoritate & conſultatione. De hac enim ſcribit proximo Cap. 8. *In canonicis autem Scripturis Eccleſiarum Catholicarum complurium authoritatem ſequatur.* Et Lib. 3. ejuſdem operis c. 2. *Conſulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ authoritate percepit.* Similiter L. 1. contra Creſconium c. 33. *Quisquis falli metuit obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſacra Scriptura demonſtrat.* Quid plura? eodem, qui nobis objicitur loco dicit S. Doctor, quædam Scripturæ dicta obducere caliginem denſiſſimam, & edomandam eſſe labore ſuperbiam.

Chryſoſtomus intelligendus eſt de ea Scripturarum parte, quæ continet moralia præcepta, quæ ut plurimum dilucide proponuntur; quamquam in iis etiam Eccleſiæ inſtitutionem aliquibus neceſſariam agnoſcit, dum ait cit. Homil.

Si

Digitized by Google

Si non potueris aſſiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad Doctorem.

Juſtinus loquitur de Meſſiæ adventu, & cum Judæo recipiente Prophetarum Oracula, quibus evidenter demonſtratur veniſſe promiſſum in lege Reparatorem. Unde ſolum infertur, quædam in Scripturis prænunciata defendi poſſe adverſus inimicos veritatis, dummodo & hi ex majorum ſuorum traditione Scripturas ipſas recipiant.

Cæterum Patres, quoties fere de Scripturis loquuntur, easdem obſcuras appellant, atque in iis latere ajunt Myſteriorum divinorum theſauros. Ita Irenæus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Baſilius, & alii ſupra citati. Similiter Chryſoſtomus Scripturam ait eſſe agrum, in quo abſconditus eſt ſapientiæ theſaurus, ejusque profunditatem miratur, Hom. 40. Joan. Hieronymus ſcribit ad Paulinum, eam ſine Magiſtro ac Doctore intelligi non poſſe; & quæſt. X. ad Hedibiam: tantis obſcuritatibus involutas eſſe Epiſtolas Pauli, ut ad illas intelligendas Spiritus S. indigeamus auxilio. Ambroſius Epiſt. 44. ad Conſtantium dicit eſſe mare, habens in ſe profundam altitudinem propheticorum ænigmatum.

Neque id mirum videri debet: obſcuritas enim iſta Scripturarum pluribus ex capitibus oritur. 1°. Ex ipſorum myſterio, rum altitudine, ut SS. Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ quæ obſcura manent, captuque difficilia, quantumcunque claris vocibus eadem nitantur exponere Theologi. 2°. Ex indole quorundam librorum: ſic Prophetiæ de rebus futuris natura ſua ſunt obſcuræ, inſuper ænigmatibus involvuntur, ut videre eſt in Apocalypſi. 3°. Ex voluntate ipſius Chriſti, diſcipulis ſuis apud Luc. c. 8. v. 10. dicentis: *Vobis datum eſt, noſſe myſterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* 4°. Ex ſtylo Scriptoris Canonici: ob voces nempe æquivocas, metaphoricas, alle-

allegoricas, quibus mentem ſuam explicat, quo fit, ut loquenti quidem non videatur obſcurum, attamen audientibus & legentibus. Styli namque libertatem, uſumque Grammaticæ relictum fuiſſe a Spiritu S. peritiæ & ingenio ſcribentium, jam ſupra diximus. 5°. Ex abſentia rei per verba ſignificatæ: ſi Apoſtolorum tempore vixiſſemus, facile oculorum indicio cognoviſſemus, quinam tunc fuerint *Presbyteri* illi, de quorum etymo hodie diſputamus, quid *manuum impoſitio*, quid *Baptiſmus pro mortuis* &c. At vero, cum tempore ſimus remotiſſimi, delabimur in tenebras. 6°. Ex apparentibus contradictionibus: e. g. Joann. 5. v. 31. dicitur: *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Et Joan. 8. v. 14. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum.* 7°. Ex brevitate ſermonis. Sic Baptiſmum imperavit quidem Chriſtus, ſed non expreſſit clare, dandusne ſit parvulis, an ſolis adultis? Remitti voluit peccata; at non adjecit, an peccatori confeſſo *generice*, an *ſpecifice?* &c. 8°. Denique ex argutiis, & diſtinctiunculis ſophiſtarum, Scripturas, non Dei, ſed proprio ſpiritu interpretantium. Sic Chriſtum eſſe *filium* Dei, *unum* cum Patre, *mortuum* &c. clarum videbatur; donec inventæ fuerunt diſtinctiones inter filium *naturalem* & *adoptivum*, inter unitatem *phyſicam & moralem*, mortem *veram & apparentem.* Cum itaque ex obſcuritate Scripturarum naſci queat earundem depravatio 2. Petr. ult. v. 16. ex depravatione hæreſes; cum nempe, ut ait Auguſtinus Tract. 18. in Joan. *Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter aſſeritur;* providit hiſce incommodis Chriſtus, impertiendo Spiritum S. Eccleſiæ, eamque ut vivam fidei regulam, & controverſiarum omnium judicem conſtituendo.

X. Poſtremo arguunt hæretici, ex certis quibusdam Scripturæ notis, abſque alia extranea regula, ſufficienter manifeſtari, eam eſſe authenticam atque divinam. Inter quas notas præ-

præcipuæ ſunt: puritas, & ſanctitas doctrinæ, quæ in ea proponitur; mirabilis auctorum conſenſus ita concorditer ſcribentium, ut non a pluribus Scriptoribus, ſed a pluribus duntaxat unius ejusdemque Scriptoris calamis exarata videatur; impletio vaticinorum in ea contentorum, & alia hujusmodi, quæ inſuper probant ejus perſpicuitatem & ſufficientiam. Nam ſi Scriptura obſcura eſt, & alterius explanatione opus habet, eo ipſo etiam inſufficiens erit ad noſtram inſtitutionem hoc autem dici non poteſt, quin ejus deprimatur authoritas, & admittatur eſſe defectuoſa ac imperfecta.

Reſp. Notas illas ſacram Scripturam plurimum quidem commendare; ſed niſi alterius Judicis accedat authoritas, intentum non evincere. Sane ſi hoc ita clarum eſſet, nulla ante definitionem Eccleſiæ fuiſſet inter Doctores diverſitas in agnoſcendis & recipiendis libris Canonicis, neque tanto ſtudio, tamque diligenti examine opus fuiſſet ad diſcernendos ſacros libros ab apocryphis; nulla etiam nunc eſſet ea de re contentio inter nos atque Sectarios.

Doctrinæ in Scripturis contentæ ſanctitatem, & puritatem, ſeu immunitatem ab omni falſitatis labe quod attinet, hæc quoque ipſa non eſt ubique in Scripturis manifeſta: nam in libris Geneſis, Exodi, Jobi, ac etiam aliis plura deprehendes, quæ niſi recte exponantur, ſecum invicem & cum recta ratione pugnare, quin ipſi etiam morum honeſtati non ſat manifeſte conformia videntur; ut proinde eorum puritas & veritas potius ex libris aliunde oſtenſis divinis, quam horum divinitas ex illorum veritate & puritate probari debeat. Adde, quod non a ſolo Deo, ſed etiam ab hominibus tradi poſſit doctrina pura & ſancta, atque inter eos quoque in ſcribendo conſenſus & concordia reperiri. Quanquam nec in ipſis Scriptoribus ſacris iſte doctrinæ conſenſus eſt adeo manifeſtus: nemo enim in Patrum lectione vel me-

mediocriter verſatus ignorat, quanto labore ſteterit Auguſtino & aliis, ut Evangeliſtas a contradictione vindicarent. Vaticinia demum, quæ jam impleta cernimus, ad ſummum probant, eos libros eſſe ſacros, in quibus ipſa continentur; ſcilicet quosdam veteris Teſtamenti libros, qui tamen non omnia fidei Chriſtianæ dogmata complectuntur. Sed nec de Vaticiniis univerſim dici poteſt, omnia ita clara eſſe, ut, quando impleta fuerint, vel an primum implenda, ſublata Eccleſiæ id atteſtantis authoritate, certo nobis innoteſcat. Nunquid enim a Gentilibus atque Judæis plurima, eaque præſertim quæ de venturo Meſſia facta ſunt, impleta eſſe negantur? multa præterea in Danielis Prophetia nobis quoque adhuc obſcura remanent.

Neque ex obſcuritate Scripturæ, quod ad extremum objectum eſt, ejus inſufficientiam atque imperfectionem inferre licet. Scripturæ obſcuritas ſervit potius ad conciliandam ei majeſtatem & reverentiam; nec indicat in ipſa defectum, ſed in nobis, & tenuitate intellectus noſtri, ad tam alta myſteria caligantis, præſertim cum ea obſcuritas ex pluribus capitibus ſupra enumeratis oriri queat. Quibus adde, ſapientiſſimum Deum ob altiſſimos fines ſibi ſoli cognitos obſcure nobis locutum eſſe, inter quos forſan etiam ille non ultimus eſt, ne videlicet ſacra eloquia nimia claritate vileſcant; ut homines iis ſcrutandis majore diligentia incumbant, majore etiam cordis puritate ad recipiendum lumen divinum ſe præparent; ut denique per recurſum ad Deum, vel Apoſtolicæ Sedis Oracula, ſubmiſſio animi & obedientia exerceantur. Unde patet, inſtitutioni ac fidei noſtræ ſufficienter proviſum eſſe, quandoquidem nobis divinitus data eſt viva eaque infallibilis regula, ad quam recurrere poſſimus atque etiam debeamus, quoties ambiguum eſt judicium de Scripturis, de dogmatibus in iis contentis, de emergentibus quibuscunque fidei controverſiis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

An etiam Traditiones ſint agnoſcendæ tanquam regula fidei? & num ſe ſolis ſufficiant?

I. Traditio univerſim loquendo in ſignificatione theologica nihil eſt aliud, quam fidei aut morum doctrina, non ſcripto, ſed viva voce, quaſi de aure in aurem continua ſucceſſione ad nos usque perveniens. Dividitur ab auctore in Divinam, Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam. A materia in doctrinalem, & moralem. A duratione in perpetuam, & temporaneam.

Traditio divina eſt, quæ non niſi a Chriſto Domino ducit originem; qualis e. g. eſt illa, quam habemus de materia & forma Sacramentorum, quæ in SS. litteris non ſunt clare expreſſa, inſtitui autem a nemine, niſi a ſolo Deo homine potuerunt, qui ſolus potuit gratiam ſenſibilibus ſignis alligare.

Apoſtolica eſt, quæ ab Apoſtolis provenit divino ſpiritu afflatis, & ex ejusdem Spiritus directione quædam non ſcripta Eccleſiæ relinquentibus. Hujus generis ſunt jejunii quadrageſimalis conſtitutio, ſanctificatio diei dominicæ, & alia ſimilia, quæ ab Apoſtolis Spiritus S. inſtinctu ſancita, & viva voce fidelibus præſcripta ad nos usque per ſæculorum ſucceſſiones pervenerunt. Hæ traditiones cum divinis non raro confunduntur, & ſunt ejusdem cum illis authoritatis. Sed confundi non debent cum alio quodam Traditionum genere, quæ dicuntur pure Apoſtolicæ, quod ab Apoſtolis ſint, nonnulla fidelibus regendis utilia propria au horitate ſancientibus. Utrumque traditionum genus clare diſtinguit S. Paulus 1 Cor. c. 7. Nam v. 10. ait: *Præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere.* Et v. 12. *Ego dico, non*

Dominus. Priori loco tradit, quod a Domino acceperat; poſteriori vero, quod ipſe magis congruere judicabat.

Traditio Eccleſiaſtica eſt illa, quæ nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis, ſed deinceps ab Eccleſiæ Prælatis, vel a populo conſentientibus Prælatis introducta, & continuo fidelium uſu atque conſenſu recepta vim legis obtinuit: cujuſmodi ſunt ritus in Sacramentorum adminiſtratione ſervandi, feſtivitatum quarundam obſervatio, & alia id genus permulta: in quibus diſtinguendum eſt, quod ſervat univerſalis Eccleſia, & quod in uſu eſt apud Eccleſias peculiares. Sunt enim quædam, quæ univerſam reſpiciunt Eccleſiam, ut anniverſaria quorundam feſtorum obſervatio &c. alia e contra unius duntaxat, vel particularium aliquarum Eccleſiarum ſunt propria. Sic traditio particularis erat olim Romæ jejunium Sabbathi, quam ex S. Petri inſtitutione ortam, S. Auguſtinus innuit Epiſt. 86. ad Caſulanum, ſuo & S. Ambroſii tempore adhuc viguiſſe: & idem S. Auguſtinus teſtatur Epiſt. 118. ad Januarium de ea dicere ſolitum fuiſſe Ambroſium: *Cum Romam venio, jejuno Sabbatho, cum hic ſum* (Mediolani) *non jejuno*.

Harum deinde Traditionum quædam ad doctrinam ſpectant; ut dogma de Canone Scripturarum, de perpetua Deiparæ virginitate: quædam ad mores & diſciplinam: ut jejunii obſervatio certis temporibus, Sanctorum cultus, Monachalis inſtitutio, Baptiſmi collatio per immerſionem vel ablutionem &c.

Traditiones denique aliæ ſunt perpetuæ, aliæ temporaneæ. Perpetuæ dicuntur, quæ inſtitutæ fuere ut ſemper durent, neque ulla authoritate humana mutari poſſunt: tales ſunt divinæ omnes, ut quæ ad Sacramenta pertinent, ſive de neceſſitate Sacramenti ſint, ut materia & forma, ſive ſolum de neceſſitate præcepti, ut doctrina de aqua miſcenda

Digitized by Google

da calici &c. Temporaneæ vero, quæ ad certum ſolum tempus inſtitutæ, vel ejusmodi ſunt naturæ, ut Eccleſiæ authoritate mutari poſſint; quales ſunt traditiones pure Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ omnes. Sic de facto mutatæ ſunt variæ ab Apoſtolis habitæ traditiones: ut trina immerſio olim fieri ſolita in Baptiſmo; communio ſub utraque ſpecie, a Laicis aliquando ſervata; Agapes, ſeu communia convivia olim in Eccleſia fieri conſueta. &c.

II. De temporaneis ejusmodi Traditionibus, aut aliis pure Apoſtolicis & Eccleſiaſticis non quæritur in præſenti: nemo enim dixerit, traditionem mere humanam infallibilem fidei divinæ regulam eſſe poſſe. Sed quæſtio ſolum eſt de illis, quæ ad fidem pertinent, ſive quæ credendum aliquid, vel faciendum docent ex revelatione vel præcepto divino, aut Apoſtolorum quædam ex Spiritus S. directione præſcribentium, vel etiam ex definitione Eccleſiæ; quia & hujus definitiones circa fidei materiam recte vocantur verbum Dei non ſcriptum.

Quanquam etiam de Traditionibus Divinis & Apoſtolicis controverti non poteſt, neque ab ipſis Sectariis negari, eas, ſi quæ re ipſa exiſtant, ejusdem eſſe authoritatis, cujus ſunt SS. Litteræ, adeoque eſſe regulam credendorum non minus, ac illas. Nam verbum Dei ſemper eſt idem, ſive ſcriptum ſit, ſive traditum; ſeu promulgetur per litteram, ſive per vivam internuntii divini vocem. Non enim authoritas verbi Dei a charta & atramento pondus & momentum accipit, ſed ab ipſo DEO, cujus eſt verbum. Quæſtio igitur in eo verſatur, an revera dentur aliquæ ejusmodi Traditiones, de quibus certo conſtet, eas eſſe verbum Dei, ejusdem proinde cum Scriptura authoritatis? &, ſi dentur, an ita ſint regula fidei, ut ſe ſolis, absque alia regula, ad credendum ſufficiant?

Hæretici pene omnes in eo conveniunt, ut ſolam Scripturam judicandorum dogmatum normam & regulam ſtatuant, quoniam illam pro libitu in pravum ſenſum detorquentes facilius veritati repugnant, erroresque ſuos inſolenti pervicacia tutantur. Nam poſt Sadducæos, qui ante Chriſti adventum in Hebræorum gentem plures hæreſes intruſerunt, temere negantes quidquid veteris Teſtamenti ſcriptis non continetur, ut ſcribit Joſephus Lib. XIII. Antiq. cap. 18. nullam præter verbum Dei ſcriptum fidei regulam agnovere priorum duorum ſæculorum hæretici, Valentiniani præſertim, & Gnoſtici, apud D. Irenæum Lib. 3. cap. 2. Idem fecere Ariani rejicientes *Homoouſion*, propterea quod in nullo ſacrorum librorum ſcriptum ſit, ut liquet ex Lib. 1. adverſus Maximinum. Item Macedoniani, & Eunomiani, refutati a magno Baſilio in opere ad Amphilochium; Eutychiani, ut conſtat ex act. 1. Concilii Chalced. Pelagiani apud S. Auguſtinum Lib. de Nat. & Grat. c. 39. aliique hæretici omnes. At præ cæteris bellum Traditionibus indixere Novatores, & ex his majore fortasſis audacia, extremoque conatu Chemnitius, Dallæus, atque Basnagius. Cum ex adverſo una Catholicorum omnium eſt ſententia, præter divinam Scripturam, ſacras quoque Traditiones eſſe admittendas. Eam inter innumeros alios Theologos copioſe ac ſolide propugnarunt Cardin. Bellarminus, Melchior Canus, & par eximium fratrum Adrianus & Petrus Valemburg, uterque Epiſcopus, cæterique controverſiarum fidei tractatores; ex quibus nos, inſtituti noſtri memores, præcipua dumtaxat momenta hic mutuavimus. Sit igitur.

ASSER-

Digitized by Google

ASSERTIO.

Præter divinam Scripturam admittendæ ſunt, tanquam regula fidei & morum, Divina & Apoſtolicæ Traditiones; quanquam ſe ſolis, non ſecus ac de illa diximus, non ſint ſufficiens norma credendorum.

III. PRob. Aſſertio Catholica I°. authoritate Scripturæ utriusque teſtamenti. Atque inprimis in lege naturæ ab Adamo ad Moyſen usque, cum nihil ſcriptum foret, neceſſe fuit, Religionem ac veri Dei cultum ex Traditione fluxiſſe. Unde Moyſes remittit Judæos ad traditiones majorum, dicens: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga patrem tuum, & enuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi.* Deut. 32. v. 7. Et Job. 8. v. 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga patrum memoriam.* Ergo toto illo temporis intervallo (id eſt per duo annorum millia) quod fluxit ab Adamo ad Moyſen, fidei regula non erat verbum ſcriptum, ſed traditum, per quod filii a parentibus religionem, ritúmque colendi Deum edocebantur. In lege deinde Moſaica, quamvis plura ſacris litteris conſcripta fuerint, multa tamen alia fide certiſſima tenebantur, ex ſola traditione Majorum. Ut enim taceam, quæ negant hæretici, ut ſacrificia pro defunctis, quæ ante Machabæorum tempora nulla ſcriptura legis expreſſerat; aut quæ ſpeciatim deſignare non poſſumus, ut remedium pro fœmellis ad originalem maculam expiandam: undenam acceperunt Judæi, Moyſen eſſe auctorem librorum, qui ſub ejus nomine circumferuntur, eosque fuiſſe Deo inſpirante exaratos, niſi ex Traditione? Unde cæterarum ſcripturarum, niſi tradente Synagoga, Canonem habuerunt? Unde didicerunt reſurrectionem corporum, extremum judicium, pluraque ejusmodi alia, quorum S. Litteræ non meminerunt? non aliunde profecto, quam ex Patrum inſti-

ſtitutione, de qua Regius Vates Pſal. 43. *Deus, auribus noſtris audivimus, Patres noſtri annuntiaverunt nobis.*

Non minus clara ſunt Scripturæ teſtimonia de Traditionum uſu, etiam in lege Evangelica. Etenim Joan. 16. Chriſtus ipſe ait Diſcipulis ſuis: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo;* quæ procul dubio ipſis dixit poſt Reſurre-ctionem ſuam, ut teſtatur S. Lucas Act. 1. *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei.* At certe de Chriſti ſermonibus ad ſuos Apoſtolos pauca ſcripſerunt Evangeliſtæ; & tamen multa Apoſtoli Eccleſiis tradiderunt, uti recte colligitur ex illorum teſtimoniis. Sic S. Joannes Epiſt. 2. v. 12. ait: *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum: ſpero enim futurum apud vos, & os ad os loqui.* Ergo Apoſtoli viva voce multa docuere, quæ litteris mandata non ſunt. Propterea etiam Paulus ad Timoth. 2. v. 2. dixit: *Quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere:* ergo non tantum ſcripta, ſed & audita ſive tradita debebant aliis proponi, & ab iis credi, atque rurſus aliis tradi. Et 1 ad Cor. 11. v. 2. idem Apoſtolus: *ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*, quæ quidem præcepta ſcripta non legimus. Rurſus 2 ad Timoth. 1. v. 13. *Formam habe*, ajebat, *ſanorum verborum, quæ a me audiſti in fide - - - bonum depoſitum cuſtodi.* Sed maxime inſignis & peremtorius eſt ejuſdem Apoſtoli locus ille ex 2 ad Theſſal. c. 2. ubi ſic loquitur: *Itaque fratres ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Unde patet, non minus ea eſſe ſervanda quæ per ſermonem, hoc eſt, verbo & viva voce tradiderunt Apoſtoli, quam quæ ſcripto reliquerunt.

Neque audiendi ſunt Sectarii, cum dicunt, eo loci ſermonem eſſe non de rebus ad fidem pertinentibus, ſed ad externam politiam Eccleſiaſticam. Namque hoc ideo Theſſaloni-

nicenſibus ſcribit Apoſtolus, ut firmi ſint in fide veritatis, ut liquet ex præcedentibus; unde ſequitur, eum loqui de rebus, quæ ad fidei ſubſtantiam pertinent. Multa certe eſſentialem Sacramentorum inſtitutionem ſpectantia a Chriſto poſt Reſurrectionem tradita ſunt Apoſtolis, & ab his Eccleſiæ, quin Scripturis Sacris inſerta ſint. Multa fidei dogmata nobiſcum hæretici propugnant, quæ nequeunt ex Scripturis probari, cum ibidem aut nullo pacto, aut nonniſi obſcure contineatur. Perpauci ſunt, qui adverſus Helvidium non fateantur perpetuam Deiparæ Virginitatem, & contra Apollinariſtas deſcenſum Redemptoris ad inferos. Baptizandos eſſe infantes tuentur adverſus Anabaptiſtas Lutherani & Calviniſtæ; utrique docent ratum & validum eſſe Baptiſmum ab hæreticis collatum: nequeunt tamen hæc ex ſola Scriptura ſufficienter probari. Imo dicatur nobis, qua via ſine Traditionis ope, Scripturas ipſas, earumque legitimum ſenſum habere poſſumus? Scripturam ex Scriptura neutiquam demonſtrari, præcedenti Capite abunde comprobatum fuiſſe arbitror. Qua igitur utemur regula, ſive ad canonem Scripturarum definiendum, ſive ad ſenſum obſcurum perplexumque enodandum, niſi Traditione Majorum? Ipſa commonſtrante, quatuor tantum Evangelia ſuſcipimus, & ſpuria ac fictitio nomine intruſa repellimus, ut Lib. VI. c. 10. & 19. probat Euſebius teſtimonio Serapionis & Origenis. Idem dicendum de Scripturarum interpretatione, quam ex unanimi Patrum ſenſu petendam eſſe, jure meritoque ſcribit Agatho Papa in Epiſtola, quæ extat Act. IV. Synodi VI. *Si enim*, ut verbis utamur Lyrinenſis cap. 38. *Divinis eloquiis, ſententiis, promiſſionibus Diabolus, & Diſcipuli ejus utuntur: quid facient Catholici, & Matris Eccleſiæ filii, quonam modo in Scripturis veritatem a falſitate diſcernent? Hoc ſcilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commentarii iſtius ſanctos & doctos viros nobis tradidiſſe ſcripſimus, ut Divinum Canonem ſecundum univerſalis Eccle-*

ſuæ Traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur. Traditio itaque tam ad diſcernendas Divinas Scripturas ab apocryphis, quam ad illarum ſenſum legitimum disquirendum eſt unice neceſſaria.

IV. *Prob.* 2°. authoritate Conciliorum & Patrum, qui easdem Traditiones ſumma conſtantia receperunt, & retinuerunt. Hæc ſane fuit perpetua & conſtans Conciliorum generalium praxis, ut priusquam ſua emitterent decreta ad fidem Catholicam ſtabiliendam & proſcribendos hæreticos, Traditionem Eccleſiæ ſuper illis argumentis ſedulo ac diligenter exquirerent, eamque in omnibus religioſe ſequerentur. Id patet ex Concilio Nicæno magno, de quo ſic loquitur Athanaſius in Epiſt. ad Afros: *Epiſcopi non ſibimet ipſis voces,* quibus uſi ſunt ad profligandos Arianos, *excogitarunt; ſed eas a Patribus conteſtatas acceperunt, & ſcriptis ſuis inſeruerunt.* Ex Traditione damnatos eſſe in ea Synodo errores Arii, teſtatur etiam Theodoretus Lib. 1. Hiſt. c. 8. Hoc ipſum præſtitit quinta Synodus, ſeu Conſtantinopolitana II. Can. 9. ubi anathematizat Neſtorianos autumantes Verbum Incarnatum adorandum non eſſe eadem adoratione cum aſſumpta humanitate, *ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt.* Quod factum eſt ſimiliter in ſexta Synodo, ſeu Conſtantinopolitana III. adverſus Monothelitas, ut liquet ex Act. IV. X. & XVIII. Prolixe vero a Septima, id eſt Nicæna II. quæ adverſus Iconomachorum impietatem Imaginum cultum aſſeruit ex Apoſtolica Traditione. Idem denique præſtitum eſt adverſus ſubortas alias hæreſes a poſterioribus Conciliis, & ſingillatim a Tridentino Seſſ. IV. in Decreto de Canonicis Scripturis, ubi ſacra Synodus ait, Evangelicam veritatem *contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu S. dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos pervenerunt.* Addit deinde Concilium de ſe ipſo loquens: *Tra-*

Digitized by Google

Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam oretenus a Chriſto, vel a Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipit, & veneratur: hoc eſt, pari reverentia cum libris canonicis, de quibus immediate antea fuit ſermo. Et ſub finem Decreti ait: *ſi quis - - - - Traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.* Unde conformiter huic Decreto in formula profeſſionis fidei, quam idem Concilium edidit, fidelium quivis profiteri debet, ſe Traditiones recipere.

V. Patrum quoque a primis usque Eccleſiæ tempribus una ſemper de Traditionibus fuit vox & ſententia. Nos ſelectiora duntaxat quædam illorum teſtimonia proferemus, quos Hæretici ipſi ſumma præſtare authoritate non denegant, & quos ad ſe trahere irrito conatu nituntur.

Primus in medium prodeat Irenæus, qui toto fere Lib. 3. adverſus Hæreſes hoc argumentum egregie verſat; atque ſpeciatim C. 2. contra Hæreticos Traditionibus obſequi nolentes; *cum enim*, inquit, *ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non recte habeant, neque ſint ex authoritate, & quia variæ ſint dictæ, & quia non poſſit ex his inveniri veritas, qui neſciant traditionem - - - evenit itaque, neque Scripturis jam, neque traditioni conſentire eos.* Et C. 3. *hac ordinatione & ſucceſſione ea, quæ ex Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis præconiatio pervenit usque ad nos.* Rurſus C. 4. ſcribit multas ſuo etiam tempore fuiſſe Eccleſias, quæ ſola Traditione ſine Scripturis Chriſtianam amplexatæ fuerant religionem; atque ſi Apoſtoli doctrinam Chriſti ſcriptis non conſignaſſent, non idcirco minus ſequendam eſſe Traditionem: *quid autem*, inquit, *ſi neque Apoſtoli ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis quam*

tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charta & atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes. Quibus certe nihil deſiderari poteſt illuſtrius ad aſſerendam vim Traditionum non ſcriptarum; vult enim Irenæus veritates fidei non minus a Traditione, quam a Scriptura ſumendas.

His adſtipulatur Tertullianus, cujus utpote Latinorum antiquiſſimi invicta ſunt teſtimonia. Lib. de Corona militis c. 3. ſic habet: *Quæramus, an & traditio niſi ſcripta non debeat recipi? plane negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas ſine ullius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrociniis vindicamus.* Quarum quidem obſervationum poſtquam multa protulit exempla, ſic proſequitur c. 4. *harum & aliarum ejusmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Idem docet c. 10. de Jejun. in V. contra Marcionem c. 17. de Præſcriptionibus c. 18. & multis aliis in locis, ex quibus conſtat Tertullianum Traditionem comprobare ex primævæ legis inſtitutis, Traditione autographas ſcripturas ſecernere a ſuppoſitis; ex Traditionibus denique revincere Hæreticos, non ex Scripturis ſacris, quia eas non recipiunt.

Præclarum quoque, & omni exceptione majus eſt, quod ſcribit Epiphanius Hæreſi 60. *Sed & traditione,* inquit, *opus eſt; neque enim ex ſcripturis peti poſſunt omnia. Id circo alia ſcripto, traditione alia ſanctiſſimi Apoſtoli reliquerunt. Quod ipſum ita Paulus affirmat. Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco: Ita doceo, & ita credidi in Eccleſiis. Item ſi meminiſtis &c.* indigitans loca ſupra citata ex Apoſtolo.

In

Digitized by Google

In eundem ſenſum loquitur S. Chryſoſtomus homilia in verba illa ex cap. 2. epiſt. 2. ad Theſſal. *Hinc patet*, inquit, *quod non omnia per Epiſtolas tradiderint Apoſtoli, ſed multa etiam ſine ſcriptis: & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt traditio, nihil quæras amplius.*

At Baſilius in Lib. de Spir. Sanct. ad Amphilochium cap. 27. tam enucleate Traditiones aſſerit, ut nihil proferri poſſit expreſſius: *Dogmata & inſtituta, quæ in Eccleſiis prædicantur, quædam habentur ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione; quorum utraque parem vim habent ad pietatem; neque his quisquam con tradicit, qui vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint jura Eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, imò potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Non poterat Baſilius de ſacris Traditionibus loqui magnificentius, quam illis parem cum verbo ſcripto vim tribuere, illis fulcire Evangelicas veritates, illis religionis fideique prædicationem firmare.

Neque minus illuſtria ſunt, quæ eo ſuper argumento habet Auguſtinus pluribus in locis. Et inprimis Lib. IV. de Bapt. cap. 29. tradit præclaram dijudicandæ traditionis regulam verbis illis: *Et ſi quisquam in hac re authoritatem divinam quærat, quanquam quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Deinde Lib. V. agens contra Donatiſtas, qui ex hoc Baptiſma collatum ab hæreticis rejiciebant, quod ea ſuper re nihil præceperunt Apoſtoli, videlicet in Scripturis, ſic loquitur cap. 23. *Apoſtoli autem nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe*

credenda eſt: ſicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiuntur. Et cap. 26. loquens de Cypriano inquit: *Quo autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id eſt, ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum.* Denique de Traditionibus univerſim hanc rurſus ſtatuit regulam Epiſtola ad Januarium 118. nunc 59. *Illa autem, quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri.*

Quibus conſentaneum maxime eſt, quod ſcribit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 3. *In ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.* Et cap. 27. in ea ſupra citata Apoſtoli verba 2. ad Timot. 1. v. 13. *Depoſitum cuſtodi*, ſic eleganter non minus quam vere loquitur: *Quid eſt depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod a te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor eſſe debes, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens.*

Patres cæteros, quos longo ordine producit Bellarminus Lib. IV. cap. 7. & ibidem Bellarmini vindex Gretſerus, Traditionibus ſuffragari, earumque pondus & authoritatem, velut invictum repagulum hæreticis ſemper oppoſuiſſe, exploratiſſimum eſt.

VI. *Prob.* 3*tio* ex propria Sectariorum faſſione. Nam Calvinus contra Pighium; *non difficulter*, inquit, *inter me & Pighium*

Pighium in hac de Traditionibus contentione conveniri poſſet, ſi modo Eccleſiæ traditionem ex certo & perpetuo Sanctorum & Orthodoxorum conſenſu demonſtraret. Philippus Melanchton apud Grotium Tom. 10. Oper. Theol. p. 729. *Univerſalis conſenſus omnium temporum eſt teſtimonium, quod hæc ordinatio eſt Apoſtolica.* Chemnitius in Examine Concil. Trident. pag. 306. ſcribit: *Hanc traditionem, qua nobis in manus dantur ſanctæ Scripturæ libri, reverenter ſuſcipimus.* Bucerus adverſus Latomum pag. 224. profitetur, ſe in hac quæſtione de Traditionibus loqui de novis noxiisque inventis, non de iis, quæ SS. Patres, & Eccleſiæ auctoritas tradidit. Grotius ipſe Vir ille peracutus, quamvis a communione noſtra alienus, nobiſcum in hac controverſia plane conſentit, cum pluribus aliis locis, tum in Annotatis ad Conſultationem Caſſandri ita ſcribens: *Et jam Proteſtantes quæ tuentur, ea non ſunt omnia αὐτολεξεὶ, ad verbum, in ſacris Litteris. Dicunt admittendas conſequentias. At ipſi conſequentias ſæpe admittunt ex privato cujusque ingenio: unde tot, & tam gravia inter ipſos diſſidia, & quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt conſequentias, quas admiſit vetus Eccleſia, antiquo & univerſali conſenſu. Atque ita ſtat omne verbum in duobus teſtibus, in Scriptura & in Traditione, quæ mutuo facem ſibi allucent.* Confirmatur ergo catholica veritas etiam hæreticorum hominum confeſſione.

Quamvis autem Traditiones divinas & Apoſtolicas, tanquam infallibilem fidei regulam, admittendas eſſe firmiſſime teneamus; eas tamen ſe ſolis, ſublata vivi Judicis authoritate, nequaquam ad credendum ſufficere, quemadmodum ſupra de ſacra Scriptura demonſtravimus, conſtans ac certa eſt Catholicorum omnium ſententia. Ut enim Traditiones ſint certa fidei & morum regula, ſeu ut obligent ad aliquid credendum vel faciendum, debet certo & infallibiliter de iis conſtare; de iis autem ita conſtare non poteſt, niſi confugiamus ad judi-

judicium Arbitri a Deo conſtituti, cujus ſit Traditiones genuinas ac legitimas a ſpuriis & adulterinis infallibiliter diſcernere. Non enim Catholici ſtant Traditionibus quibuscunque; neque Eccleſia temere obtrudit fidelibus quidlibet, ſed prius ad lydium lapidem examinat.

VI. Hinc ſequentes proponuntur regulæ ad diſcernendas traditiones.

Prima regula hæc eſt: Quando univerſa Eccleſia aliquid recipit ut fidei dogma, etſi ſcriptum illud non ſit, neceſſe eſt dicere ex divina Traditione id haberi. Hujus ratio eſt: quia cum Eccleſia univerſa in rebus fidei errare non poſſit, ut alibi oſtenditur; quidquid tanquam de fide credendum proponit, id certiſſime a DEO profectum eſt, & vel per Prophetas, vel per Apoſtolos nobis revelatum. Propterea dicitur Epheſ. 2. *ædificata ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Igitur illa omnia, quæ Eccleſia fide tenet, a DEO revelata ſunt, & ab Apoſtolis vel Prophetis ſcripto aut verbo tradita.

Secunda: Quando univerſa Eccleſia aliquid facit, & obſervat, quod nemo conſtituere potuit, niſi Deus, aut Chriſtus, illud ex Chriſti traditione per Apoſtolos ad nos manavit; quia videlicet Eccleſia univerſa quemadmodum in credendo, ita in operando errare non poteſt.

Tertia: Id quod in univerſa Eccleſia, & omnibus retro temporibus ſervatum eſt, ita ut ejus initium deſignari non poſſit, merito ab Apoſtolis creditur inſtitutum; licet ejusmodi ſit, ut ab Eccleſia inſtitui potuiſſet.

Quarta: Si Eccleſiæ Doctores communi conſenſu teſtentur, dogma aliquod aut conſuetudinem ab Apoſtolis derivaſſe, aut contrarium aſſerentes tanquam hæreticos reprobent; Divinæ, aut Apoſtolicæ traditionis certum eſt argumentum.

E con-

Digitized by Google

E contra Traditio Divina aut Apoſtolica cenſenda non eſt, ſi non ab univerſa Eccleſia ſervetur, ſed vigeat duntaxat in aliqua Eccleſia particulari: ſi a perpaucis licet antiquis Scriptoribus commemoretur, ſed repugnent alii numero, doctrina & authoritate præcipui: ſi denique inſtitutionis ejus deſignari poſſit origo, atque oſtendi, eam primum poſt Apoſtolorum tempora a Conciliis, vel a Prælatis, aut his conſentientibus a populo, eſſe introductam.

Easdem has regulas, quibus Traditiones divinæ ab humanis, veræ a falſis certo ſecernantur, jam pridem tradidere Veteres. S. Irenæus Lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. expreſſe ſic loquitur: *Traditionem Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & Succeſſores eorum usque ad nos.* Tertullianus Lib. de præſcriptionibus Hæreticorum cap. 25. *Si hæc ita ſunt*, inquit, *conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit.* S. Auguſtinus Lib. 4. de Baptiſmo c. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica authoritate traditum rectiſſime creditur.* Et Vincentius Lirinenſis in Commonitorio c. 3. rem breviter ſed præclare omnino exprimit: *In ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.*

Huc itaque recidit tota ratiocinatio, qua admittendas eſſe in Eccleſia traditiones quasdam non ſcriptas, quæ ejusdem cum verbo Dei ſcripto ſint authoritatis, ex regulis mox allatis demonſtramus. Fieri non poteſt, ut a Deo non ſit dogma illud, quod videmus ubique, ſemper, & ab omnibus credi-

tum, velut a Chriſto & Apoſtolis olim traditum, & cujus tamen nulla apparet inſtitutio, nullum initium: neque enim tam ſtupidi unquam fuere homines, ut pro divinitus inſpirato acciperent, quod ipſi videbant ab hominibus inventum & inſtitutum. Sed talia ſunt dogmata non ſcripta, de quibus hic eſt quæſtio; ea nimirum ſemper, ubique, & ab omnibus fuere tradita, nec ullum eorum apparet initium, nulla inſtitutio. Igitur certo creduntur a Deo revelata.

Et ſane tanta hujus argumenti vis eſt atque neceſſitas, ut non aliud Adverſariis ſuppetat ad aſſerendam Scripturarum divinarum veritatem. Si quis enim e. g. neget Evangelium Sancti Matthæi eſſe unum ex libris Canonicis, quod olim revera negarunt Marcionitæ, ſolum Sancti Lucæ Evangelium agnoſcentes; quo tandem argumento oſtendent Novatores, Evangelium illud eſſe Matthæi? non alio certe quam iſto, quo evincitur, illud tanquam divinum, & ab Apoſtolis ſeu Evangeliſtis ſcriptum ſine ulla dubitatione credi, quod ſemper, ubique, & ab omnibus ita eſſe, traditum eſt. Stat igitur Catholica veritas, nonnullas dari traditiones, quæ cum ab Eccleſia pro Divinis aut Apoſtolicis habentur, ſunt regula fidei infallibilis, non minus quam Scripturæ divinæ.

Reſpondetur ad præcipua hæreticorum adverſus Traditiones argumenta.

VII. SCripturarum inprimis authoritate nituntur Sectarii Traditiones evertere. In Deuteronomio, inquiunt, cap. 4. v. 2. expreſſe dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et cap. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Item Prov. 30. v. 6. *Ne addas quidquam verbis illius*

illius Dei, & arguaris, inveniariſque mendax. Ergo nefas eſt, verbo Dei ſcripto aliquid addere vel detrahere.

Id in novo quoque Teſtamento prohibitum eſſe liquet ex Matth. 25. cap. v. 6. & 9. ubi, Traditiones a Phariſæorum ſecta intruſas legi divinæ adverſari, conqueritur Dominus, eosdem Phariſæos alloquens: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras - - - ſine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

Similiter Apoſtolus expreſſe rejicit Traditiones, ad Coloſſ. cap. 11. v. 8. ita ſcribens: *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum.* Et obtrudentibus præter Evangelium aliam doctrinam, quæ eſt ex traditione, infligit pœnam ſegregationis atque anathematis, verbis illis ad Galat. 1. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.*

Denique idem Apoſtolus non ſemel commendat Scripturam tanquam perfectam, ſufficientem ad ſalutem, omniaque fidei dogmata complectentem. Ita ad Timoth. 2. cap. 3. *Ab infantia,* inquit, *ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto JESU. Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus;* neque opus habeat documentis aliis a traditione petitis. Etſi enim innumera Dominus JESUS fecerit & docuerit, non omnia tamen Evangeliſtæ mandarunt litteris, ſed ea tantum, quæ videbantur neceſſarium & ſufficiens fidei fulcimentum. Unde ait Joannes cap. 20. v. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis.* Si ergo litteris ſacris, & præceptionibus Evangelicis in fidei &

morum doctrina ſufficienter inſtruimur; cuinam commodo invectæ in Eccleſiam Traditiones deſerviunt?

Reſp. Adducta Scripturæ loca perperam ab Adverſariis adverſus Traditiones urgeri. Nam in Deuteronomio præſcribitur Ceremonialium & Sacrificiorum exacta obſervatio, quam nihil immutando curare debebant Levitæ; nec non præceptorum Domini inviolata cuſtodia, rejectis Gentium moribus, idolorumque ſuperſtitioſis immolationibus, ut patet ex iis, quæ ſequuntur. Univerſim autem ejusmodi Scripturæ oraculis ſolum prohibetur, ne quis propria ac privata authoritate quicquam immutet, addat, vel detrahat. Non autem interdicitur omnis omnino additio, quocunque tandem modo fiat, & a quocunque Scriptore. Secus nihil in veteri Teſtamento adjici debuiſſet libro Deuteronomii, nihil etiam in novo amplius litteris mandari; proinde nec recipienda eſſent Evangeliorum volumina, nec Epiſtolæ Apoſtolicæ, quæ tanto poſt Deuteronomium intervallo fuerunt conſcriptæ. Quemadmodum ergo iis Scripturæ teſtimoniis prohibitum minime fuit, ne alii conſcriberentur libri, qui ſimiliter in Canone Scripturarum reponerentur; ita nec rejiciuntur divinæ Traditiones, ſeu dogmata ac præcepta a Chriſto, vel Apoſtolis Spiritu S. afflatis viva voce ad nos usque transmiſſa.

Traditiones falſas & mere humanas, quas Dominus apud Matthæum infeſtatur, nos quoque rejicimus, ac repudiamus. Tales erant Traditiones Phariſæorum, qui neglectis Dei præceptis, ad quasdam adiaphoras obſervantias plus æquo ſcrupuloſe recurrebant: ut cum, e. g. religioni ſibi ducerent, curare in Sabbatho, aut cum peccatoribus manducare. Unde Chriſtus ait cit. loco, ejusmodi Traditiones eſſe doctrinam & mandata hominum. Ita ergo quæ ab hominibus tradita, neque antiquitus in Apoſtolica Eccleſia viguiſſe comperimus, hominum adinventa nos quoque amandamus; atque

Digitized by Google

atque in iis certum judicii criterium requirimus. Quanquam etiam Traditiones mere humanæ non omnes rejiciendæ ſunt: ſi quæ enim ſunt conſuetudines aut præcepta legitima Eccleſiæ auctoritate impoſita, vel continuo uſu approbata, ea utique obſervare oportet.

Neque vero alia mens fuit Apoſtoli in locis objectis, ut vel ipſa verba commonſtrant: monet inprimis Coloſſenſes, ut diligenter caveant ab inanibus Philoſophorum fallaciis, & doctrina hominum, eam præferendo doctrinæ Dei.

In Epiſtola autem ad Galatas loquitur de illis, qui alios ab Evangelio abducebant, contendentes, cum lege Chriſti jungendam eſſe circumciſionem, & cæteras ceremonias, ut patet ex ipſius Epiſtolæ argumento. Verba proinde illa, *præterquam quod*, indicant ſolum, eos anathematizari, qui contrariam doctrinam tradunt; ut SS. Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, aliique interpretantur. Et merito quidem: quia extat in Græco παρ' ὃ; particulam autem παρὰ interdum idem ſignificare ac *contra*, liquet ex Lexicis Conſtantini Medici, Henrici Stephani, & Joannis Scapulæ. Unde etiam cum ad Roman. 16. v. 17. dicitur: *Obſervatis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, declinate ab illis*; illud *præter doctrinam* neceſſario ſignificat idem, ac *contra doctrinam*. Itaque jure reprehenduntur illi ab Apoſtolo, qui, contra ipſius doctrinam, imponebant Galatis Evangelium ſimul, ac Moyſis legitima. Accedit, quod verba illa, *evangelizavimus vobis*, complectantur tam Scripturam, quam Traditionem: non enim ea Epiſtola continebantur omnia fidei dogmata; igitur habebant Galatæ pro Verbo Dei non ſolum quod ſcriptum erat, ſed quod etiam viva voce ipſis evangelizatum fuerat.

Denique idem Apoſtolus in 2. ad Timoth. recte appellat Scripturam utilem ad docendum, arguendum, inſtruendum: at non ait, Scripturam ſolam ad id ſufficere. Quamvis enim dicat, eam ita eſſe utilem ad docendum &c. ut homo, qui illam legerit, ſit perfectus, & ad omne opus bonum inſtructus; non tamen propterea eam Scripturæ perfectionem intelligit, ut omnis Traditio non ſcripta excludi debeat: ſed eo ſolum ſenſu Scriptura perfecta atque ad inſtruendum ſufficiens dicitur, quod ad mores Chriſtianorum informandos & ad hæreticorum errores reprimendos plerumque ſufficiat; vel quod, ut ait Bellarminus, pleraque ad ſalutem neceſſaria contineat; & quæ non continet, oſtendat, unde ſint petenda, nempe ex Eccleſiæ Traditione.

Adde, Apoſtolum eo loco locutum eſſe de Scripturis veteris Teſtamenti, quas a puero legerat Timotheus: nam præmittit, *ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem;* Timotheus vero infans non legit Teſtamentum novum, quod nondum erat ex integro conſcriptum. Igitur quamcunque aliam Scripturam non arbitratur Apoſtolus ſuperfluam & inutilem; ergo neque aliam fidei regulam, puta Traditiones divinas, excludit.

Simili ratione Joannes in Cap. 20. ait: *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis:* non quod hæc ad alia omnia credenda ſufficiant, ſed quod abunde comprobent Chriſti Divinitatem, pleniſſimamque fidem faciant, de veritate Evangelii, & Reſurrectionis eventu. Etenim ſi quæ Joannes in Evangelio ſuo enarrat, omnia credenda aut facienda complectuntur, fruſtra ipſe Epp. 3. & Apocalyſim ſubinde edidit: & ſupervacanea erunt pariter, quæ litteris mandavit Paulus, quæ Lucas, quæ Jacobus, quæ Judas. Catholicum itaque de Traditionibus dogma nec vere-

Digitized by Google

veteris, nec novi Teſtamenti oraculis ullatenus infirmatur, quidcunque contra obtrudant Sectarii.

VIII. Sed recurrunt præterea ad Patrum authoritatem, atque teſtimoniis a nobis N. V. depromptis innumera alia loca opponunt, quæ Traditionibus adverſari videntur. Nos ea, omiſſis Patrum ſententiis, indicabimus dumtaxat; tum ſingulis quidem, ſed quam fieri poterit breviter reſpondebimus, ne videlicet præſens diſputatio ultra modum excreſcat.

Ac primo, inquiunt: S. Irenæus Lib. 3. cap. 1. expreſſe ait, Apoſtolos ea omnia, quæ antea prædicaverant, deinde in Scripturis tradidiſſe, in quibus proinde plena & integra fides noſtra quoad ſingula dogmata continetur. Idem cap. 2. ejusdem libri reprehendit hæreticos, quod ſpretis Scripturis ad Traditiones non ſcriptas confugiant. Et Lib. 2. cap. 47. ait, perfectas eſſe Scripturas, & in eis omnem doctrinam contineri.

Tertullianus Lib. de Carne Chriſti cap. 7. Marcionem alloquens, profitetur aperte nihil ſe recipere, quod extra Scripturam Marcio de ſuo inferebat. Idem non ſemel inculcat, Scripturam ſacram per ſe ſolam ſufficere; ut Lib. adverſus Hermogenem cap. 22. Lib. de reſurrectione carnis cap. 3. &c.

S. Cyprianus in Epiſt. ad Stephanum 74. ad illam ſententiam Pontificis; *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, reſpondet: *Unde eſt iſta Traditio? Ea facienda eſſe, quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur:* quibus verbis aperte rejiciuntur Traditiones non ſcriptæ.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus docet multis in locis, præſertim vero Catecheſi 4. 5. 11. & 13. ex una Scriptura ſacra fidem noſtram eſſe eruendam & probandam, in ea contineri

tineri totam & integram fidei doctrinam; adeoque nihil aliud eſſe inquirendum, nulla extare dogmata non ſcripta, nullas Traditiones divinas.

Athanaſius quoque eandem ob cauſam non ſemel rejicit Traditiones: Ut Lib. de Incarn. Chriſti contra Apollinarium. Epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ. Epiſt. ad Serapionem &c. quibus in locis docet, Scripturam ſacram ſe ſola ſufficere ad fidem.

Baſilius Epiſtola 80. Cum quæſtio verſaretur, num tres dicendæ eſſent in DEO hypoſtaſes; atque ii, quos S. hic Doctor impugnabat, unam tantum hypoſtaſim tuerentur, hoc potiſſimum ducti momento, quod ejusmodi doctrinam approbet Traditio, & Eccleſiarum conſuetudo; contra ſic loquitur Baſilius, ut aperte ſignificet, ad iſtam controverſiam dirimendam ſtandum eſſe Scripturæ, non Traditioni.

Hieronymus vim & neceſſitatem Traditionum non ſcriptarum evertit Commentar. in cap. 1. Michææ tom. 3. p. 1503. Et in cap. 1. Aggæi ibidem pag. 1690. Rurſus Comment. in cap. 23. Matth. Denique Libro adverſus Helvidium tom. 4. pag. 141.

Demum S. Auguſtinus, qui quantum in locis a nobis productis Traditiones commendare videtur, tantum eas pluribus aliis inſectatur. Ac præſertim in Epiſt. ad Hieronymum 82. alias 19. ubi inter alia dicit num. 3. ſolis Scripturis hunc honorem deferendum, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſſime credendum ſit. Lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 9. docet in Scripturis reperiri illa omnia, quæ pertinent ad fidem moresque vivendi. Deinde affirmat, non per Traditionem, ſed per Scripturam ipſam ex licanda eſſe Scripturarum loca obſcuriora. Lib. de bono viduitatis cap. 1. Sanctam Scripturam noſtræ doctrinæ regulam

Digitized by Google

lam figere aſſerit. Epiſt. 167. n. 4. ſolis Canonicis Scripturis ait eſſe ſine ulla dubitatione credendum; aliis vero teſtibus vel teſtimoniis, quibus aliquid credendum ſuadetur, credere vel non credere liberum eſſe. Idem affirmat S. hic Doctor pluribus aliis in locis, & cum eo cæteri quoque Patres, quorum teſtimonia, quia in idem fere recidunt, uberius proferre ſupervacaneum videtur.

Reſp. Non majus a Patrum doctrina, quam a Scripturarum oraculis malæ ſuæ cauſæ præſidium habere Sectarios. Nam, ut ſingulis, quæ objecta ſunt, quantum opus eſt, reſpondeamus,

Irenæus cit. locis ne verbulo quidem Traditionibus adverſatur. Etenim in primo loco, nempe Lib. 3. c. 1. conſtat, eundem refellere dumtaxat Marcionitas, qui Apoſtolicis ſcriptis alia præferebant a ſe mutilata, *glorientes emendatores ſe eſſe Apoſtolorum*, nec in Apoſtolis Spiritum S. locutum, ſed *reperiri veritatem aliquando in Valentino, aliquando in Marcione, aliquando in Cerintho*, ut ibidem ait Irenæus; ubi propterea Traditiones divinas minime excludit. Cap. 2. ejusdem libri redarguit hæreticos, nimirum Valentinianos & Gnoſticos, quod pari omnes impietate Scripturarum & Traditionum authoritatem rejiciebant: hinc totus eſt, ut oſtendat, e re catholica eſſe, non minus Traditionum authoritatem, quam Scripturarum agnoſcere. Et Lib. 2. cap. 47. ait Scripturas eſſe perfectas, quoad hoc nimirum, quod clare & evidenter in iis affirmetur, Deum eſſe unum, a quo conditi ſumus. Id nempe SS. Patribus familiare eſt, ut dicant, Scripturas perfectas eſſe in ordine ad ſubjectam materiam, de qua in iis locis diſſerunt adverſus hæreticos, quos impugnant.

Tertullianus Lib. de Carne Chriſti c. 7. Marcionem arguit, quod ne humanam Chriſti fateretur generationem, pluribus Evangelii verbis reſciſſis, verſum 47. cap. 12. Matthæi, *Ecce Mater tua, & fratres tui &c.* hac ratione eludere conatus ſit, quod, ſolum tentandi gratia, nunciati ſint Chriſto Mater & Fratres, quos non habebat. Quam interpretationem utpote falſam & abſurdam refellens Tertullianus, *Non recipio*, inquit, *quod de tuo infers*, videlicet nuntiatum Chriſto, *Ecce Mater tua & Fratres tui*, non quod haberet Matrem Fratresque, ſed tentandi animo: quibus non Traditiones eliminat, ſed miſerrimum Marcionis effugium. Aliis vero locis inculcat, Scripturam ſe ſola ſufficere ad revincendos hæreticos, circa peculiare aliquod dogma, de quo erat controverſia: quemadmodum paulo ante diximus ſolere affirmare SS. Patres, perfectam & ſufficientem eſſe Scripturam in ordine ad materiam ſubjectam, de qua diſputant adverſus hæreticos. Propterea tamen non rejiciunt Traditiones, utpote quas tam diſerte, quam quod diſertiſſimum eſt, adſtruunt pluribus aliis locis.

Cyprianus ad ſacras Litteras provocat, non quod nullam Traditionum eſſe authoritatem exiſtimet; ſed quoniam hoc loco arbitratur Traditionem a Stephano productam commentitiam eſſe; ideo dicit: *Unde eſt ita Traditio?* paratus tamen recipere Traditionem legitimam, Divinam videlicet, aut Apoſtolicam, ut ait ſub finem ejusdem Epiſtolæ: *Si in aliquo vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & ad Evangelicam, atque Apoſtolicam Traditionem revertamur.*

Cyrillus iis omnibus locis hoc unum contendit, Scripturæ ſacræ ſtandum eſſe eo ſenſu, quod curioſius, quam par eſt, myſteria non ſint indaganda, & quod in pleriſque fidei capitibus abunde ſufficiat; quod tamen intelligi debet citra excluſionem dogmatum non ſcriptorum: quia nimirum in hoc potiſſi-

potiſſimum peccant Hæretici, quod multa in dubium revocent, quæ clare & manifeſte leguntur in Scripturis; deinde quod easdem Scripturas, non ad ſenſum Eccleſiæ, & Traditionis, ſed proprio judicio, & prout affecti ſunt, explicare ſoleant. Non aliam fuiſſe ſancto Cyrillo mentem, cuilibet manifeſtum fiet, ſi ad præfata loca accuratius adverterit. Adverſus Traditiones eundem in citatis Catecheſibus non ſcripſiſſe, ex eo manifeſte liquet, quod easdem ibidem ſatis aperte adſtruat. Nam ut reliqua taceam, Catecheſi quarta ſic habet: *Diſce ſtudioſe ab Eccleſia, quinam ſint veteris Teſtamenti libri, qui vero novi;* quod profecto unum ex præcipuis eſt fidei capitibus, quæ per Traditionem cognoſcuntur, quinam videlicet ſint libri Canonici.

Athanaſius in primo teſtimonio vult, ſufficere Scripturas ad refellendum Apollinarium; quia revera Chriſtum eſſe perfectum hominem ex anima & corpore compoſitum, expreſſe legitur in Scripturis. In ſecundo ait, ſufficere Scripturas ad revincendas quasdam Arianorum ineptias, quibus ajebant, ſi Spiritus S. eſſet Deus, & procederet a Patre, futurum ut Filius & Spiritus S. eſſent fratres germani; vel ſi Spiritus a Filio procedit, Deum Patrem Spiritus Sancti avum eſſe dicendum. Reſpondet autem S. Athanaſius, ſtandum eſſe in his Scripturæ declaranti, Spiritum S. procedere a Patre, quin abſurdas illas ſequelas admittere neceſſe ſit. In tertio demum, poſtquam ex Scripturis probavit Spiritum S. non eſſe creaturam, hæc addit: *Videamus tamen adhuc illam ipſam ab initio Traditionem & doctrinam, & fidem Catholicæ Eccleſiæ, quam Chriſtus quidem dedit, Apoſtoli vero prædicaverunt & ſervaverunt.* Et in fine Epiſtolæ: *Ego enim ſecundum Apoſtolicam a Patribus acceptam fidem iſta tradidi, nihil prorſus aliunde adjiciens, ſed ſicuti didiceram, ea ſcripſi, quæ cum ſacris Scripturis*

congruerent. Ex quibus abunde patet, quæ Athanaſio de Traditionibus fuerit mens & ſententia.

S. Baſilius aſſerit, ſtandum eſſe Scripturis, non Traditioni, quando hæc obſcura eſt & incerta; qualis erat in Controverſia, quæ tunc inter Catholicos agitabatur de numero hypoſtaſeon in DEO: in quibusdam enim Eccleſiis una dicebatur hypoſtaſis, in aliis autem tres admittebantur; utrinque vetus & uſitata conſuetudo obtendebatur. Hinc factum, ut Baſilius dixerit, ea in cauſa conſuetudinem Eccleſiarum non eſſe audiendam, præſertim quod controverſia dirimi poſſet ex Scriptura; quod non impedit, quo minus ad Traditionem recurratur, quando certa eſt, & veras habet Traditionis divinæ notas.

S. Hieronymus eas ſolum Traditiones damnat, quæ falſæ ſunt, Scripturis contrariæ, & induci ſolebant ab Hæreticis, ut cuilibet objecta nobis loca expendenti patebit. Sic in primo loco agit Sanctus Doctor adverſus Hæreticos, qui dogmata Scripturis contraria introducunt. In ſecundo perſpicuum eſt, illum diſſerere adverſus falſas Traditiones, & malas conſuetudines Montaniſtarum, *tribus quadrageſimis per annum jejunantium, & Hierophagiis humiliantium animam ſuam &c.* Tertius, qui objicitur locus, ad Traditiones non ſpectat, ſed ad peculiarem quæſtionem, quam ibi examinat Sanctus hic Doctor. Ejusmodi eſt, quod poſtremo opponitur: cum enim ibidem dicit Hieronymus, ſe ea, quæ non ſunt ſcripta, renuere, de illis ſolum loquitur, quæ licet non ſcripta, & aliunde falſa, propugnabat tamen Helvidius; ut patet ex iis quæ immediate conſequuntur.

Denique Auguſtini quoque teſtimonia Traditionibus minime adverſantur. Ac primo quidem, quod petitur ex epiſtola ad Hieronymum, iſtud ſolum Auguſtinus contendit, nullius privati Scriptoris libros excipiendos, *tanquam Prophetarum & Apoſto-*

Digitized by Google

Apoſtolorum ; de quorum ſcriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium eſt. Ita Sanctus Doctor eadem epiſtola, eodemque numero. Epiſtola autem 54. olim 119. ad Januarium expreſſe ait, ea, quæ non ſcripta, ſed tradita a Catholica Eccleſia cuſtodiuntur, *vel ab Apoſtolis, vel a plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta* eſſe, ideoque inviolabiliter ſervanda. Alterum teſtimonium, deſumptum ex libro de Doctrina Chriſtiana, probat ſolum reperiri ſufficienter in Scripturis ea fidei myſteria atque præcepta, quæ unicuique perſpicua ſunt in Chriſti Eccleſia ; quod veriſſimum eſt, quamvis præterea alia quædam ſint non ſcripta paris cum prioribus authoritatis & neceſſitatis. Ut enim ait S. Doctor Lib. 5. de Baptiſmo c. 23. *multa ſunt, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.* Cum autem dicit obſcuriores Scripturæ locutiones per manifeſtiores eſſe exponendas, id ita plerumque agendum eſſe intelligit, & cum re ipſa clariora quædam loca ſuppetunt, quorum beneficio ſufficienter elucidari poſſint alia obſcuriora ; non autem ita, ut nunquam recurri debeat ad Traditiones, contrarium enim ex eodem S. Doctore liquet. Tertium quoque teſtimonium nullam habet difficultatem: neque enim intelligi debet de quolibet univerſim fidei dogmate, ſed de ea ſolum doctrina, quam ibi tradit S. Doctor, de profeſſione ſcilicet viduitatis, quam putat abunde ſtabilitam apud S. Paulum: *quid igitur*, inquit, *te doceam, quam id quod apud Apoſtolum legimus?* Neque majoris eſt momenti quod poſtremo objicitur: aliis namque teſtibus & teſtimoniis a Scriptura ſacra diverſis non eſt credendum, niſi quantum ipſa fidem faciunt; qua regula conſtituta, verbum Dei non ſcriptum paris debet eſſe cum ſcripto authoritatis, quandoque utrumque perinde eſt verbum Dei.

Cæterum univerſim loquendo præconia illa, quibus a Sanctis Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis commendari ſolet Scriptura ſacra, tanquam perfecta & ſe ſola ſufficiens ad fidem fundandam, nequidquam detrahere Traditionibus, patet etiam ex eo, quod illi quoque, qui procul omni dubio vim & neceſſitatem Traditionum admiſerunt, non aliter tamen de Scriptura ſacra plerumque locuti ſint. Quis unquam pro Traditionibus fortius dimicavit Bellarmino? is tamen Concione 4. de Dominica 2da Adventus, *Scriptura divina*, inquit, *propterea quod Deum authorem habet, cujus perfecta ſunt opera, ejusmodi eſt, ut nihil penitus habeat imperfecti; nihil ei detrahi, nihil addi, nihil in ea reprehendi, nihil deſiderari poſſit? Neque ſolum perfectiſſima, ſed etiam utiliſſima eſt, & omne genus eruditionis continet.* Perperam igitur objiciuntur Patrum teſtimonia, de Scripturæ plenitudine & ſufficientia ita loquentium, ut aliud quodcunque verbum Dei rejicere videantur.

IX. Poſtremo ratione pugnant adverſus Traditiones hæretici. Incertum eſſe, ajunt, an ſi quæ etiam Chriſtus & Apoſtoli oretenus ſolum tradiderunt, incorrupta ad nos devenerint: nemo enim neſcit, quantæ mutationi obnoxia ſint ea, quae de aure in aurem tranſeunt, & per rumorem ac famam ſolent prædicari ab hominibus, & ab uno ſæculo ad aliud transmitti, præſertim ſi tantum intercedat temporis intervallum, quantum eſt ab Apoſtolorum ætate ad hanc usque, tanta item rerum viciſſitudo, quibus adde antiquorum ſocordiam & indiligentiam in conſervandis rebus auditis vel traditis, item exilia, & diſperſiones, ſimplicitatem, ſummamque ignorantiam; nec non quorundam malitiam, qui ſtudioſe quædam confingunt, aut corrumpunt.

Atque inde factum eſſe dicunt Adverſarii, ut re ipſa multa, quæ ſub nomine Traditionum Apoſtolicarum commemora-

morari ſolent in Eccleſia, de novo intruſa fuerint, aut in contrarium commutata; ut jejunium quatuor temporum, immaculata Conceptio Deiparæ, vinculum matrimoniorum indiſſolubile, quod tamen innumeris diſpenſationibus labefactat Eccleſia Catholica. Nonnullæ e contra Traditiones vere Apoſtolicæ antiquatæ fuerint: cujusmodi ſunt trina immerſio in Baptiſmo, Euchariſtia ſub utraque ſpecie Laicis miniſtrata, varii pœnitentiæ publicæ ritus &c.

Reſp. Certiſſimum eſſe, Traditiones, quæ tanquam Divinæ aut Apoſtolicæ agnoſcuntur in Eccleſia, ſemper easdem ab Apoſtolorum ætate ad nos usque transmiſſas fuiſſe, ſine ulla ſui immutatione: id enim curare non minus pertinet ad divinam providentiam, & ad eam, quam de Eccleſia ſua Chriſtus gerit ſolicitudinem, quam ad illam pertineat efficere, ut divinarum Scripturarum libri ad nos incorrupti atque immutati pervenirent. Nunquid enim etiam iſti tanto annorum intervallo & rerum viciſſitudine deperdi poterant, igne conſumi, amanuenſium inſcititia, ſocordia, vel etiam malitia adulterari? Si ergo providentiam, curamque illam confiteantur Adverſarii, eadem utrumque Verbum, ſcriptum ac traditum ſervatum eſſe, jure meritoque dicimus. Adde ſingularia Traditionum adminicula, perpetuum Eccleſiæ uſum, Conciliorum Canones, ſucceſſionem Epiſcoporum, eorumque diligentiam & vigilantiam in conſervando fidei depoſito, ne vel minima ex parte violetur, atque adeo integra ſemper & inconcuſſa ſervetur fides.

Exempla quod attinet, quæ proferunt Adverſarii, ut inde probent immutatas ſæpenumero Traditiones in Eccleſia Romana, animus non eſt, longiore eas hic diſputatione excutere, tum quod Traditionum particularium defenſio nos alio longius abduceret, tum quod hæc eadem ſingillatim ſuis quæque locis exponantur.

Cæte-

Cæterum per calumniam dicitur ab Adverſariis, Eccleſiam falſas unquam Traditiones intruſiſſe, aut quæ legitimæ erant & ad fidei dogma pertinentes in contrarias commutaſſe. Etenim jejunium quatuor temporum, ſive a Victore, ſive a Calliſto inſtitutum, eo ſenſu dicitur a D. Leone Serm. 47. cap. 1. *deſcendere ex Traditione Apoſtolica*, quod ab Eccleſia, cujus definitiones dicuntur Apoſtolicæ, ſit *in conſuetudinem devotionis receptum*, ut inquit ibidem Leo: aut quia jejunium Apoſtoli commendarunt, Eccleſia autem ſtatuit jejuniorum fixos dies. Immaculata Deiparæ Conceptio fide Catholica adhuc non creditur, quamvis nefas ſit eam impugnare: ad inſtituendum autem ejusdem feſtum, ſufficiens erat pia fidelium opinio, tot Scriptorum præconiis, & Theologorum Sacramentis firmata. Matrimonium rite celebratum nunquam Eccleſia diſſolvit: diſpenſationes juſta de cauſa impertitur: Majorum ſtatuta propugnat acerrime; ac fruſtra hæretici ad illa collidenda conatus omnes impendunt.

Traditiones poſterioris generis ad ſolam diſciplinam, ritumque ſpectant; in iis autem non negamus *novitatem correctionis, operante & proficiente usque in finem gratia Dei*, ut inquit Tertullianus Lib. de velandis Virg. cap. 1. ſed fatemur ultro, Traditiones ejusmodi mutationi obnoxias eſſe, perſiſtente interea fidei integritate. Neque operoſum adeo eſt, diſcernere Traditiones, quæ ad fidei dogma pertinent, a ritibus & conſuetudinibus, quæ nonniſi diſciplinam ſpectant. Id namque ſatis ſuperque indicat fidelibus praxis ipſa Eccleſiæ: quæcunque enim præcepta ſunt a Chriſto, vel ab Apoſtolis divino Spiritu afflatis, tanquam firmum & conſtans dogma ſemper fuerunt obſervata cum ſumma religione, & in omnibus Eccleſiis: quæ vero poſterius inſtituta ſunt, aut ab Apoſtolis quidem tradita, ſed propria ipſorum authoritate, & tanquam meri ritus, quos legitimis de cauſis, ac certis tempo-

ribus

Digitized by Google

ribus abolere non dubitavit Eccleſia, ea procul dubio non pertinuiſſe ad fidem merito creduntur. Huc ſerviunt regulæ ſuperius propoſitæ, quibus tanquam criterio ad diſcernendas Traditiones ipſa utitur Eccleſia.

X. Sed regerunt Adverſarii, Eccleſiam Romanam etiam in iis Traditionibus, quæ fidem ſpectant, SS. Patrum authoritate potiſſimum niti: Patrum autem teſtimonia eſſe pure humana, atque adeo Traditiones in iis fundatas eſſe non poſſe paris authoritatis cum Verbo DEI.

Patres item erroribus fuiſſe obnoxios, & non ſemel erraſſe etiam in rebus religionis, falſaque dogmata pro legitima traditione venditaſſe. Sic Papias apud Euſebium ex traditione non ſcripta intruſit peregrinas Salvatoris parabolas, regnumque Chiliaſtarum. Impegere in eundem ſcopulum Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius. Tertullianus inſuper Lib. de Coron. c. 3. ait vetitum eſſe ex Traditione die Dominico *de geniculis adorare*. Trinam in Baptiſmo immerſionem ſervandam ex Apoſtolica Traditione docuerunt Alcuinus Epiſt. 81. ad Paulinum, & Walfridus Lib. de Rit. Eccl. c. 26. quod tamen Synodus IV. Toletana abrogavit.

Denique multa SS. Patribus falſo adſcripta fuere opera; ea vero quæ ipſis merito adjudicantur, magna ex parte corrupta & mutilata ad nos pervenerunt. Negari quippe non poteſt, interpolata fuiſſe Acta Conciliorum, veteres Liturgias, ac Patribus codices plures adulterinos ſuppoſitos. Et ſi quæ etiam nos incorrupta accepimus, ut plurimum ambigua ſunt, nec exhibent ſacrorum dogmatum integritatem. Certam proinde atque indubitatam fidem non faciunt teſtimonia SS. Patrum, ſaltem ad adſtruenda quædam fidei dogmata non ſcripta ſed tradita. Hæc potiſſimum obiicit Dalleus, Basnagius, Rivetus, Clericus & alii.

Reſp. ad 1. Teſtimonia Patrum ſunt quidem humana, doctrina tamen, quam ipſi a Chriſto deſcendiſſe unanimiter teſtantur, non eſt mere humana, ſed divina: quod enim dogma aliquod ab ore ipſius Chriſti, vel Apoſtolorum profectum, beneficio Scripturæ, vel viva voce promulgatum ſit hominibus, perinde eſt omnino, & paris debet eſſe authoritatis, nam utrinque Dei verbum eſt. Homines itaque ſunt Traditionum promulgatores, non auctores, eisque teſtimonium addunt, non firmitatem. Quod ſi ab hominibus recipimus Scripturas, cur non etiam Traditiones recipiamus? Si conſpirare non potuerunt omnes in ſacris libris mutilantis, ſupponendis, alterandis; cur ad confingendas Traditiones in Eccleſia per orbem diffuſa omnes conſenſiſſe ſuſpicemur? Non patitur Spiritus S. quos poſuit regere Eccleſiam Chriſti, omnes ſimul deficere. *Quidquid ergo*, ut egregie docet Lirinenſis in ſuo Commonitorio, *vel omnes*, *vel plures uno aut eodem ſenſu*, *manifeſte*, *frequenter*, *perſeveranter*, *velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio*, *accipiendo*, *tenendo*, *tradendo formaverint*, *id pro indubitato*, *certo*, *ratoque habeatur*.

Unde ſponte ſua venit reſponſio ad id, quod ſecundo loco objectum eſt. Fatemur nempe, quemlibet e SS. Patribus ſeorſim ab aliis errare poſſe, & quosdam re ipſa erraſſe; ſed negamus Patres omnes in recenſendis fidei Catholicæ dogmatibus ſimul & unanimi conſenſu eandem tradentes doctrinam falli aut fallere potuiſſe. Traditio a Papia evulgata dogma communi aliorum ſenſu probatum commaculare non potuit. Tertullianus autem labitur, cum traditionem appellat, quod repugnat Scripturæ Act. xx. v. 36. cum utrumque tenendum ſit, verbum ſcriptum ac traditum; & traditio aperte repugnans verbo ſcripto nequeat eſſe Apoſtolica. Illud vero quod de trina immerſione additum eſt, ſpectat ad diſciplinam & ritum, non ad dogma, potuitque variari

Digitized by Google

variari a Patribus Toletanis, qui decreverunt c. 45. ut conferretur Baptismus ſive *trina*, *ſive ſimpla merſione*. Ergo id reprehendere non debebant Alcuinus, & Walfridus; quorum zelum coercere ſtuduit an. 868. Synodus Wormacienſis, confirmans Can. 5. Toletanæ definitiones

Ad poſtremum reſpondemus, temere dici interpolatos Patrum libros univerſos, etſi nonnulli aut Amanuenſium incuria, aut fraude Hæreticorum fuerint vitiati. Neque ex his, quæ dubiæ ſunt fidei, dogmata ſua confirmat Eccleſia, ſed ex receptis, vindicatis, & quæ Scriptorum aliorum magnæ authoritatis teſtimonio non refragantur. Hoc nempe ſemper in more poſitum habuit, ut in accurata veterum Scriptorum diſcuſſione prudenter, & ſecundum veræ criticæ regulas judicium ferret; & quod præſtari ſolet, atque a Novatoribus etiam deberet, ad verum & genuinum Scripturæ ſenſum attingendum, hoc idem ſummo cum ſtudio ſemper adhibet, ut ſinceram SS. Patrum doctrinam aſſequatur, cum ea cautione, ut ex iis, quæ in eorum ſcriptis occurrunt, hoc ſolum tanquam divina fide credendum & a Deo revelatum, adeoque paris cum verbo Dei ſcripto authoritatis fidelibus proponat, quod vel ab omnibus Patribus, vel ſaltem a majori eorum parte aſſeritur, tanquam Dei Verbum, a Chriſto vel Apoſtolis profectum.

Cæterum eædem plane difficultates, quas ad elevandam SS. Patrum authoritatem opponunt hæretici, ſimiliter pugnant adverſus Scripturam ſacram. Quod igitur ad hujus integritatem tuendam reponent illi, hoc ipſum ſervata proportione eodem jure reſpondebimus & nos cuilibet easdem proponenti adverſus unanimem SS. Patrum conſenſum in ſanciendis dogmatibus non ſcriptis, quæ a Chriſto vel Apoſtolis viva voce, & quaſi per manus ad ſe tranſmiſſa ſinguli teſtantur.

CAPUT III.

An privatus ſaltem Spiritus ſit ſufficiens & infallibilis regula credendorum?

I. Spiritus privati nomine nihil hic aliud intelligitur, quam interior quædam ſancti Spiritus illuſtratio, qua ita fidelem quemcunque edoceri ajunt Sectarii, ut quid credendum, quid agendum ſit, ei certo certius innoteſcat. Ad hunc illi velut ad ultimum aſylum plerumque confugiunt, eo uno tanquam fidei regula infallibili veritatem ab errore, & genuinum Verbi divini ſenſum diſcernunt. Quin imo Swenkfeldiani ac Libertini, auctoribus Copino & Quintino, ut refert Bellarminus Tom. I. Controv. I. de Verbo Dei. Lib. I. c. I. etiam ſacros libros aſpernantur, ſolasque inſpirationes internas attendunt. Alii vero mitiores ac modeſtiores ſacram Scripturam recipiunt quidem, ſed ejus interpretationem non aliunde, quam ab interna illuſtratione, ſeu privato illo ſpiritu repetunt: hoc interiore teſtimonio muniti occultiſſima Scripturæ loca intelligunt, receptas tot ſæculis verſiones emendant, qui ſint libri Canonici dijudicant. Et ſi quidem interiore ejusmodi lumine, quoties opus eſſet, fidelium quorumcunque animi divinitus perfunderentur, ea utique ſufficiens foret regula credendorum: at hoc ipſum eſt quod Catholici omnes jure meritoque pernegant, prætenſam videlicet illam ſancti Spiritus illuſtrationem cunctis etiam fidelibus adeſſe; certum proinde, perſuaſumque ſibi habent, privatum hunc ſpiritum, quem Novatores adſtruunt, non eſſe ſpiritum pacis & veritatis, ſed ſpiritum mendacii & diſſenſionis.

ASSER-

Digitized by Google

ASSERTIO.

Nullum eſt judicium in rebus fidei, quod ſit ex interiori perſuaſione, & privato cujusque fidelis Spiritu; hic proinde credendorum regula eſſe non poteſt.

II. *Prob.* Privatus ille ſpiritus aut humanus eſt, aut divinus. Si humanus, non eſt idoneus ad judicandum: nemo enim non experitur, quanta ſit humanæ mentis fragilitas, quanta in cognoſcendo & judicando imbecillitas, præſertim cum agitur de rebus altiſſimis & maxime abſconditis, qualia ſunt fidei noſtræ dogmata & myſteria. Hinc Novatores aſſerere audent, errori obnoxium eſſe ſpiritum totius Eccleſiæ hac tantum de cauſa, quod humanum putent, & hominibus inſidentem. Si divinus eſt; ut ad fidem faciendam ſufficiat, & credendorum regula eſſe poſſit, certo atque indubitato conſtare de eo debet. Atqui nullus habet proprii ſpiritus, quod a DEO ſit, certam exploratamque perſuaſionem; & qui hanc ſe habere præſumit, inſigniter inflatus eſt, ſeque ipſum ſeducit: eſſe enim Prophetas, *qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident*, teſtatur Deus ipſe apud Ezechielem XIII. 3. Atque in corpore Eccleſiæ non omnibus dari *interpretationes ſermonum*, ſcribit Paulus in 1. ad Corint. XII. 28. 30. Sed *quosdam eſſe Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii &c.* Ephes. 4. 11. Unde & Petrus 2. Epiſt. 1. 20. ex quo Prophetæ locuti fuerint Spiritu ſancto inſpirati, infert, propheticam Scripturam non eſſe privato ingenio exponendam: *Omnis prophetia Scripturæ*, inquit, *propria interpretatione non fit.* Sacrilegæ itaque præſumptionis indicium eſt, ſibimet

A a 3 temere

temere arrogare, quod nonniſi paucis, & ſupremis Eccleſiæ Rectoribus a DEO conceſſum novimus.

Deinde, privatus ille ſpiritus vel omnibus communis eſt, vel peculiaris? Si communis eſt, unde tanta inter Heterodoxos diſſenſio? Cur Calviniſtæ ex ſuo privato Spiritu recipiunt Epiſtolam S. Jacobi ut canonicam, Lutherani contra illam reiiciunt ut apochrypham? Cur admittunt iſti realem Corporis Chriſti præſentiam ſaltem in ſumptione Euchariſtiæ; negant vero eam Calviniſtæ? Cur Lutherani ipſi circa numerum Sacramentorum, circa naturam peccati originalis, & plura alia ad fidei dogma pertinentia inter ſe ipſos diſſentiunt? Cur Auguſtana Confeſſio toties jam eſt immutata, ut primam faciem minime referat. Divinus profecto ſpiritus ille eſſe non poteſt, qui multiloquus eſt, qui diverſis diverſa dictat, inſpiratque dogmata omnino pugnantia. Qualem ergo hæreticorum ſpiritum, dum contraria docent, cenſeas alteri præferendum? Eum forſan, qui Scripturarum probatur judicio? Sed pars utraque Scripturas allegat, easque in ſenſum contrarium trahit, & ex privato ſuo ſpiritu interpretatur. Dic igitur, quænam rectius? cui fides potius adhibenda? Accedit, quod hac ratione Scriptura probetur per eorum ſpiritum, & ſpiritus per Scripturam; quod eſt ambulare in circulo, & agi ſpiritu vertiginis, de quo Iſajas c. 19. *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis.*

Si vero non omnibus conceditur, ſed peculiaris eſt interior iſte Spiritus ſancti inſtinctus, quid facturi ſunt Chriſtiani, qui eo ſunt deſtituti? quæ in eis futura eſt fidei regula, cum iis deſit via aut ratio, qua myſteriis revelatis fidem adhibeant? Quid item agent infideles, quomodo ad fidem perduci poterunt? Prædicatione, inquis, & Scripturarum ſanctarum lectione: at dum audiunt, vel legunt, credendum eſſe Deum in Perſonis trinum, Dei filium natum ex Virgine, cruci ſuffixum & mortuum, hærebunt animo,

neque

neque tam reconditam doctrinam aſſequentur. Ipſi enim privato ſpiritu carent, ſi verum eſt, per illum dirigi ſolam mentem quorundam credentium. Et quid demum toti proderit Eccleſiæ, quod aliquis hoc peculiari dono ſit inſtructus; cum id palam facere aliis non poſſit, nec ſibi, neque aliis ullum ſuæ certitudinis indicium proferre. Quibus enim prophetiis, aut miraculis, vel ſignis aliis ſe ſpecialiter a DEO miſſum, & Spiritu S. afflatum, Novatorum aliquis probavit hactenus? Inſuper ſi privatus quisque, ſaltem prædeſtinatus, ut non nulli ex Adverſariis contendunt, per interiorem & immediatam Sancti Spiritus revelationem percipit verum Scripturæ ſenſum, conſtituiturque Iudex controverſiarum, quæ circa fidem oriri poſſunt, ita ut Paſtorum definitionibus adhærere non debeat, niſi id ipſum, quod illi proponunt credendum, ſibi immediate revelatum fuerit, ſi, inquam hujusmodi impietas prævaleat; quæ pax, quæ ſocietas, qui diſſenſiones & ſchiſmata tollendi modus? Annon Calvinianus, Lutheranus, Zwinglianus, & quivis hæreticus ex certa fiducia, quod ſit prædeſtinatus, ſomnia mentis ſuæ effutiet tanquam Dei revelationes? An non liberum cuilibet erit, quod magis libet comminiſci? quemadmodum quod libuit commentus eſt Lutherus, quod libuit Zwinglius, quod libuit Oſiander, quod libuit hæretici omnes. Quæ vero ratio compeſcendi fanaticos iſtos, cum nihil pro vero habeant, niſi quod ſpiritu privato tale judicaverint?

Sed quærenda uberius non ſunt argumenta, quibus hæc opinionum monſtra refellantur, quandoquidem ſuo ipſomet teſtimonio & experimento poſſunt revinci Adverſarii. Cur enim ad controverſias dirimendas non ſemel Synodos coegerunt, ſi unusquisque a proprio, privatoque ſpiritu dirigi debeat? Reſpondere nequeunt, Synodos coactas eſſe ad ſtatuendam Eccleſiaſticam diſciplinam, non ad dogmata definienda. Nam Synodus Ienenſis habita fuit adverſus Zwinglianos,

glianos, Dordrectana contra Arminianos, Carentonenſis contra Calvinianos; & in ſingulis Novatorum conventibus actum de Euchariſtia, de Baptiſmo, de Juſtificatione, cæteriſque tunc exortis controverſiis. Quid etiam definiunt, niſi fidei dogmata, tot Confeſſiones ab hæreticis divulgatæ? Ipſi ergo velint, nolint, præter Scripturam, & privati ſpiritus perſuaſionem, coguntur vivum Judicem adire. Privatus proinde ipſorum ſpiritus, ut paucis complectar omnia, humanus eſt, varius, levis, multiloquax, non ſibi conſtans, ſed mortalium opinioni ſe attemperans, fallax, errori obnoxius, diſſenſionis pleniſſimus; ideoque non ad componendas controverſias idoneus, ſed ad magis ciendas atque implicandas, a Novatoribus excogitatus.

II. Opponunt hæretici, Apoſtolos Spiritum ſanctum ſummum, ac ſimul unicum controverſiarum Judicem agnoviſſe, cum de Scripturæ ſenſu & intelligentia agebatur: *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto, & nobis.*

Reſp. Sit ita ſane: verum ii Spiritum ſanctum ut ſupremum Judicem conſtituerunt, non ut loquentem tantummodo per Scripturas, ſed ut loquentem per ipſos Apoſtolos, qui publico docendi munere fungebantur. Vox enim Judicis ferentis decretoriam ſententiam debet eſſe publica & manifeſta, non autem occulta aut dubia, quam litigantes non audiant, vel non intelligant, aut pars utraque in ſui favorem allegare poſſit.

Sed urgent: *Spiritus ſolus inducit nos in omnem veritatem.* Joan. 16. Ergo opus non eſt externi judicis miniſterio, ſed ſolus Spiritus ſanctus loquitur, docetque interius.

Reſp. Eccleſiam ita induci in omnem veritatem, ut in eis, quæ ad fidem ſpectant, erret nunquam: non item unumquemque privatum hominem, vel enthuſiaſtem, qui ſe Spiritu

ritu

Digitized by Google

ritu ſancto agi falſo ſibi perſuadet, etiam cum ab Eccleſiæ ſenſu procul recedit. Interius Spiritus ſancti teſtimonium non reiicimus, ſed cum externo Eccleſiæ teſtimonio conjunctum volumus. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre meo, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Habet igitur Eccleſia teſtimonium internum Spiritus ſancti; nos autem habemus ſinguli ab Eccleſia teſtimonium externum. In hoc diſcernimus ſpiritum veritatis a ſpiritu erroris: nam ſpiritus veritatis in hoc cognoſcitur, ſi Paſtores & Doctores a Deo conſtitutos audiamus, ne circumferamur omni vento doctrinæ. Hæreticis autem, qui ex Scriptura ſpiritum ſuum probare contendunt, ac viciſſim Scripturam per ſpiritum, omnino metuendum eſt, ne id ipſum iis acciderit, quod Ieremias prædixit, *Viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.*

V. Addunt alia quædam Scripturæ loca, quibus videtur comprobari privati ſpiritus judicium. Hujusmodi ſunt Jerem. 31. v. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum - - - & non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum; omnes enim cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum.*

Joannes Epiſt. 1. cap. 2. 27. ait. *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus.*

Rurſus Joannes in Evangelio c. 7. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet ex doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego a me ipſo loquar.*

Paulus in 1 ad Corint. 12. *Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus.*

At neque iſta juvant Heterodoxos. Ad locum enim Ieremiæ reſpondet S. Auguſtinus Lib. de Spir. & lit. c. 24.

prioribus verbis, *Dabo, legem &c.* ſignificari gratiam novi Teſtamenti: poſterioribus autem, *& non docebit ultra &c.* notari proemium fidei, ſeu beatitudinem, in qua electi omnes cognoſcent Deum, & videbunt facie ad faciem. Si quis contendat, etiam poſteriora verba intelligenda eſſe de ſtatu viæ; reſpondet Bellarminus Tom. 1. Controv. 1. de Verbo Dei l. 3. c. 10. ſermonem ibi eſſe non de omnibus fidei myſteriis, ſed de ſola notitia unius Dei, quæ in novo Teſtamento utique longe magis obvia eſt, ita ut quaſi nulla, præſertim ſpeciali inſtitutione, ad eam acquirendam opus ſit. Cæterum experientia conſtat, Gentiles, ad quos non pervenit prædicatio Evangelii, Idolorum cultui & aliis ſuperſtitionibus inhærere, quin & plures ex Chriſtianis, propter ſilentium & negligentiam Paſtorum, in denſiſſimis ignorantiæ tenebris verſari, nec, niſi mediante externa doctrina, in rebus ad ſalutem neceſſariis erudiri.

Quod autem ait Joannes in Epiſtola 1. veriſſimum eſt. Etenim per ſpiritum fidei & internam unctionem poterant fideles dignoſcere, quidquid illis in implendis mandatis præſtandum erat, nec non diſtinguere Pſeudo-prophetas, negantes Verbi Divinitatem & Incarnationem; ſed illis hæc myſteria per Apoſtolicam prædicationem jam innotuerant, affirmante ibidem Joanne: *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam.* Ex hoc itaque loco ſolum infertur, quod qui habent ſpiritum & unctionem Dei, noſcant quid ſibi ad ſalutem ſit neceſſarium, neque in errorem inducantur ab hæreticis, ſi teneant acceptam ab Eccleſiæ Paſtoribus inſtitutionem. Neque enim interna unctio excludit externum Eccleſiæ magiſterium, ſed adjuvat mentem, & inſpiratione occultæ virtutis efficit, ut quæ forinſecus dicuntur, formentur in corde. Secus enim cur Deus Eccleſiæ dediſſet Apoſtolos, & Doctores? Si magiſterium Eccleſiæ non requiritur, *Quid ergo nos facimus, quia docemus*

Digitized by Google

mus? Si unctio ejus docet nos de omnibus, quaſi nos ſine cauſa laboramus, ut quid tantum clamamus? inquit S. Auguſtinus Tract. 3. in Epiſt. Joan. paucisque interjectis ita ipſum Joannem alloquitur: *Tu dixiſti, quia unctio ipſius docet vos de omnibus, ut quid talem Epiſtolam feciſti? quid illos tu docebas? quid inſtruebas? quid ædificabas?*

Eadem reſponſione expeditur alterum, quod depromptum eſt ex Evangelio ipſius Joannis. Qui enim fecerit voluntatem Dei, doctrinam ſibi neceſſariam perſpectam habebit, non tamen ſine Doctore externo; quemadmodum Judæi, quos Chriſtus alloquitur, Evangelium tantis argumentis & ſignis comprobatum recepiſſent, ſi Divinis præceptis obtemperaſſent, dum DEUS illis dederat Filium ſuum in ducem ac præceptorem.

Denique in illo Apoſtoli Pauli loco 1. ad Cor. 12. ſermo eſt de gratiis gratis datis, puta linguarum, virtutum, diſcretionis ſpirituum, quibus nunc carent etiam prædeſtinati, primis vero Chriſtianis ad utilitatem Eccleſiæ dividebantur: vocantur autem ab Apoſtolo extraordinaria hæc dona *manifeſtatio Spiritus*, quia iis divina illius operatio manifeſtabatur.

Multa præterea alia opponunt hic Novatores, quæ partim jam diſſolvimus præcedentibus duobus Capitibus, partim ex iis, quæ dicturi ſumus, facile diluentur.

SECTIO SECUNDA

De viva fidei noſtræ Regula, ſeu de Eccleſia.

Eccleſiam ſub diverſa ratione conſiderari poſſe ac debere, ſub ipſum præſentis Diſſertationis initium indicavimus; videlicet, vel ſecundum ſe, & prout eſt cætus fidelium per orbem diffuſus ſub regimine, legitimorum Paſtorum ac Præſulum; vel ut per eos in unum congregatos repræſentatur; vel ut per ipſum ſuum Caput viſibile, legitimum nempe Chriſti in terris vicarium, & D. Petri Succeſſorem ſuam in rebus fidei & Religionis auctoritatem declarat & exercet. De ſingulis ac diverſis hiſce Eccleſiæ ſtatibus, quantum ad vivam fidei regulam ſtabiliendam ſufficit atque requiritur, ordine & diſtinctis Capitibus diſſeremus.

CAPUT I.

An Eccleſia ſecundum ſe conſiderata, & ut eſt cætus fidelium per orbem diffuſus, ſit infallibilis fidei regula? & num penes eam ſit ſupremum & irrefragabile judicium Controverſiarum?

I. Eccleſiæ nomine, ut exponit Bellarminus Lib. de Eccles. milit. c. 2. & cum eo communiter Theologi, univerſim intelligitur cætus hominum baptizatorum, ejuſdem fidei profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione conjunctus, ſub régimine legitimorum Paſtorum, ac præcipue unius ſummi Paſtoris, Romani ſcilicet Pontificis. Qua quidem expoſitione tria notantur, quorum ſi unum deſit, non poteſt quis cenſeri de corpore, & de gremio Eccleſiæ,

Digitized by Google

cleſiæ; ſcilicet Baptiſmus, ejuſdem fidei profeſſio eorundemque Sacramentorum communio, ſubjectio legitimis Paſtoribus. Defectu primæ conditionis, excluduntur Judæi, Turcæ, Pagani, & alii ejusmodi Infideles, qui nunquam in Eccleſiam per Baptiſmi Sacramentum admiſſi fuerunt. Defectu ſecundæ, excluduntur Hæretici, & Apoſtatæ, qui licet fuerint baptizati, quia tamen a vera fide exciderunt, & ea de cauſa Sacramentorum communione privati ſunt, ideo ſunt ab Eccleſia alieni. Defectu tertiæ conditionis excluduntur Schiſmatici, qui fidem quidem habent, & exterius aliquando de Sacramentis participant, ſed quia legitimo Paſtori non ſubduntur, nec ejus vocem audire volunt, ideo cenſentur etiam ab Eccleſia extorres. Id quod optime expreſſit S. Auguſtinus Lib. I. de vera Relig. cap. 15. ubi dicit, quod *neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum quærenda eſt vera Religio; ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, & Orthodoxi nominantur.* Additur in adducta definitione, *& præcipue Romani Pontificis*; ob eum ſcilicet honoris & jurisdictionis primatum, quem jure divino in cæteros Epiſcopos in tota Eccleſia obtinet. Hinc inſignes illi dignitatis & auctoritatis tituli, quibus a Veteribus exornatur.

Huic Eccleſiæ definitioni varii Hæreticorum errores opponuntur. Wicleffus enim, & Joannes Hus, quibus poſtea ſubſcripſit Calvinus, aſſerebant Eccleſiam militantem in terris eſſe congregationem prædeſtinatorum, contendebantque, omnes & ſolos prædeſtinatos eſſe de Eccleſia. Lutherani & Confeſſioniſtæ ex juſtis Eccleſiam conſtare dicebant; Anabaptiſtæ vero ex ſolis perfectis, ut fuſius exponit Bellarminus ſupra cit. apud quem etiam errorum illorum refutatio videri poteſt. Nos hic ſolum breviter adnotamus, omnes ſupra dictos errores manifeſte repugnare ſacris Evangeliis, in quibus paſſim Eccleſia deſignatur ſub variis ſimilitudinibus

ut *Areæ*, in qua triticum cum paleis reperitur, Matth. 3. *Agri*, in quo Zizania cum tritico uſque ad meſſem creſcere permittuntur, Matth. 13. *Convivii nuptialis*, ad quod boni & mali invitantur, Math. 2. *Ovilis*, in quo hædi ſimul cum ovibus habitare ſinuntur, Math. 25. *Sagenæ miſſæ in mare*, in qua piſces boni & mali ſimul congregari dicuntur, Math 13. *Magnæ domus*, in qua vaſa aurea, & argentea, lignea quoque & fictilia reperiuntur, alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam, 2. ad Timoth. 2. Quæ quidem ſatis aperte ſignificant, in Eccleſia militante reprobos ſimul cum prædeſtinatis, juſtos cum injuſtis, ſanctos & perfectos cum imperfectis permixtos reperiri.

II. Porro ad dignoſcendam illam veram Eccleſiam, quatuor præcipuæ notæ ſeu characteres aſſignantur in Symbolo Conſtantinopolitano, quæ quidem ita illi conveniunt, ut nulli alteri Hæreticorum aut Infidelium congregationi aptari poſſint. Hæ autem notæ ſunt, quod Eccleſia ſit Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica.

Una quidem eſt unitate fidei: quia unam eandemque fidei doctrinam ubique profitetur; & Catholici omnes toto terrarum orbe diffuſi, licet moribus, linguis, & vitæ ratione diſpares, de omnibus tamen fidei dogmatibus idem ſentiunt. Eſt etiam una unitate corporis myſtici juxta Apoſtolum 1. ad Corinth. c. 10. *Unum corpus multi ſumus.* Et unitate capitis tum inviſibilis, tum viſibilis, juxta illud ejuſdem Apoſtoli ad Epheſ. c. 1. *Ipſum*, nempe Chriſtum, *dedit*, ſcilicet Pater, *caput ſuper omnem Eccleſiam*, *quæ eſt corpus ipſius:* & illud Chriſti ad Petrum, & ſucceſſores ejus Joan. cap. ult. *Paſce agnos meos*, *paſce oves meas.* Unde apud eundem c. 10. dixerat Chriſtus: *fiet unum ovile, & unus paſtor.*

Eccleſia ſancta eſt: quia *Se ipſum tradidit Chriſtus*, *ut illam ſanctificaret*, ad Ephes. 5. v. 26. Non quod omnia ejus membra

membra ſint ſancta, ſed quod nulli ſint ſancti extra ipſam; quæ quidem ſanctitas elucet, tum in ejus Auctore ac capite Chriſto, totius Sanctitatis fonte, tum in ejus fide, & divino cultu; tum in ejus doctrina, præceptis, moribus, conſiliis, ſacramentis; quæ omnia ſanctitatem undequaque ſpirant ac referunt. Inde eſt, quod ſanctus Petrus Epiſt. 1. c. 2. v. 9. fideles Chriſtianos appellet, *genus electum, gentem ſanctam, populum acquiſitionis.* Et Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. c. 3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis - - - templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.*

Catholica eſt, id eſt, ubique diffuſa, & ubique veram doctrinam diffundens. *Catholica vocatur Eccleſia*, ait S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catec. 18. Quia *per univerſum orbem terrarum diffuſa eſt, a finibus terræ uſque ad extrema; & quia docet Catholice, hoc eſt univerſaliter, & ſine ullo defectu, vel differentia, omnia dogmata.* Quod jam multo antea prænuntiatum fuit, per Malachiam Prophetam c. 1. ubi legitur: *ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Ad quam tamen Eccleſiæ univerſalitatem neceſſaria non eſt actualis per omnes orbis plagas ſimul ipſius diffuſio, ſed ſucceſſiva ſufficit; nempe ut ſucceſſione temporis id tandem obtineat. Neque etiam neceſſe eſt, ut extenſione ſua omnes ſimul ſumptas Hæreticorum ſectas ſuperet; ſed ſatis eſt, quod quacunque hæretica ſocietate ſit longe magis diffuſa. Non ignoramus quidem, adverſus iſtam Eccleſiæ diffuſionem Novatores opponere ſolitos funeſta Arianiſmi & Monotheliſmi tempora, quibus, ut putant, Eccleſia anguſtis admodum limitibus circumſcripta fuit, & Nicæna fides a pauciſſimis duntaxat Epiſcopis, cæteris longe majore numero reclamantibus, retenta. Verum non fugit nos etiam, quam ſolide ac copioſe Theologi omnes Polemici,

mici, argumentum & figmentum iſtud, quod Donatiſtæ primum, tum Lutherani ac Calviniſtæ tam avide arripuerunt, exſufflaverint.

Atque ex his Eccleſiæ Romanæ notis & characteribus tres ejusdem indiviſibiles proprietates deducuntur; ſcilicet, viſibilitas, perpetuitas, & infallibilitas.

III. Viſibilitas Eccleſiæ in eo conſiſtit, quod inter omnes alias Societates eminenti quadam, conſtanti, & ſingulari claritate per totum orbem ſplendida ſemper, & conſpicua fuerit: neque filiis duntaxat & domeſticis, a quibus neceſſe eſt eam dignoſci; ſed etiam extraneis, & iis, qui ſunt extra ejus ſinum & ſocietatem. Hoc ſenſu viſibilem ſemper fuiſſe Eccleſiam negant Reformatores: *Quis*, inquit Lutherus Lib. de abroganda Miſſa part. 1. *Eccleſiam nobis monſtrabit? cum ſit occulta in Spiritu, & ſolum credatur: credo Eccleſiam ſanctam.* Calvinus non diſſimili loquendi modo utitur, in præfatione Inſtitutionum: *Sed non parum a vero aberrant, dum Eccleſiam non agnoſcunt, niſi quam præſenti oculo cernant.* Cohæret id cum eorundem Novatorum principiis. Cum enim urgentur a Catholicis, ut oſtendant, ubinam fuerit eorum Eccleſia in ſæculis, quæ præceſſerunt; utque prodant fideles, qui tunc temporis eorum dogmata profeſſi ſunt, aut paſtores, quibus ipſi ſucceſſerunt, reſpondent, ſe ſive in doctrina, ſive in Paſtoratu, ſucceſſiſſe Viris piis, qui tunc in medio Romanæ communionis deliteſcebant, & qui ſoli in ipſorum ſententia ſunt veræ Eccleſiæ membra. E contra Catholici omnes docent, Eccleſiam Chriſti eſſe, ac fuiſſe ſemper viſibilem.

Cum enim juxta Apoſtolum fides non concipiatur ſine prædicante: *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti*, ad Rom. 10, v. 17. Cum fideles debeant exterius profiteri, quod intus corde credunt, *Corde - - - creditur ad*

juſti-

juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. v. 10. Cumque jam olim apud Iſaiam 58. promiſſum ſit, ſemper futuram in Eccleſia Verbi Dei prædicationem: *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus;* neceſſe eſt Eccleſiam eſſe viſibilem: viſibilis namque debet eſſe illa ſocietas, in qua ſemper exiſtunt, & qui Verbum Dei prædicent, & qui illud audiant, credant, & ore confiteantur.

Chriſtus quoque docuit viſibilem eſſe ſuam Eccleſiam 1*mo* parabolis, quibus eam expreſſit, *areæ, agri, ſagenæ &c.* 2*do* Cum in ea Paſtores inſtituit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos* Joan. 20. v. 21. *Vos eſtis ſal terræ - - - Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita - - - ſic luceat lux veſtra &c.* Matth. 5. v. 13. 14. & 15. Quæ Chriſti ad ſuos Apoſtolos exhortatio eo præſertim fundamento nititur, interprete Auguſtino Lib. de Unit. Eccleſ. quod Eccleſia non poſſit abſcondi, ideoque nec Paſtores, qui eam conſtituunt. 3*tio*, Cum in ea inſtituit Sacramenta viſibilia, quorum communi participatione, tanquam certiſſimo vinculo, inter ſe, & cum capite Chriſto colligantur fideles. 4*to* Denique cum jubet adiri, & audiri Eccleſiam: cum enim extra veram Chriſti Eccleſiam nemo ſalutem conſequi poſſit, qui extra ſunt, tenentur ad illam ingredi; & qui in ea ſunt, tenentur in ea uſque ad extremum ſpiritum perſeverare, membris ejus communicando, & Prælatis obediendo. At quomodo quis ſe Eccleſiæ adjungere, illi adhærere, ipſius membris communicare, Præpoſitis obedire poterit, ſi Eccleſia non ſit viſibilis?

IV. Altera Eccleſiæ proprietas eſt ejusdem perpetuitas, quoad durationem temporis. Eccleſiam ex integro deficere, ſeu penitus extingui, & ſecundum partem interiorem ac inviſibilem interire non poſſe, ipſi fatentur Reformatores noſtri. Sed viſibilem non ſemper neceſſario permanere, quin

reipſa ita aliquando defeciſſe, ut videri amplius non potuerit, docet Calvinus in ſua Præfat. Inſtit. ad Regem Gall. *Nos contra*, inquit, *aſſerimus - - - Eccleſiam nulla apparente forma conſtare poſſe.* Et infra: *Permittamus hoc Domino, ut quando ipſe ſolus novit qui ſui ſint, interdum etiam Eccleſiæ ſuæ exteriorem notitiam ab hominum aſpectu auferat - - - - Altis tenebris immergi paſſus eſt* (homines) *ut nulla veræ Eccleſiæ facies extaret.* Quibus verbis ſignificare velle videtur, Eccleſiam duntaxat inviſibilem ſemper manere, quam ſolam eſſe vere Dei Eccleſiam contendit; viſibilem vero deficere poſſe, & re ipſa aliquando defeciſſe. Idem cum Calvino tenent cæteri Novatores. Nec mirere: Nam ſi vera Dei Eccleſia perpetuo viſibilis ſit, actum de illis eſt: hoc ipſo enim convincuntur a vera Dei Eccleſia receſſiſſe, atque adeo non fideles eſſe & Chriſtiani, ſed veri Apoſtatæ. Eccleſiam namque Dei, quæ ab Apoſtolorum tempore uſque ad Lutheri & Calvini ætatem viſibilis perdurarit, aliam præter Romanam Eccleſiam aſſignare non poſſunt.

Quapropter Catholici omnes unanimiter docent, firmiterque tenent, veram Chriſti Eccleſiam ſemper viſibilem permanere, ita ut eſſe viſibilis nunquam deſierit, nec deſitura ſit unquam. Id nempe prædixerunt Prophetæ, promiſit Chriſtus, Apoſtoli declararunt, evincit ratio.

Prophetæ imprimis hanc Eccleſiæ perennitatem prædixere. Nam Iſaiæ 61. v. 8. & 9. dicitur: *Fœdus perpetuum feriam eis &c.* quod Caput intelligi de Eccleſia novi Teſtamenti docuit Chriſtus ipſe Luc. 4. Daniel. 4. v. 44. *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Pſalm. 49. v. 9. *Sicut audivimus, ſic vidimus in Civitate Domini virtutum, in Civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam in æternum &c.* Quæ de Eccleſia communiter interpretantur SS. Patres.

Ean-

Eandem perpetuitatem promiſit Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Matth. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi;* quæ pariter non niſi de Eccleſia viſibili intelligi poſſunt. Nam verbis illis Chriſtus alloquitur Apoſtolos, & alios Diſcipulos ſuos, qui viſibilem conſtituebant Eccleſiam; & quia non erant permanſuri uſque ad finem mundi, in eorum quoque perſona alloquitur Succeſſores eorum, qui viſibiliter eis ſuccedentes, ad finem uſque mundi viſibilem erant Eccleſiam continuaturi.

Apoſtoli quoque eam Eccleſiæ perennitatem declararunt. Epheſ. c. 4. v. 11. *Et ipſe* (Chriſtus) *dedit quoſdam quidem Apoſtolos &c. donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.* Declarat hoc loco Apoſtolus Miniſterium Eccleſiaſticum, quod per Paſtores exercetur, & quo ſtat Corpus Chriſti myſticum, nempe Eccleſia, uſque ad conſummationem ſæculi perſeveraturum. Miniſterium illud haud dubie viſibile eſt, quia in prædicatione ſeu doctrina, & in Sacramentorum adminiſtratione maxime poſitum.

Denique ratione ipſa demonſtratur: Quia ſi Eccleſia aliquando defeciſſet, aut defectura eſſet, via ſalutis, quæ non niſi per Eccleſiam viſibilem patere poteſt, eſſet tunc omnino præcluſa. Quomodo enim quis ingredi poterit in ſocietatem aliquam, quæ inviſibilis eſt, & quæ ignoratur, quo loco ſit conſtituta? Neceſſe igitur eſt, ut nunquam deficiat publicum miniſterium in Eccleſia, ſeu ut perpetuo ſint Paſtores, qui eam regant, doceant, Sacramenta diſpenſent &c. Deinde viſibilis Chriſti Eccleſia perire non poteſt, niſi deficiendo a fide: ideo namque multo ante Lutheri & Calvini tempora, Eccleſiam Chriſti viſibilem deſiiſſe volunt Novatores, quia volunt eam multo ante tempora illa a vera fide aberraſſe. Hoc autem divinis Oraculis & promiſſionibus, nec non rationi Theologicæ perinde adverſatur.

V. Sed de hac Eccleſiæ infallibilitate, quæ præcipua ejusdem proprietas eſt, & a qua totius, in qua nunc verſamur, Controverſiæ ac Quæſtionis ſolutio pendet, paulo uberius differere nos oportet. Duplex autem hoc loco Eccleſiæ infallibilitas diſtingui ſolet: una *paſſiva*, ut vocant, in eo poſita, quod errorem nunquam pati ſeu admittere poſſit univerſa fidelium ſocietas: altera *activa*, ſeu teſtimonii & judicii, per quam ipſa Paſtorum ſeu Epiſcoporum collectio, certo ac ſecure abſque ulla erroris formidine poteſt de fidei cauſis pronuntiare.

Eſſe in univerſa fidelium ſocietate ſeu in Eccleſia ubique diffuſa paſſivam infallibilitatem, ex ipſis etiam Novatoribus non diffitentur omnes. Quomodo enim Eccleſiam appellaſſet Apoſtolus 1. ad Timoth. 3. *columnam & firmamentum veritatis?* item *Corpus Chriſti?* ad Epheſ. c. 1. *Unum corpus & unum ſpiritum* c. 4. Et Dominus ipſe cur dixiſſet apud Matthæum, ſe cum ea futurum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi, portas inferi non prævalituras adverſus eam &c. ſi a fide deficere aliquando poſſet, & falſa pro veris, mala pro bonis amplecti? ita profecto nec Chriſtus officio capitis, nec ſpiritus officio rectoris fungeretur; ad hoc enim utrumque requiritur, ut Deus eam in fide immobilem atque inconcuſſam perſiſtere faciat. Chriſtus enim, qui per Spiritum S. Eccleſiam ſuam, velut corpus ſuum regit atque gubernat, in ea tanquam in baſi veritatem ita ſtabilivit, firmavitque, ut corruere non poſſit. Nec juvat dicere cum Calvino, univerſitatem fidelium non poſſe quidem errare in rebus, quarum fides neceſſaria eſt ad ſalutem, ſed poſſe in aliis omnibus, quarum fides ad ſalutem non requiritur. Nam cum ex rebus a Deo revelatis paucæ ſint, quarum fides explicita ad ſalutem ſit neceſſaria, fieri ſaltem poſſet, ut Eccleſiæ fides maxima ex parte ſenſim deficeret, & corrumperetur, quod ſanctitati ejus, & promiſſionibus divinis manifeſte repugnat. Habet

ergo

Digitized by Google

ergo Eccleſia in rebus fidei infallibilitatem paſſivam, vi cujus fidelium univerſitas errorem nunquam pati ſeu admittere poteſt.

At infallibilitatem & inerrantiam activam, ſeu doctrinæ & judicii, qua nempe Eccleſiæ Paſtores ſimul omnes, ſive in Conciliis generalibus congregati, ſive per orbem univerſum diffuſi, certo & infallibiliter de fidei cauſis pronuntiare poſſint, negant Reformatores unanimiter. *Hæreticis omnibus hoc gentile eſt*, inquit Canus Lib. 4. de Locis Theol. c. 1. *ſimul atque ſeſe Eccleſiæ authoritati urgeri vident, aut illam ſpernere, aut Eccleſiæ rem ad ſe nomenque transferre, & eam in illis eſſe negare, in quibus revera eſt.* De infallibilitate Conciliorum univerſam Eccleſiam referentium ac repræſentantium dicemus poſtea: nunc autem de Eccleſia in Paſtoribus ſuis per varias orbis regiones diffuſa: Pro quo ſit ſequens

ASSERTIO.

Eccleſia in Paſtoribus & Epiſcopis ſuis per orbem univerſum diffuſa, errare non poteſt in cauſis fidei & morum definiendis: eſt proinde infallibilis fidei regula, & Judex Controverſiarum.

VI. Prob. ex Scripturis, quæ docendi & judicandi munus tribuunt Eccleſiæ per Epiſcopos & Doctores repræſentatæ, atque in eo conſtantem & perpetuam fore ipſius fidem teſtantur. Etenim hunc in finem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ *dedit quosdam Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii.* Et poſtquam ad eos dixiſſet apud Matthæum cap. ult. *Euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis;* mox ſubjunxit: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus,*

usque ad conſummationem ſæculi. Similiter apud Joannem c. 14. ait idem Salvator ad Apoſtolos ſuos, & in eorum perſona ad omnes Epiſcopos eorum Succeſſores : *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis.* Eosdem in Eccleſia ſua inſtituit, ut regerent ſibi ſubditum gregem: *Poſuit vos Spiritus S. regere Eccleſiam Dei.* Actor. 10. v. 28. Dedit ipſis poteſtatem ligandi & ſolvendi: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo &c.* Miſit eos ſicut & ipſe a Patre miſſus eſt: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Juſſit ut audirentur, & eis obtemperaretur : *Qui vos audit, me audit.* Lucæ 10. v. 16. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Hebr. 13. v. 17. *Omnia quæcunque dixerint vobis ſervate, & facite.* Matth. 23. v. 2. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Qua porro ratione ſtabunt hæc omnia, ſi omnes ſimul Paſtores a fide deficere, & in falſa doctrina populis tradenda conſpirare pariter omnes poſſunt ? Id namque ſi contingat, neceſſe erit univerſam fidelium Societatem propinatos ſibi a Paſtoribus, quos jubente Chriſto audire tenetur, errores haurire ac retinere. Peribit igitur tunc in univerſa Eccleſia fides, omnique vento doctrinæ circumferri nos oportebit ac fluctuantes eſſe. Ergo dati erunt Paſtores, non ad conſummationem Sanctorum, ſed potius ad ruinam. *An* vero ad hoc *Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam proprio aquiſivit ſanguine?* An docendi munus in hunc ipſis finem concredidit ? Vim certe promiſſionum Eccleſiæ a Chriſto factarum non intelligit, quisquis ita inſane opinatur. Quod ſi igitur infallibilitatem paſſivam in univerſa Eccleſia agnoſcunt Adverſarii, etiam activam & judicii in ejusdem Paſtoribus agnoſcant eſt neceſſe : quia error Paſtorum omnium eſt error totius Eccleſiæ; alia etenim via & ratione ab errore recipiendo fidelium multitudo avocari non poteſt, quam infallibili Paſtorum judicio atque ſententia.

VII. Hanc

VII. Hanc vero docendi judicandique infallibilitatem tribuendam eſſe Eccleſiæ diſperſæ, perinde ac coactæ in Conciliis, probatur

1°. Quia fieri non poteſt, ut omnes per orbem diſperſi Epiſcopi ſuo judicio errorem approbent: alias, ut mox dictum eſt, & ipſamet paſſiva Eccleſiæ infallibilitas periret. Cum enim populus Chriſtianus in his, quæ fidem & mores ſpectant, teneatur jubente Chriſto, Eccleſiæ Paſtoribus obſequi, *Obedite Præpoſitis veſtris;* ſi fieri poſſet omnes a vero aberrare Paſtores, totus pariter Chriſtianus grex in eundem errorem abriperetur.

2°. Privilegium infallibilitatis a Chriſto univerſim Eccleſiæ promiſſum fuit; *Vobiſcum ſum omnibus diebus.* Ergo Eccleſiæ diſperſæ perinde quam collectæ. Et vero Chriſtus Paſtores in Eccleſia ſua inſtituit, ut regant ſibi ſubditum gregem; dedit illis poteſtatem ligandi atque ſolvendi; juſſit ut omnes gentes doceant; dedit eos ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii: hæc porro omnia exequitur Eccleſia diſperſa, non minus fideliter quam collecta; eodem ſiquidem moderatore, & aſſiſtente divino Spiritu ſemper regitur. Igitur par & æqualis eſt, ſuprema & infallibilis, Eccleſiæ ſive in Conciliis collectæ, ſive per Orbem diffuſæ auctoritas. Imo, ſi fas eſt dicere, potiori ratione diſperſæ quam collectæ ea infallibilitas competit: quia Concilia ſunt ſolum imago, ſeu repræſentatio, & quoddam veluti compendium totius Eccleſiæ; Eccleſia vero diſperſa eſt ipſamet vera, realis, & univerſalis Eccleſia.

3°. Non ſemper patet, nec facilis eſt ad Concilium recurſus; raro enim congregantur ex Eccleſia univerſa Paſtores, imo nec congregari facile poſſunt. Quod ſi ergo Eccleſia diſperſa privilegio inerrantiæ non gaudeat in definiendis fidei con-

controverſiis, ſed expectandum ſit, donec congregetur Concilium generale, quo interim recident res Eccleſiæ? Evaneſcet nempe regula illa viva & ſpirans, quam Chriſtus conſtantem ac perpetuam eſſe voluit in ſua Eccleſia, ad componenda, quæ circa Religionem identidem exoriuntur, diſſidia. Nullus proinde futurus eſt diſſenſionum finis; error impune ſemper graſſabitur, & fidelium gregem miſere infeſtabit. Quis vero credat, ita Eccleſiæ divinam aliquando deeſſe poſſe providentiam, in re ad ſalutem communem maxime neceſſaria, cui Chriſtus ſe perpetuo adfuturum promiſit?

4°. Multæ hæreſes damnatæ & contritæ fuerunt nullo Oecumenico Concilio, ſed vel a Romanis Pontificibus, vel ab aliquibus Epiſcopis in Conciliis Provincialibus, quorum deinde ſententia a ſummo Pontifice & ab univerſa Eccleſia fuit approbata & acceptata. Hac ratione toto orbe terrarum proſcripta fuit Pelagiana hæreſis; ut teſtatur S. Auguſtinus Epiſt. 190. alias 157. ad Optatum. Item L. 4. ad Bonifacium Cap. ult. n. 34. ubi Pelagianis tumultuantibus, ac generale Concilium poſtulantibus reſpondet his verbis: An vero *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit: cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt; atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.* Quapropter idem S. Doctor Serm. 131. alias 2. de verbis Apoſtoli c. 10. de cauſa Pelagianorum dicebat: *Jam de hac cauſa duo Concilia* (quæ utique Oecumenica non erant) *miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt; utinam aliquando finiatur error!* Et Lib. 3. contra Julianum c. 1. n. 5. *Veſtra*, inquiebat, *apud competens judicium communium Epiſcoporum modo cauſa finita eſt: nec amplius*

plius vobiſcum agendum eſt, quantum ad jus examinis pertinet, niſi ut prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini. Porro ut cauſa fidei dici poſſit ultimo ac ſupremo judicio finita, neceſſe eſt, auctoritatem, qua finita eſt, ſupremam eſſe ac infallibilem: agnoſcit ergo Auguſtinus extra Concilium generale, in Sede Apoſtolica, & in Eccleſia diſperſa infallibilem activam ſeu judicii auctoritatem.

VIII. Ex his autem, quæ tum in præſenti Capite, tum in præcedentibus dicta ſunt hactenus, ultro ac veluti ſponte ſua conſequitur, Eccleſiam Catholicam, eamque non modo in Paſtoribus ſuis congregatam, ut poſtea dicemus, verum etiam per orbem diffuſam, eſſe infallibilem fidei regulam & ſupremum Judicem Controverſiarum. Etenim neceſſe eſt agnoſcere in Eccleſia vivam quamdam ac ſpirantem regulam, certum & ab omni erroris formidine liberum Judicem, a quo enatæ de Religione controverſiæ ſupremo ac decretorio judicio dirimantur, & componantur: alias nullus unquam erit diſputationum & diſſidiorum finis; unius cujusque arbitrio & voluntati Religionis cauſæ dimittentur, unde dubios ſemper & ancipites fluctuare neceſſe erit fidelium animos; ac quod longe magis exitioſum foret, effuſa aperietur ad quamcunque Sectam tolerandam licentia. Atqui regula hæc viva & ſpirans, ſeu Judex ille Controverſiarum ſemper præſens ac ſubſiſtens, ex dictis præcedente Sectione, non eſt Scriptura ſola, non ſolæ Traditiones, non ſpiritus privatus. Supereſt igitur, ut ſit ipſamet Eccleſia, quæ ſuum tribunal ſemper præſens ac ſubſiſtens habet in ſummo Pontifice, in Epiſcopis non ſolum in Concilio, quod abſolute neceſſarium non eſt, neque tam facile cogi poteſt, ſed etiam extra Concilium per orbem diffuſis, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam DEI.

Reſpondetur ad Objecta.

IX. OBjic. 1°. Infallibilis Eccleſiæ authoritas probatur a Catholicis potiſſimum ex Scripturis, & viciſſim has eſſe authenticas & Verbum DEI, probatur ex auctoritate Eccleſiæ, hanc veritatem declarantis. Atqui in ejuſmodi ratiocinio manifeſte admittitur vitioſus circulus, ac vera principii petitio; unum enim ignotum probatur per aliud æque ignotum, & viciſſim, ut per ſe patet. Ergo

Reſp. Nego, in hoc ratiocinandi genere vitioſum circulum committi. Siquidem tunc ſolum circulus eſt vitioſus in ratiocinio, quando ad aliquid probandum aſſumitur aliud æque ignotum, aut non aliunde cognitum quam per illud ipſum, ad quod probandum aſſumitur: quia in legitimo ratiocinio ignotum debet probari ex notiori; demonſtratio enim fit ex noto, hoc eſt, ex medio notiore. Jam vero cum probamus Scripturam ex Eccleſiæ teſtimonio, demonſtratio non fit per Eccleſiæ infallibilitatem æque ignotam, nec aliunde nobis cognitam, quam ex Scriptura. Infallibilitas enim Eccleſiæ eſt nobis immediatius nota, & aliunde cognita, per motiva ſcilicet credibilitatis, ſeu ſplendidos illos characteres, quibus vel parum attendenti manifeſte apparet Eccleſiæ veritas & auctoritas in dijudicandis rebus fidei, atque adeo in diſcernendis Scripturis veris a falſis. Cum vero poſtea Scripturam legimus, ibique aſſertam reperimus infallibilitatem Eccleſiæ, in ea fide obfirmamur, qua nempe ex Scriptura credimus Eccleſiæ infallibilem authoritatem, ſed quam tamen aliunde & immediatius notam habebamus. Probatur igitur a priori infallibilitas Eccleſiæ per Scripturam, & veritas Scripturæ quaſi a poſteriori probatur per infallibilitatem Eccleſiæ. Sicut ergo progreſſus ille demonſtrativus vitioſus non eſt, in quo per proprietates notas ex effectibus probant Philoſo-

loſophi naturam rei, & velut a priori proprietates ejusdem per naturam: ut cum probatur e. g. hominem eſſe rationalem, quia docilis eſt, & diſciplinarum capax, & viciſſim probatur illum eſſe diſciplinæ capacem, quia rationalis eſt. Sic non eſt vitioſus ille progreſſus fidei, in quo per authoritatem Eccleſiæ notam ex motivis, probo veritatem Scripturæ, & per Scripturam probo a priori auctoritatem Eccleſiæ.

Accedit, quod in hac quæſtione res nobis ſit cum Novatoribus, qui eam Scripturæ partem agnoſcunt ut veram & Canonicam, ex qua aſſerimus authoritatem & infallibilitatem Eccleſiæ; unde neceſſe non eſt, ut ea Scripturæ pars dicatur nobis nota per Eccleſiam; ſufficit, ſi ad probandam Eccleſiæ authoritatem argumentum adornetur ex Scriptura ab illis conceſſa: non fit enim circulus vitioſus, ſi ad aliquid probandum utimur medio ab Adverſariis conceſſo.

Denique retorqueri poteſt argumentum, & longe potiori jure vitioſus circulus Novatoribus objici. Volunt enim non alium eſſe fidei noſtræ & Controverſiarum judicem, quam Scripturam, ut privato cujuslibet ſpiritu & interiori Spiritus Sancti perſuaſione cognitam. Sed in hoc manifeſtus eſt circulus: probant enim Scripturam eſſe divinam & legitimum illius ſenſum, quia ex interiore Spiritus Sancti perſuaſione compertum hoc habent; ſi vero quæratur ab illis, quomodo certo norunt, interiorem illam perſuaſionem eſſe Spiritus ſancti, reſpondent ſe id noſſe ex Scriptura, unde enim alias iſtud innoteſcere ipſis poſſit? Rem itaque ignotam probant per alteram æque ignotam, nec aliunde cognoſcibilem quam per illud ipſum, ad quod probandum aſſumitur; in quo circulum, eumque vitioſum quis non videt?

X. *Objic.* 2°. Ex univerſalis Eccleſiæ ſententia nullum omnino ſumi poteſt fidei argumentum: ut enim certi ſimus

 de

de infallibili ipſius judicio & authoritate, debet omni tempore certo conſtare, quænam ſit vera Eccleſia; id vero non ita ſemper perſpectum fuit. Nam, ut nihil dicamus de Synagoga Judæorum temporibus Eliæ, qui ſe ſolum relictum deplorabat; populus autem ille, antea fidelis, apud Babylonios, Perſas, Ægyptiosque diſperſus, ſine Sacerdotio, ſine templo, ſine ſceptro, gentibus ac Diis alienis ſerviebat: ut, inquam, de temporis illius Eccleſia taceamus; Chriſti quoque Eccleſiam ita aliquando obſcuratam novimus, ut a vera fide penitus defeciſſe videretur. Hilarii certe tempore Ariana hæreſis omnia adeo miſcuerat, ut teſte Hieronymo, totus orbis Arianum ſe eſſe miraretur. Quid quod non ſemel Schiſmate diu perdurante, nulla Eccleſiæ tuta facies apparuit. Et quod Orientali accidiſſe dicimus, cur non etiam Occidentali evenire poſſit? Quis novit aliquando non fore, ut Deus ob delictorum multitudinem Paſtores omnes & oves ſtupore ac cæcitate percutiat? Dic quæſo, ubi erit, & qualis Eccleſia illo tempore, de quo Daniel prædixit Cap. 9. *Deficiet hoſtia in Sacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis; & usque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Et Dominus ipſe apud Lucam cap. 18. v. 8. *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* His Hæretici quaſi re confecta gloriantur.

Reſp. Argumento huic, quo jam olim Donatiſtæ uſi ſunt, ſatisfecit Auguſtinus Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 16. *Non eſt autem iſta* (Eccleſia) *operta, quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Et de illa dictum eſt: non poteſt civitas abſcondi ſuper montem poſita.* Hanc ipſam dixit Apoſtolus eſſe columnam & fundamentum veritatis; cum hac promiſit Chriſtus ſe permanſurum in æternum; adverſus eam portas inferi non prævalituras &c.

Eliæ

Digitized by Google

Eliæ quoque tempore viſibilis erat Eccleſia; oſtenſa enim illi fuerunt ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Erat inſuper in Jeruſalem templum Dei, erant ſummi Sacerdotes, vera itidem erat de Religione ac Lege doctrina, quamvis eam pauci profiterentur. Populo etiam inter gentes diſperſo aderant, qui eminerent pietate ac religione Prophetæ, aliique, qui eam docerent. Cæterum ex eo quod vacillaverit, ut pene cecidiſſe videretur, minime ſequitur, etiam Chriſti Eccleſiam uſque adeo obſcurari poſſe, ut ejus ſpecies non affulgeat. Vetus enim Eccleſia, utpote quæ caſura erat, ruinam ſæpe minabatur, & maxime dum ſuo caſui appropinquaret. De illa dictum non erat: *Portæ inferi non prævalebunt;* illi promiſſus non fuerat Spiritus S. ut cum ea maneret in æternum.

Et quamvis Hilarii temporibus, Arianorum fraudibus, circumventa eſſet Eccleſia Catholica, adhuc tamen, licet in paucis, eminebat, ac digito monſtrari poterat. Viſa quidem fuit mergi & obſcurari, clarior tamen emerſit & illuxit. *Periclitabatur*, inquit S. Hieronymus adverſus Luciferianos *navicula Apoſtolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam ſupererat ſpei: Dominus excitatur, imperat tempeſtati - - - tranquillitas rediit.* Cum vero dicit S. hic Doctor, totum orbem ingemuiſſe, quodque Arianus eſſet, miratum ſe eſſe; dicere intendit, Epiſcopos illos, cum ſibi non eſſent conſcii Arianæ perfidiæ, ingemuiſſe de impoſtura perduellium, & miratos eſſe, quod pro Hæreticis falſo haberentur, ut poſtea fuſius oſtenſuri ſumus. Non fuit ergo in tempeſtatibus ſubmerſa Chriſti Eccleſia; jactata quidem eſt, ac pene fluctibus operta; ſed quo magis in ea tuenda laborabant Catholici, eo magis adſpectabilem & claram reddiderunt.

Nec Schiſmatum tempore ita periclitatur, ut deficiat; integra ac manifeſta ſemper manet ejus fides, quamvis tunc

Paſtorum judicia, quia abſque legitimo & certo capite, incerta ſint. Orientalem Eccleſiam collapſam eſſe, pertinax ejus a Latina defectio abunde teſtatur: at Occidentalis adhuc magis reſplendet; & quamvis Lutherus & Calvinus eam obſcurare conati ſunt, eo fulgentiorem reddiderunt.

Denique Danielis Prophetia reſpicit dumtaxat ceſſationem ſacrificii Judæorum, & deſolationem templi Hieroſolymitani. Chriſtus vero apud Lucam ſolum vult, paucos futuros fideles Anti-Chriſti tempore; non tamen ita paucos, ut non ſufficiant ad conflandam Eccleſiam: vel certe loquitur non de fide ſimpliciter, ſed de eximia quadam fide, qualis in paucis reperitur, & invenietur in pauciſſimis tempore Anti-Chriſti, de qua nempe ut obſervat Hieronymus Dial. contra Luciferan. Dominus ipſe ajebat Matth. 9. *Fides tua te ſalvam fecit:* & alibi de Centurione Matth. 8. *Non inveni tantam fidem in Iſrael &c. Nec enim Centurio, aut illa muliercula, quæ per duodecim annos fluxu ſanguinis tabeſcebat, in Trinitatis Sacramenta crediderant - - - ſed ſimplicitas mentis, & devota Deo ſuo anima approbata eſt - - - hæc eſt fides, quam raro inveniri Deus pronuntiavit: hæc eſt fides, quæ etiam apud eos, qui bene credunt, difficile perfecta invenitur.* Hæc Hieronymus, & in eundem fere ſenſum etiam Auguſtinus de Unit. Eccleſ. cap. 15.

Inſt. Duæ ſunt Chriſti Eccleſiæ; Orientalis, & Occidentalis; Græca & Latina. Cui ex his credendum erit? Si dixeris, Græcorum Eccleſiam periiſſe, quia Schiſmatici ſunt, & a Romano Pontifice deſciſcendo, privilegium Eccleſiaſtici nominis amiſerunt. Contra eſt, ex uno Pontifice Eccleſiæ nomen ac veritatem non pendere; ſed ex uno Chriſto, una Fide, uno Baptiſmate, juxta illud Pauli ad Epheſ. 4. verſ. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Atqui hæc omnia etiam in Græcorum Eccleſia reperiuntur, utpote qui unum Dominum agnoſcunt, unam fidem, unum baptiſma profitentur.

Digitized by Google

tur. Igitur ex Capite viſibili Eccleſiæ ejus veritas non eſt deſumenda. Fruſtra ergo Eccleſia Latina Catholicæ nomen ſibi uſurpat: quia niſi idem cum Græca ſentiat, Eccleſiæ univerſalis authoritate caret, nec tenentur fideles ejus judicium tanquam infallibile recipere ac revereri.

Reſp. Veriſſime dictum eſt, apud Græcos Eccleſiam non eſſe, ex quo a Romano Pontifice defecerunt. *Primatus Petro datur* (ſcribebat olim D. Cyprianus L. de Unit. Eccleſ. Novatiano, qui a Cornelio Romano Epiſcopo ſchiſma fecerat) *ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur - - - hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* ex uno ergo viſibili Eccleſiæ Capite nomen & unitas, ac proinde Eccleſiæ veritas pendet. Non enim poteſt eſſe unus Chriſtus, una fides, unum baptiſma, niſi unus ſit Spiritus, teſte Apoſtolo laudato: unus autem ſpiritus in iis non eſt, qui a Petri Cathedra, quæ unitatis teſſera eſt, ſchiſma faciunt. Chriſtus namque *ut unitatem manifeſtaret*, proſequitur Cyprianus, *unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem ſua authoritate diſpoſuit.* Græci ergo, qui ab obedientia Petro, ejusque Succeſſoribus debita receſſerunt, ab unitate, & conſequenter ab Eccleſia receſſerunt. Nec proinde ſolum Schiſmatici ſunt, verum etiam Hæretici: tum propter alia, quæ cum Latinis non credunt; tum hac etiam de cauſa, quod inficientur, unum totius Eccleſiæ Paſtorem eſſe a Chriſto in Beato Petro inſtitutum. Sed hoc importune hic agitur.

XI. *Objic. 3tio.* Aſſerta hactenus Eccleſiæ infallibilitas, ad mores ſaltem & diſciplinam ſe non extendit. Nihil enim fide certa credimus, quod non ſit revelatum: at revelatum non eſt, hanc potius, quam aliam diſciplinæ rationem inducendam eſſe, e. g. adhibendam in baptiſmo trinam immerſionem, vel ab-

ablutionem tantum; concedendam Laicis Euchariſtiam ſub una, vel duplici ſpecie &c. Ergo non tenemur credere, Eccleſiam in ejusmodi diſciplina errare non poſſe, neque conſequenter tenemur ei obtemperare.

Reſp. Duo eſſe genera rerum ad mores & diſciplinam pertinentium: aliæ nempe ſunt omnino neceſſariæ ac immutabiles, e.g. fugiendum mendacium, proximum diligendum &c. aliæ liberæ ac mutationi obnoxiæ, ut communio Euchariſtica ſub una, vel duplici ſpecie. Rurſus aliæ ſunt ad ſalutem publicam omnium fidelium neceſſariæ; aliæ non item, quarum proinde omiſſio aut ignoratio ſine pietatis & ſalutis diſpendio haberi poteſt.

Eccleſiam infallabilem eſſe in doctrina morum & diſciplinæ ad ſalutem neceſſariæ & ad univerſos pertinentis, certum eſt omnibus Catholicis. Deus enim nuſquam in neceſſariis Eccleſiæ ſuæ deeſt; & quibus dedit paſcendi oves authoritatem, iisdem etiam donum indulſit diſcernendi bona paſcua a malis & venenatis; alias error Eccleſiæ, omnium fidelium error evaderet, & paſtoribus per abrupta gradientibus grex quoque in præcipitium induceretur, cum grex paſtoribus ſuis morem gerere teneatur. Imo & inDeum ipſum error ille ultimo recideret, qui Paſtores tam noxios dediſſet, & legem ipſis obſequendi fidelibus ſimul impoſuiſſet.

Fieri itaque non poteſt, ut Eccleſia definiat vitioſum eſſe, quod honeſtum eſt; aut contra honeſtum, quod eſt turpe; adeoque lege lata vel expreſſo judicio quidquam approbet, quod Evangelio & rectæ rationi inimicum ſit: ejusmodi namque error non ſolum fidelibus perniciem afferret, ſed fidei ipſi adverſaretur, utpote quæ omnem virtutem probat, univerſa vitia condemnat. Fieri itidem non poteſt, ut Eccleſia probet abuſum, aut invehat generalem diſciplinam, quæ ſuo-

Digitized by Google

ſuorum ſaluti ſit noxia. Quamvis enim revelatum non ſit, hanc vel illam diſciplinam & praxim ſtatuendam eſſe & obſervandam; eſt tamen revelatum, in generali diſciplina præcipienda, quæ ad omnes pertineat, errare non poſſe Eccleſiam, eique eſſe ab omnibus obtemperandum. Sive igitur baptiſmum conferat per immerſionem, ſive per ablutionem; ſive communionem ſub duplici ſpecie Laicis indulgeat, ſive recuſet, ſemper recte agit; varia ejus agendi ratio variis temporum & perſonarum circumſtantiis accommodata ſemper eſt ſancta, & ab omnibus neceſſario retinenda. Docet enim Concilium Trid. Seſſ. 21. cap. 2. *Hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.*

Dictum eſt autem, Eccleſiam infallibilem eſſe in ſtatuenda generali aliqua diſciplina, & in doctrina morum, qui ad ſalutem neceſſarii ſunt, & ad omnes pertinent. In moribus namque, qui non toti Eccleſiæ communes ſunt, ſed ad privatos homines vel Eccleſias referuntur, errare per ignorantiam Eccleſiam poſſe, & re ipſa aliquando erraſſe, non in judicio ſolum rerum geſtarum, ſed in ipſis etiam privatis præceptis & legibus, facile conſentimus: in hujusmodi enim judiciis Eccleſia nititur teſtimoniis hominum, qui falli poſſunt, & fallere. Unde inferes Eccleſiam errare poſſe in factis mere perſonalibus & hiſtoricis, quorum veritas ex hominum teſtimonio pendet; in recenſendis Martyrum, & aliorum Sanctorum hiſtoriis; in teſtimoniis SS. Patrum tanquam veris & genuinis referendis, quæ tamen ſuppoſititia ſunt & falſa: quando enim in Conciliis etiam Oecumenicis laudantur alicujus S. Doctoris teſtimonia, non continuo ea genuina ac legitima eſſe certo definitur; de hoc enim facto non judicat Eccleſia.

An vero ſit infallibilis in definiendis factis, ut vocant, doctrinalibus, id eſt in dignoſcendo & notando ſenſu librorum & Auctorum, dicemus poſtea. Cætera autem quæ contra infallibilitatem Eccleſiæ, præſertim ut per Paſtores ſuos docentis & judicantis, opponi ſolent, ſequentibus Capitibus opportunius reſolventur.

CAPUT II.

De Eccleſia in Conciliis Generalibus congregata.

I. Concilii nomine idem in Eccleſia ſignificatur, ut obſervat Bellarminus, quod in Regnis ac Imperiis nomine Comitiorum. Unde quemadmodum Regni Comitia nihil ſunt aliud, quam Principum, Procerum, Magiſtratuum in unum locum conventus, ut de rebus ad rectam Imperii gubernationem ſpectantibus agant; ita Eccleſiæ Concilia ſunt congregatio Præſulum Eccleſiæque Paſtorum, legitima authoritate convocatorum, ad fidei & religionis negotia pertractanda.

Concilium aliud eſt generale, ſeu Oecumenicum, aliud provinciale, & aliud diœceſanum. Generale eſt, ad quod totius orbis Chriſtiani Epiſcopi convocantur, & cui etiam omnes, ſecluſo legitimo impedimento, intereſſe debent; inde enim dicitur Oecumenicum, id eſt, orbis terræ Concilium. Nationale dicitur illud, cui interſunt unius Regni aut nationis Præſules. Provinciale, in quo ſub Metropolitano reperiuntur unius tantum Provinciæ Epiſcopi. Diœceſanum denique, ad quod unius Epiſcopatus Presbyteri convocantur.

De ſolo Oecumenico Concilio ſermonem deinceps potiſſimum inſtituemus, utpote quod ſolum univerſam Chriſti Eccleſiam repræſentat. Sed antequam ſuprema ipſius authori-

ri-

Digitized by Google

ritas & infallibilitas ex Catholicorum ſententia ſtabiliatur, quod methodi cauſa ſequenti ſolum Capite præſtabimus, expendendæ ſunt in præſenti conditiones quædam ad Concilium generale, ut pro legitimo habeatur, neceſſario requiſitæ; quæ niſi ponantur in aperto, nequidquam ea, qua Eccleſiam pollere diximus, auctoritas Conciliis aſſeritur.

Tria autem ſunt maxime, quæ de Conciliis generalibus, ut legitima eſſe intelligantur, in quæſtionem hic veniunt. 1°. Ad quem ſpectet eorum convocatio. 2°. Cujusnam ſit eis præſidere. 3°. Quinam ſint ad ea convocandi. De ſingulis quam fieri poterit breviter dicturi ſumus.

Quær. 1mo: *Ad quem ſpectet, Concilia generalia convocare.*

II. Recentiores Hæretici, Lutherus nimirum Lib. de Conciliis, Calvinus Lib. 4. Inſtitut. Centuriatores Magdeburgenſes centur. 4. contendunt, jus convocandi Concilia non eſſe penes Eccleſiam, ſumptam pro animarum Paſtoribus, ſed prout Imperatores, Reges, & Magiſtratus complectitur. Unde concludunt, Imperatoris eſſe convocare Concilia generalia, Regum Nationalia, Magiſtratuum ea, quæ in ſubjectis ſibi Regionibus celebrantur. Quapropter negant recipiendum eſſe Concilium Trident. quia Imperatoria authoritate convocatum non fuit.

Contra vero Catholici omnes (ne iis quidem exceptis, qui Conciliorum authoritatem ſupra Sedem Pontificiam extollunt) ſolius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ eſſe docent, Synodos convocare, ita ut Oecumenicæ Synodi convocatio jure ordinario ad ſolum Romanum Pontificem pertineat, Nationalis ad Patriarcham vel Primatem, Provincialis ad Metropolitanum, Diœceſanæ ad Epiſcopum. Cujus ratio eſt in aperto: quia illud proprio jure eſt ſolius Eccleſiaſtici ordinis.

dinis, quod natura ſua refertur ad ſpirituale regimen animarum. Atqui ejusmodi eſt convocatio Conciliorum; utpote quæ non ob aliud congregantur, quam ut tradantur fidei, vel morum regulæ, aut quædam diſciplinæ capita præſcribantur. Propterea Oſius apud Athanaſium in epiſtola ad ſolitarios, Eccleſiaſtica libertate Conſtantinum Imperatorem ita monet: *Ne te miſceas Eccleſiaſticis negotiis; neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea a nobis diſce: & quemadmodum qui tuum Imperium carpit, contradicit ordinationi Divinæ; ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius ſis.* Eccleſiaſtica negotia ad ſe minime pertinere, inter Laicos præcipui, ipſi nimirum Imperatores confeſſi ſunt. Ita Valentinianus Imperator petentibus Epiſcopis facultatem cogendæ ſynodi apud Sozomenum Lib. 6. Cap. 7. reſpondit: *Sibi non licere ſe ejusmodi negotiis interponere: & ideo Sacerdotes & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ſeorſum per ſe, ubicunque ipſis libitum fuerit, in unum conveniant.*

Et ſane ſi Principum ſæcularium eſſet convocare Concilia; vel illa poteſtas ad ipſos pertineret in quantum Principes ſunt, aut in quantum Chriſtiani, aut in quantum Principes ſimul & Chriſtiani. Si in quantum Princeps, ea præditi erant etiam Pagani, Nero, Diocletianus, & alii Eccleſiæ hoſtes, neque ſine illorum authoritate fas erat congregare Concilium, quod nemo ſanus ſenſerit. In quantum Chriſtiani ſunt, Eccleſiæ Miniſtris ſubeſſe ac obtemperare debent, non præeſſe aut imperare poſſunt. Conjunctio autem dignitatis Regiæ cum profeſſione Chriſtiana id unum efficit, ut qua tanquam Principes authoritate pollent, eam tanquam Chriſtiani in exequendis Eccleſiæ, communis omnium fidelium Matris, Decretis impendant, non vero ut poteſtatem temporalem ad ſpiritualia officia extendant.

Ad-

Adhuc autem evidentius patet, authoritatem illam Principibus non competere, ſi convocatio Decretis robur aliquod tribuat. Aut enim neganda eſt diſtinctio inter utramque poteſtatem, Eccleſiaſticam & ſæcularem, quam nec Hæretici omnes inficiantur; aut ſicut ſæcularia ſæculari, ita ſpiritualia ſpirituali & Eccleſiaſticæ tribuenda ſunt. Sicut ergo diſtincta ſunt negotia, ita diſtinctæ ſunt poteſtates, etiam circa easdem perſonas. Satis proinde non eſt, quod Prælati Eccleſiaſtici ſint in aliis rebus ſubjecti Principibus, niſi etiam tractandorum negotiorum ea ſit conditio, ut in iis locum habeat ſæcularis jurisdictio; alioquin liceret etiam ſummo Pontifici in omnibus Regnis Chriſtianis, quorum eſt Supremus Paſtor, comitia pro expediendis cauſis civilibus convocare, quod certo non concederent Politici. Quia ergo in congregandis Cætibus non tam perſonarum, quam negotiorum, habenda eſt ratio; Eccleſiaſticæ poteſtatis eſt, pro Eccleſiaſticis rebus Concilia congregare.

His adde, quod a tempore, quo in omnem terram exivit ſonus Apoſtolorum, nunquam fuerit totus orbis Chriſtianus unico Principi ſubditus. Penes quem igitur ex multis erit convocandorum ex omnibus terræ partibus Epiſcoporum authoritas? Hanc certe uni etiam Imperatori alii ægre tribuent. Quam autem difficile ſit, ut omnes conſentiant Principes ad convocandos eos, qui in ſua cujusque ditione reperiuntur, nemo non intelligit. Quid vero fieret, ſi eorum plerique infideles eſſent, aut hæretici? ut re ipſa contigit, non ſolum antequam Conſtantinus Magnus Chriſtianam fidem amplecteretur, ſed etiam longe poſtea, e. g. in fine quinti ſæculi, quando Clodovæus Francorum Rex baptiſmum ſuſcepit; quo tempore obſervant Hiſtorici, nullum omnino in orbe univerſo Catholicum Principem extitiſſe. Quo igitur modo tunc comprimenda fuiſſet Hæreſis, Principibus nihil curantibus, ut

Epiſcopi de Religione inter ſe tractarent? Niſi ergo aliquis Divinæ Providentiæ in gubernanda Eccleſia ſua inſigniter injurius eſſe velit, fateatur neceſſe eſt, Conciliorum convocationem, non ad Principes & Magiſtratus ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticam Hierarchiam proprio jure pertinere.

Et quoniam in hac diverſi ſunt Ordines & diverſæ poteſtates; adeo ut Epiſcopi Ordinarii jurisdictionem immediatam habeant in Clerum ſuæ Diœceſis, Metropolitani in Epiſcopos Provinciæ Eccleſiaſticæ, cui præficiuntur, Primates in totam nationem, Romani Pontifices in univerſam Eccleſiam; indubitatum videtur, ad ſingulos pertinere, ſubjectum ſibi Virorum Eccleſiaſticorum cætum convocare.

III. Sed quia maxima eſt controverſia de Concilio generali; ejus convocandi poteſtatem ordinariam eſſe penes ſolum Romanum Pontificem, probatur ulterius

1mo: Illius eſt convocare Concilia Oecumenica, cui Chriſtus univerſæ Eccleſiæ curam commiſit, & quem ſupremum ejusdem Paſtorem & Rectorem conſtituit. Atqui ſoli Romano Pontifici Eccleſiæ univerſæ cura commiſſa eſt, is ſolus ſupremus ejusdem Paſtor & Rector a Chriſto eſt conſtitutus. Ergo. Minor propoſitio fit manifeſta ex iis, quæ Chriſtus Joan. 21. cap. ad ſolum Petrum, ejusque Succeſſores dixit. Major quoque facile oſtenditur: nam Concilia generalia coguntur, ad providendum bono communi totius Eccleſiæ. Sicut enim ob publicas communesque omnium Civium & Reipublicæ neceſſitates convocantur comitia; ſic cum fidei, quæ omnium Chriſtianorum commune eſt bonum, periculum & bellum impendet, omnium Eccleſiarum Paſtores evocantur, communem cauſam communi voto acturi. Ergo illius eſt convocare Concilia, cujus eſt providere bono communi totius Reipublicæ Chriſtianæ, qui ſupremam in omnium

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiarum Paſtores authoritatem obtinet, quique poſſit omnibus congregandis præcipere, ſuoque præcepto illos obligare. Alioquin enim plures adeſſe negligerent, aut contemnerent. Quis autem præter Romanum Pontificem omnes Epiſcopos ſibi in rebus Eccleſiaſticis ſubditos habet?

2°. Conſtat, ea ſaltem omnia Oecumenica Concilia, quæ poſt octavum ſæculum celebrata ſunt, Romanos Pontifices, nemine contradicente, imo conſentientibus omnibus, tum Clericis tum Laicis, indixiſſe. Igitur omnibus, qui iis ſæculis vixere, perſuaſum fuit, penes Pontifices Romanos eſſe jus, de quo agitur; alioquin enim nonnulli, præſertim Principes, ejusmodi convocationi obſtitiſſent, cum primum ab Epiſcopis Romanis tentatam advertiſſent.

3°. In Concilio Chalcedonenſi, poſtulante Lucentio Legato Pontificio, ne Dioſcorus Alexandrinus cum reliquis Epiſcopis ſederet, & dicente: *Judicii ſui neceſſe eſt eum* (Dioſcorum) *dare rationem, quia cum perſonam judicandi non haberet, præſumpſit, & ſynodum* (generalem) *auſus eſt facere, ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Nemo contradixit, & Dioſcorus judicii ſui rationem redditurus in medio a Magiſtratibus, qui nomine Imperatoris aderant, ſedere juſſus eſt.

4°. Concilium Lateranenſe V. Seſſ. 11. ſoli Romano Pontifici hanc vindicat poteſtatem Conſtitutione, quæ incipit: *Paſtor æternus*, his verbis: *Cum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum Decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtat.*

50. Illi ipſi, qui Pontificiæ authoritati ſe ſe cæteroquin non admodum ſtudioſos exhibuerunt, hanc tamen, de qua hic agimus, poteſtatem ad ſummum Pontificem ita pertinere, ut ſine ejus aſſenſu Concilia generalia congregari non poſſint, ultro agnoverunt. Sic Petrus de Marca lib. 6. cap. 28. num. 15. varia Conciliorum genera diſtinguens, de univerſalibus diſerte pronuntiat, quod veriſſimum eſt, *non poſſe Concilia celebrari, abſque ſententia Epiſcopi Romani.* Et Edmundus Richerius ob deprimendæ Romani Pontificis, & extollendæ Principum ſæcularium authoritatis ſtudium ſamoſus, fatetur in hiſtor Concil. Cap. 1. n. 7. Quod *cum Primatus Petri ſit Juris Divini quoad inſtitutionem, certe regulariter & ordinarie ſynodi generales abſque conſenſu Papæ legitime petito celebrari non debent.* Item Joannes Gerſon eorum Coriphæus, qui Concilii poteſtatem tantum extulerunt, Lib. de vit. ſpirit. anim. Lect. 3. poſtquam Papæ ſuperioritatem ſupra totam Eccleſiam his verbis conſtituit; *Habet itaque Papa dominium ſuperioritatis a Chriſto ſupra totam Eccleſiam, cum plenitudine poteſtatis in eis, quæ ſpirituale Regimen Eccleſiæ proprie dictum reſpiciunt &c.* Partes hujus poteſtatis aſſignat in hunc modum: *De hac poteſtate ſunt jus convocandi Concilia univerſalia, jus determinandi cum Concilio quæſtiones fidei per modum articulorum, omnes generaliter obligantium.* Et quamvis Tract. de poteſtat. Eccleſ. conſid. 12. excipiat caſus aliquos a neceſſitate faciendæ a ſummo Pontifice Conciliorum convocationis; eo ipſo tamen, quod jure Divino ſoli Romano Pontifici conveniat poteſtas ordinaria convocandi, non videntur hic alii caſus excipiendi, quam quos vel Lex Divina, vel evidentiſſima ratio præſcribit. Ut cum nullus eſt Papa aut incertus eſt, dare operam Epiſcopi tenentur, ut eligatur Paſtor, quem univerſa ſequatur Eccleſia; quo tamen tempore nihil aliud præſtari a Concilio poſſe docent Authores non pauci. Item ſi electione pendente, vel ſummo Pontifice impedimento inevitabili deten-

tento (ut ſi in perpetuam maniam caderet, aut notorie eſſet hæreticus vel apoſtata) ſi, inquam, eo tempore quicquam occurreret, quod dilationem remedii non pateretur, Concilium providere poſſet, eo caſu convocandum ab Epiſcopis & Cardinalibus, qui tunc Eccleſiam moderantur, & primum a ſummo Pontifice in ea locum occupant.

Eandem hanc poteſtatem illis tribuunt nonnulli, ſi Papa per negligentiam, vel malitiam bonum Eccleſiæ peſſumdari permittat; aut ſi nulla ratione induci poſſit ad indicendum Concilium, cum Eccleſiæ maxime neceſſarium videtur, ita ut ejus defectu omnia retro ſublapſa ferantur. Verum etiam hoc caſu convocare Concilium, & illud Papæ opponere, quid eſſet, quam remedium malo pejus adhibere? ſtrata videlicet ad ſchiſma, quo nihil eſſe poteſt pernicioſius in Eccleſia, via procliviſſima. Equando enim utile fuit Eccleſiæ, legitimo & indubitato Capite deſtitutæ, Concilium ſine ipſo collectum, vel continuatum? Quo tandem deſierit Concilium Baſileenſe, ex quo tempore ſchiſma conflavit adverſus Eugenium IV. quis fructus fuerit Conciliabuli Piſani Ludovici XII. Francorum Regis cura congregati, adverſus Julium II. Pontificem; quis aliarum ejusmodi Synodorum eventus, rerum Eccleſiaſticarum Scriptores abunde teſtantur. Sed non eſt, quod ejusmodi caſus tantopere timeamus: qui Eccleſiam ſuam ſuper Petrum ædificatam promiſit a portis Inferi non ſuperandam, nunquam paſſurus eſt, ut ab ipſius Petri Succeſſoribus ita concutiatur, ut niſi a Concilio generali ſine illis ac contra illos convocato ſuſtentetur, continuo ruitura ſit.

IV. *Oppon.* Quamvis a facto ad jus non ſit neceſſaria conſequentia; non eſt tamen leve argumentum, quod ab exemplo ſapientum, & piorum Virorum ducitur. Quamobrem merito concluditur, jus convocandorum Conciliorum, non penes Pontifices, ſed penes Imperatores olim ſaltem extitiſſe, quod videamus eorum aliquos, non ſolum æquitatis,

ſed etiam Religionis laude conſpicuos, hujusmodi cætus congregaſſe, Eccleſia non modo non repugnante, verum & rogante. Sic Conſtantinus Nicænum I. Theodoſius Senior Conſtantinopolitanum I. Theodoſius Junior Epheſinum I. Marcianus Chalcedonenſe Concilium convocarunt ; quod deinde etiam ab aliis Imperatoribus factum eſt, eo uſu atque adeo jure ad nonum usque ſæculum perdurante.

Reſp. Si uſus illius originem & cauſas diligentius inquiramus, comperiemus a facto Imperatorum ad jus aliquod ſpeciale Principibus ſine aſſenſu Eccleſiæ tribuendum, non valere conſequentiam. Convocarunt quidem Imperatores prima Concilia generalia, ſed Pontificibus convocationi conſentientibus, aut ſaltem convocationem poſtea ratam habentibus & confirmantibus, quod ſufficit, ut Concilium ſit legitimum : nam etiamſi ab alio, puta ab Imperatore convocetur, ſi tamen hoc fiat conſcio Romano Pontifice & Convocationi conſentiente, aut ſaltem, poſtquam facta eſt, eam ratam habente & confirmante, perinde eſt in prudenti æſtimatione, ac ſi Concilium ab ipſo Pontifice convocaretur.

Sic Concilium Nicænum convocatum quidem fuiſſe a Conſtantino, ſed Sylveſtro Papa ſi non auctore, ſaltem conſcio, eique conſentiente probat teſtimonium ſextæ Synodi Act. 18. Sermone Acclamatorio ad Conſtantinum his verbis : *Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Sylveſter laudabilis magnam atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant.* Rufinus Lib. 1. cap. 1. ait: Conſtantinum convocaſſe Synodum de ſententia Sacerdotum, Alexandri quidem Alexandrini Epiſcopi, qui id litteris ſuis a Conſtantino petierat, ut patet ex Epiphanio Hær. 68. Et Oſii, qui cum a Sylveſtro Pontifice miſſus eſſet ad componendas res Alexandrinas, de cogendo Concilio auctor fuit, teſte Sozomeno Lib. 1. cap. 16. cumque Legatus eſſet Sylveſtri, ut deinde oſtendemus, quis credat, auctorem fuiſſe convocandi Concilii generalis absque ſententia Sylveſtri, cujus apud Conſtantinum vices agebat? Con-

Conſtantinopolitanum I. convocavit Theodoſius Senior, inſcio quidem Damaſo tunc Pontificatum gerente: ſed in eo ſoli fuere Orientis Epiſcopi, ut expreſſe teſtatur Theodoretus Lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 7. *Theodoſius*, inquit, *Epiſcopos duntaxat imperii ſui Conſtantinopolim juſſit convenire.* Unde Synodus Conſtantinopolitana cum celebrata eſt, non erat generalis; neque Oecumenicæ Synodi dignitatem & authoritatem obtinuit, niſi cum illam Damaſus ratam habuit, & ipſe cum Occidentis Synodo Romæ celebrata, aſſenſu ſuo & authoritate, eadem ſancivit & firmavit, quæ anno ſuperiore circa fidem ſtatuta fuerant Conſtantinopoli: atque ita ex Orientis Synodo, & Synodo Occidentis, in fide conſentientibus, unica moraliter conflata eſt totius orbis Synodus, quæ hactenus Conſtantinopolitana nuncupatur.

Epheſina quoque a Theodoſio juniore eſt convocata; ſed Cœleſtino Papa convocationem approbante, eique conſentiente, atque ad eam Legatos ſuos mittente; id quod patet, partim ex Actione 1. ejuſdem Synodi, ubi dicitur initio: *Conſedentibus - - - religioſiſſimis & Sanctiſſimis Epiſcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui & Cœleſtini Sanctiſſimi Eccleſiæ Romanæ Archi-Epiſcopi locum obtinebat &c.* Partim ex relatione Synodi ad Theodoſium poſt Actionem 3. ubi hæc leguntur: *miſit autem* (Cœleſtinus) *has literas per Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum Magnæ Romæ, qui Cœleſtini præſentiam ſuppleant.* Partim denique ex ipſius Cœleſtini ad Theodoſium epiſtola, in qua ſic ait: *huic Synodo noſtram præſentiam in his, quos miſimus, exhibemus.*

Chalcedonenſem demum Synodum convocavit Marcianus; ſed nonniſi expetito prius conſenſu Romani Pontificis, ut patet ex litteris ab ipſo Marciano & Pulcheria Auguſta ad S. Leonem datis, & ex ejuſdem ſancti Pontificis Epiſtola 43. ad Marcianum, in qua ſic ſcribit: *popoſceram a glorioſiſſima*

Clementia veſtra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Eccleſiæ pacem, a nobis etiam petitam, neceſſariam judicaſtis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis .... ſed quia pio ſtudio humanis negotiis divina præponitis .... ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor.

Quod nominati hactenus Imperatores, pro ſuo erga Religionem & pacem amore fecerant, Eccleſia gaudente, nedum conſentiente; hoc & eorum Succeſſores, alii quidem in Eccleſiæ perniciem, alii in fidei ac diſciplinæ profectum, non ſemel præſtiterunt.

Porro cauſæ, ob quas Eccleſia Imperatoribus Concilia convocantibus non obſtitit, ſequentes fuerunt. *Primo*, quia cum Imperatores Romani in toto ferme Orbe Chriſtiano tunc dominarentur, Concilium generale fieri non poterat, niſi in aliqua Urbe eorum imperio ſubjecta, in qua ſine eorum licentia Epiſcopos convenire æquum minime fuiſſet. Ubi ergo Chriſtianus Imperator cœpit non ſolum permittere, ſed & juvare & promovere ſanctiſſimos hujusmodi Cœtus, hoc bonum maximo Dei beneficio adſcripſerunt Antiſtites; ac fructum exinde provenientem magis attendentes, quam quæ incommoda futuris temporibus conſequi poſſent, non ita ſubtiliter inquiſierunt, an ea ratione Principes ultra proprios limites excurſuri forent, propriæque authoritati vindicaturi, quod in quibusdam a ſolo erga Religionem ac publicam quietem ſtudio, cum Eccleſiæ conſenſu profectum fuiſſet. *Secundo*, quia Hæretici & Schiſmatici legitimæ Superiorum Eccleſiaſticorum authoritati non ſatis ſubjecti, Imperatorum erant compeſcendi authoritate, quam ipſi vix adhibuiſſent, niſi negotia in Synodis a ſe indictis fuiſſent tractata. *Tertio*, quia propter Eccleſiarum paupertatem non potuiſſent Epiſcopi longa itinera conficere, & ex univerſo Orbe in unum locum convenire, niſi quæ commeatui neceſſaria ſunt, Principum liberalitas providiſſet. Hinc factum videtur, ut Concilia generalia

Digitized by Google

ralia convocandi authoritatem aliquando ſibi arrogaverint Imperatores, quanquam ea authoritas ſolis Pontificibus Romanis competat jure divino, quod tamen jus Pontifices tunc non opponebant Imperatoribus, nec utiliter oppoſuiſſent: ſed prudenti œconomia uſi, aut rogabant Imperatorem, ut Concilium generale convocaret, aut ab eo convocatum ratum habebant; quo pacto Synodi generalis convocatio erat, vel fiebat legitima.

Quær. 2do. *Cujusnam ſit Conciliis generalibus præſidere?*

V. Tantam affinitatem habet præſens Quæſtio cum præcedente, ut ab illius ſolutione hujus quoque definitio pendere videatur. Quippe iisdem prorſus rationibus, quibus Romano Pontifici aſſertum eſt jus convocandi Concilium generale, etiam evincitur, penes eundem Pontificem jus eſſe ordinarium Conciliis præſidendi. Quapropter communis eſt Catholicorum ſententia, vim & robur Concilia generalia non obtinere, absque Summi Pontificis authoritate, quam vel per ſe ipſum, vel per Legatos ſuos in iis exercet. Contra reclamant Hæretici omnes, contendentes Imperatoris eſſe Conciliis generalibus præſidere; aut ſi is nec per ſe, nec per Legatos a ſe mittendos præeſſe velit, ab ipſa Synodo Præſidem ſibi eſſe eligendum. Hoc nixi principio, noluerunt ſe præſentes ſiſtere Concilio Tridentino, cauſantes, Romanum Pontificem non potuiſſe illius eſſe præſidem.

Quod quam alienum ſit a ratione, & ab ipſo Eccleſiæ uſu ac perpetua praxi, nemo non videt: cum enim Concilia generalia non cogantur, niſi ut de Religione communi Chriſtiana, vel de diſciplina Eccleſiaſtica inquiratur, firmeturque fides catholica, damnentur hæreſes, atque ut ſancta Eccleſiæ inſtituta probentur & ſanciantur, ſtatim apparet, eorum definitionem vel inſtitutionem non eſſe poteſtatis ſæ-

 cula-

cularis, nec juris Cæſarei; ac proinde neque dirimendis fidei controverſiis, & ferendis legibus Eccleſiaſticis Cæſares præeſſe oportere. Sane, ut ſæpius argumentantur Patres, Chriſtus non ædificavit Eccleſiam ſuam, niſi ſupra Petrum, illum totius ſui gregis Paſtorem conſtituit, non Cæſarem; ſoli Petro & Apoſtolis ligandi ſolvendique poteſtatem fecit, nulla facta Principum ſæcularium mentione. Quare poteſtas illa, quæ divinitus tantum conferri potuit, cum omnem naturæ ordinem ſuperet, tribui nemini debet, niſi cui Chriſtus illam diſertiſſime indulſerit. Non diminuit ille Principum auctoritatem conſtituto Eccleſiæ Paſtore Petro, ſed neque illam auxit aut ampliavit: nempe geminæ ſunt poteſtates, nec una debet alterius jura invadere. Propterea Theodoſius Epiſt. ad Synodum Epheſ. cap. 35. *Candidianum*, inquit, *ad Sacram veſtram Synodum abire juſſimus, ſed ea lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quiddam commune habeat. Nefas eſt enim, qui Sanctiſſimorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſeſe immiſcere.* Vides quam longe abfuerit Theodoſius ab ambienda Concilii Oecumenici præſidentia; quem imitatus Valentinianus, ne quidem Synodum indicere, uti ſollicitabatur ab Epiſcopis Orientalibus, auſus eſt, quemadmodum ſupra inſinuavimus. Si ergo piiſſimi Principes nec Epiſcoporum conventus indicere, nec diſputationibus de fide præeſſe ſuſtinuerunt, qua ratione Concilio Oecumenico, in quo de fide decernitur, præſidere contendent? Quod ſi aliquando Conciliis ejuſmodi præſentes fuerunt, non ipſi judicarunt, aut præſides ſe geſſerunt, ſed ut de Conſtantino dicebat Ambroſius Lib. 5. Epiſt. 35. liberum Sacerdotibus judicium reliquerunt. Et ſi nonnunquam edictum de fide pronuntiarunt, & illud Pontifices approbaſſe viſi ſunt; reſpondendum eſt cum Agapete Epiſtola ad Juſtinum, cujus edictum amplecti ſe ait: *Non*

quia

quia Laici auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum regulis conveniens confirmamus atque roboramus. Quæ Pontificis reſponſio in omni ſimili caſu adhibenda eſt. Manet igitur, Imperatores & Principes laicos Synodis Oecumenicis præſidere non poſſe, ſed id ad ſolos Epiſcopos pertinere; neque omnibus ejusmodi prærogativam concedi, ſed ſoli Romano Pontifici, ſive ipſemet interſit, ſive ſuos Legatos & Vicarios ſuo nomine adeſſe jubeat; quod etiam colligitur ex dictis in Reſponſione ad ſuperiorem Quæſtionem, quæ proinde hoc loco repetenda minime ſunt. Sufficiet in eorum confirmationem, conſtantem & perpetuam hac in re Eccleſiæ praxim & uſum afferre.

VI. 1*mo*. In Concilio Apoſtolorum, quod Lucas commemorat Act. 15. cap. quodque norma & exemplar futurum erat aliorum Conciliorum, præſedit Petrus: nam primus ſurrexit, primus controverſiam decidit, primus dixit ſententiam, quam cæteri Apoſtoli & Seniores omnes, qui aderant, ſecuti ſunt, ut obſervat Hieronymus in ſua ad Auguſtinum epiſtola, quæ eſt inter Auguſtinianas undecima; ubi dicit inter alia, Petrum decreti in hoc Concilio editi, ſcilicet, *Legem poſt Evangelium non eſſe ſervandam*, principem fuiſſe.

2*do*. Nicæno I. nomine & vice Sylveſtri Papæ, præfuerunt Oſius Epiſcopus Cordubenſis, Vitus, ac Vincentius Eccleſiæ Romanæ Presbyteri. De Oſio ſcribit Athanaſius in epiſt. ad Solitarios, quod Nicæni Concilii princeps fuerit. At qua ratione id honoris præ Patriarchis Orientalibus habuiſſet Occidentalis Epiſcopus, niſi primæ ſedis vices egiſſet? Num forſan, quia vel ab Imperatore, vel ab ipſa Synodo præſes conſtitutus eſt? Hoc nempe vellent Adverſarii. At Imperator non magis potuit conſtituere Oſium Synodi præſidem, quam ipſe potuit ejus præſidem agere. Deinde, cum in ipſa Synodo, non Epiſcopos a ſe, ſed ſe ab Epiſcopis judicari debere, ſeque illis

non

non præpoſitum, ſed ſubjectum eſſe, palam profeſſus fuerit Conſtantinus, quomodo aut eis præeſſe, aut alium, qui præeſſet, deſignare auſus fuiſſet? Si Synodus dicatur ſibi præſidem conſtituiſſe, quare dicitur hanc dignitatem in Oſium potius contuliſſe, quam in Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, qui & ætatis maturitate ſpectabilior, & de negotiis in ſynodo tractandis inſtructior, & ſedis prærogativa longe ſuperior erat?

Oſio adjunctos fuiſſe Vitum & Vincentium tanquam Sylveſtri Legatos, ſcribit Theodoretus hiſt. lib. 1. cap. 7. & ante ipſum Socrates Lib. 9. cap. 13. ubi nomina Patrum Nicænorum recenſens, orditur ab Oſio, Vito, & Vincentio, quibus ſubjungit Alexandrum Ægypti, Euſtachium Antiochiæ, & Macarium Hieroſolymorum Epiſcopos, ſervato ordine, quem habent Nicæni Canones. Quod deinceps omnibus, qui poſtea floruerunt, Epiſcopis perſuaſum fuit: hæc enim habet Hincmarus Lib. 55. cap. 20. *Sylveſtri tempore celebrata eſt ſacra Synodus Nicæna, cui ad vicem Sylveſtri præſederunt Oſius, Cordubenſis Epiſcopus, Vitus, & Vincentius Presbyteri urbis Romæ.* Et quidem poſtremos hos duos fuiſſe Pontificios Legatos conſentiunt omnes: ex ipſis autem Actis Concilii conſtat, eos in conſeſſu & ſubſcriptione omnibus Orientis Patriarchis & Epiſcopis prælatos fuiſſe, quod certe obtinere non poterant, niſi ſuæ legationis jure, cum nequidem Epiſcopi eſſent. Cum vero Oſius eadem prælationis prærogativa una cum illis Presbyteris gaviſus ſit, neceſſe eſt, eodem illo Pontificiæ Legationis jure potitum eſſe: cur enim Epiſcopus Occidentalis omnibus Patriarchis & Prælatis Orientalibus præiverit? Vel igitur doceant Adverſarii, id illi a ſynodo Nicæna tributum fuiſſe, aut Conſtantini delegatione, quod nunquam docebunt; vel fateantur oportet, illum una cum duobus illis Romanis Presbyteris Legatione Pontificia functum fuiſſe, jureque legationis delatum ipſi primum locum, & Synodi præſidentiam.

3tio,

Digitized by Google

3*tio*, Conſtantinopolitano I. non præſedit quidem Damaſus Papa, nec per ſe, nec per Legatos ſuos; ſed cum celebratum eſt, non fuit totius orbis, ſed ſolius Orientis Concilium: nec niſi deinde evaſit Oecumenicum, cum nempe Damaſus illud ratum habuit, eique acceſſit una cum Synodo Occidentali in illis quæ ad fidem pertinebant, ut ſupra notavimus.

4*to*, Epheſino I. quod habitum eſt contra Neſtorium, præfuiſſe Cœleſtinum Pontificem per Legatos ſuos, Cyrillum ſcilicet Alexandrinum, Arcadium, & Projectum Epiſcopos, atque Philippum Eccleſiæ Romanæ Presbyterum, conſtat ex actis Synodi, & ex tenore ſententiæ contra Neſtorium a Synodo latæ: *Coacti*, inquiunt Patres Epheſini, *per ſacros Canones, & epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri, & Comminiſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi - - - - ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſario venimus.* Cum ſe ad exauctorandum Neſtorium per epiſtolam Cœleſtini coactos eſſe dicunt, eum manifeſte ſuperiorem agnoſcunt; quod etiam præſtant, cum Joannis Antiocheni depoſitionem illius judicio reſervant in ſua ad eum ſynodica epiſtola. Cœleſtinus ipſe ad Cyrillum ſcribens ſuas illi non modo vices, ſed & locum & authoritatem mandavit: *Quamobrem noſtræ ſedis authoritate adſcita, noſtraque vice, & loco cum poteſtate uſus, ejusmodi non abſque exquiſita ſeveritate ſententiam exequens &c.* Et in ſua ad Synodum epiſtola; *Direximus*, inquit, *Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum noſtrum, qui iis, quæ aguntur, interſint, & quæ a nobis antea ſtatuta ſunt, exequantur.* Certe præſidem agit, qui quæ antea ipſe decrevit, mittit ad Concilium non examinanda, ſed executioni tradenda. Nec tamen reclamant Epheſini Patres, ſed acclamant; *Hoc juſtum judicium &c.*

5*to*, Chalcedonenſi præſedit S. Leo per ſuos Legatos Paſchaſinum & Lucentium Epiſcopos, & Bonifacium Eccleſiæ Romanæ Presbyterum, ut patet ex epiſtola ejusdem S. Leonis ad ipſum Concilium, in qua ita ſcribit: *In his fratribus qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo Fraternitas veſtra exiſtimet præſidere.* Et ex epiſtola Concilii ad Pontificem: *Quibus* (verba ſunt Epiſcoporum Chalcedonenſium) *tu quidem ſicut membris caput præeras in his, qui tuas vices obtinebant.* Confirmatur ex eo, quod Leonis Legati in ſingulis Concilii actionibus primi nominentur, primi ſedeant, primi loquantur, primi ſcribant, ipſi adverſus Dioſcorum ſententiam pronuntient hoc tenore: *Sanctiſſimus, ac Beatiſſimus Papa*, inquiunt actione 3. *per nos Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudavit &c.*

6*to*, Conſtantinopolitanum II. (quemadmodum ſupra retulimus de Conſtantinopolitano I.) cum celebratum eſt, fuit tantum Synodus Orientis, nec niſi deinde evaſit Oecumenicum, quando videlicet ei acceſſit Vigilius Papa, tria Capitula ſimiliter damnando, decretali Epiſtola ad Eutychium Conſtantinopolitanum Patriarcham directa, quæ habetur Tom. 5. Concil. Labb. Ita autem a Vigilio hanc Synodum tandem confirmatam ſcribit Evagrius, lib. 4. hiſtor. cap. 38. *Porro*, inquit, *Vigilius per litteras quidem conſenſit; Concilio tamen intereſſe noluit.* Et Photius lib. de 7. ſynodis: *Quamvis ad ſacri cœtus conventum promtus non eſſet* (Vigilius) *communem tamen Patrum fidem libello comprobavit.*

7*mo*, Conſtantinopolitano III. præfuiſſe Agathonem Papam per Petrum & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum, patet tum ex eo, quod hi ut Legati Pontificis in omnibus actionibus primi nominentur, loquantur, ſcribant; tum etiam quod laudatæ Synodi Patres, in ſynodica ad Agathonem epiſtola, eundem ut ſupremum Eccleſiæ Paſtorem, adeoque ut

ut Judicem expreſſe agnoverint; ita enim loquuntur: *Perlectis veræ Confeſſionis litteris a veſtra Paterna Beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſis, quas ut a ſummo Apoſtolorum vertice divine præſcriptas agnoſcimus &c.* Et in ſermone ad Imperatorem, qui aderat, de ſua definitione loquentes, affirmant, *per Agathonem Petrum locutum eſſe.* Multa alia hujus generis in variis ejusdem Concilii actionibus legere eſt.

8vo, Nicæn. II. Præfuit Adrianus I. per Vicarios ſuos Petrum Archipresbyterum, & alium Petrum Presbyterum, & S. Sabbæ Abbatem. Patet ex Synodi actionibus, in quibus primi nominantur; & ex actione 7. in qua primi & ante Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum definitioni fidei ſubſcribunt. Merito proinde reprehenditur Photius & alii Græci, qui contra actorum Synodi fidem auſi ſunt aſſerere Taraſio præſidentiam, eumque Romani Pontificis Vicariis anteponere.

9no, Conſtantinopolitano IV. nomine Adriani Papæ II. præfuerunt Donatus & Stephanus Epiſcopi, & Marinus Diaconus. Prior hiſce verbis ad Concilii calcem ſubſcribit: *Ego Donatus gratia Dei Epiſcopus ſanctæ Oſtienſis Eccleſiæ, locum obtinens Domini mei Adriani univerſalis Papæ, huic ſanctæ & univerſali Synodo præſidens, omnia quæ ſuperius leguntur, promulgavi, & manu propria ſubſcripſi.*

Atque hæc ſunt Concilia Oecumenica, prioribus octo ſæculis celebrata. De aliis autem, quæ poſt octavum ſæculum habita ſunt, ſuperfluum eſſet hic agere; quandoquidem ipſi Adverſarii non diffitentur, iis omnibus Romanos Pontifices vel per ſe vel per Legatos ſuos præfuiſſe. Habemus ergo ex perpetua Eccleſiæ praxi & conſuetudine, munus præſidendi Generalibus Synodis ad Romanos Pontifices pertinere.

Digitized by Google

VII. Neque obſtat, quod Imperatores ſæpius legantur Conciliis præfuiſſe: quemadmodum Leo Papa II. ad Imperatorem Conſtantinum Pogonatum ſcribens: *Sancta*, inquit, *Univerſalis ſexta Synodus, quam nutu Dei ſtudioſe veſtra clementia convocavit, & cui pro Dei miniſterio præfuit.* Similiter actione 8. Synodi ſeptimæ, Irene Imperatrix dicitur cum filio eidem Synodo præfuiſſe. Actione 7. octavæ Synodi aſſeritur, quod Baſilius Imperator ei præfuerit. Idem denique paſſim habetur in epiſtolis ſynodicis, & actionibus aliorum Conciliorum, de Imperatoribus cæteris, ut Conſtantino Magno, Theodoſio &c.

Hæc, inquam, non obſtant, intelligenda enim ſunt, non de præſidentia directionis, aut quoad jus ſuffragii, ſed quod præſederint Imperatores Conciliis locotenus, quatenus ſederunt in honorificentiſſimo loco, ut Eccleſiæ & Synodi defenſores, non ut fidei controverſiarum judices. Quod ſufficienter declarant ea, quæ attulimus, & magis adhuc confirmat propria ipſorum confeſſio. Sic Conſtantinus Pogonatus, qui dicitur præfuiſſe ſextæ generali Synodo, non alium ſibi titulum vindicavit, quam defenſoris & executoris eorum, quæ ab Epiſcopis ſtatuta fuiſſent: *Neque* (inquit in ſua ad Gregorium Papam epiſtola, quam idem Gregorius refert in ante actis ejuſdem Synodi) *cum illis* (Synodi Patribus,) *tanquam Imperator ſedebo, aut imperioſe loquar; ſed tanquam unus ex illis, & prout ſtatuerint Pontifices, ego exequar.* Idem profitentur Imperatores cæteri. Sane Conſtantinus Magnus, quamvis in Concilio Nicæno ſediſſet in honoratiore loco, aperte tamen profeſſus eſt, ſe nihil poſſe niſi in iis, quæ ſpectant ad rerum ab Epiſcopis definitarum executionem. Idem aſſeruit Theodoſius Imperator, ſe nempe ad Epheſinum Concilium miſiſſe Legatum ſuum, ut omnia pacifice, & cum ordine in eo gererentur. *Candidianum*, inquit in Sacra ad idemConcilium,

ad

Digitized by Google

ad veſtram Synodum abire juſſimus, ut Monachos & ſæculares, qui hujus ſpectaculi cauſa eo nunc confluxerunt, vel confluent, ab illa civitate ſubmoveat: proſpiciat, ne qua gravior diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta, Synodi conſultationem, & veritatis indagationem obturbet.

Sed *inquies*: illi præfuerunt Conciliis, etiam quoad vim directivam, & jus ſuffragii, qui ea confirmaverunt, approbante & conſentiente Eccleſia. Atqui Imperatores non ſine Eccleſiæ approbatione & conſenſu confirmarunt Concilia. Euſebius enim Lib. 3. de vita Conſtantini cap. 17. refert Epiſtolam, qua laudatus Imperator confirmavit Nicænam Synodum: *Plane* (inquit in ea epiſtola Conſtantinus) *divinum mandatum ſuſcipite: quidquid enim in ſanctis Epiſcoporum Conciliis geritur, id omne referendum eſt ad divinam voluntatem.* Patres alterius Concilii generalis rerum a ſe in Concilio geſtarum confirmationem petunt ab Imperatore Theodoſio: *Rogamus*, inquiunt, *tuam Clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii decretum.* Idem in actis Concilii Epheſini, & in Actis, tum ſextæ, tum ſeptimæ Synodi generalis videre eſt.

Reſp. Principes confirmatione, de qua agitur, Conciliis authoritatem internam & quoad vim obligandi in conſcientia non dediſſe, nec dare potuiſſe, ſed externam duntaxat; id eſt, effeciſſe ſolum ut ea, quæ in Conciliis ſtatuta fuerant, executioni mandarentur. Unde per eam confirmationem exhibuerunt ſe non judices rerum Eccleſiaſticarum, ſed decretorum executores.

Quær. 3tio: *Quinam ad Concilia convocari, iisque adeſſe debeant?*

VIII. In Conciliis tam generalibus quam particularibus, varii variis de cauſis adeſſe poſſunt: alii ut judicent, & de-

definiant; alii ut conſulant, & materiam tractandam examinent; alii ut Patribus miniſtrent, notent, acta ſcribant, codices relegant; alii denique ut authoritate ſua Synodum tueantur, ſecuritatem præſtent Patribus, ne quid turbarum oriatur, impediant, vim omnem amoveant.

Hæretici, qui poſtremis hiſce duobus ſæculis divexarunt Eccleſiam, contendunt, quemcunque fidelem, ſive Clericus ſit, ſive Laicus, modo doctrina emineat, adeſſe poſſe Concilio ut judicem; habereque jus ſuffragii definitivi. Ita Lutherus in ſuo de Conciliis libro: ita etiam cenſent Magdeburgenſes Centur. Lib. 2. cap. 2.

Contra quos Catholici omnes docent, ac tenent, ſolos Epiſcopos ex ſua dignitate id juris habere, ut tanquam judices ordinarii interſint Conciliis, atque in iis ſuffragium deciſivum, & ſententiam ferre poſſint.

Ratio eſt maniſeſtiſſima: cum enim Concilia ſint mera judicia, in quibus damnantur hæreſes, fides aſſeritur, diſciplina Eccleſiæ conſtituitur, & quandoque ipſorum Epiſcoporum cauſæ, aliæque Eccleſiaſticæ judicantur, jus ſuffragii & ſententiæ ferendæ non poteſt eſſe niſi in iis, qui ratione ſuæ dignitatis & muneris, atque ordinationis ſunt Eccleſiæ Principes & judices, quales ſunt ſoli Epiſcopi, cum illi Apoſtolis ſucceſſerint, quorum proinde eſt regere Eccleſiam Dei, & paſcere gregem Chriſti, juxta illud 1 Petri cap. 5. *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei:* & illud Actor. cap. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

Suffragatur rationi continua praxis Eccleſiæ: nam in omnibus Conciliis ſoli Epiſcopi inveniuntur ſubſcripſiſſe ita, ut definire ſe dicerent: *Ego* N. *Epiſcopus* N. *definiens ſubſcripſi.* Reliqui vero, nempe ſimplices Presbyteri, & alii Cleri-

rici minores, niſi ut Vicarii alicujus Epiſcopi adeſſent, nunquam ad ſuffragandum admiſſi ſunt, quantumvis ſancti eſſent & docti. Unde nulli, niſi nomine Epiſcopi alicujus, cujus ſcilicet vices agebant, unquam ſubſcripſiſſe leguntur; exceptis quibusdam paucis, quibus ex ſpeciali privilegio quandodoque datum eſt, ut proprio nomine ſubſcriberent.

IX. Hujusmodi ſunt imprimis Cardinales, qui licet non ſint Epiſcopi, jure tamen Eccleſiaſtico poſſunt intereſſe Concilio univerſali ut judices, quod nempe ſint de conſilio Papæ, & unum quodammodo cum ipſo corpus, ad univerſalem Eccleſiam ordinandam, efficiant. Hinc Petrus Damiani Epiſt. 20. ad Cadol. lib. 1. & lib. 2. epiſt. 1. illis partem regiminis univerſalis tribuit, ad quod maxime ſpectant Concilia univerſalia, & quæ in iis conſtituuntur. Et D. Bernardus lib. 4. de conſid. cap. 6. monet, eorum eſſe univerſalis Eccleſiæ ſcandala præſcindere, ſurgentes evellere ſpinas, ſedare querelas &c. Propterea illos vocat collaterales & coadjutores Pontificis.

Neque Cardinalibus tantum, ſed etiam Abbatibus, & Ordinum Regularium Præpoſitis Generalibus, aliquot ab hinc ſæculis, ex privilegio datum eſt, ſedere in Conciliis Oecumenicis inter judices, & ſuffragium ferre deciſivum. Eo nempe jure fruiti ſunt in Conciliis Baſileenſi, Florentino, Lateranenſi ſub Leone X. & Tridentino.

Cæteri autem Clerici, atque etiam Prælati, ſi qui ſint Epiſcopis inferiores, poſſunt quidem deputari, ut interſint Synodis, tanquam vices gerentes Epiſcoporum, non vero proprio nomine intereſſe ut judices; quod poſtremum patet ex dictis, primum vero conſtat ex uſu, cum Legati Pontificis neque ſemper Epiſcopi, imo neque Presbyteri aliquando fuerint, ſed Diaconi Romanæ Eccleſiæ, & tamen primi ante

te Epiſcopos ſederint & ſubſcripſerint, atque prærogativam ſuffragii habuerint, ut conſtat ex ipſis actis Conciliaribus.

Opponunt quidem nonnulli, Presbyteros & Diaconos pluribus Conciliis, Provincialibus præſertim, tum Romæ, tum alibi interfuiſſe, in quibus definitivam ſententiam tulerint, & hæreſes damnaverint; multaque eam in rem exempla adferunt. Verum ex illis nihil aliud efficitur, quam poſſe interdum ad ejusmodi Concilia, quæcunque illa ſint, ſive Provincialia, ſive Nationalia, ſive etiam Oecumenica, vocari, ut inter judices ſedeant, ſed ex privilegio; non quod hoc illis debeatur, ratione ſui ſtatus, & dignitatis, alioquin deberent ſemper adeſſe. Quid vero in ſingulis, quæ adferuntur, exemplis contigerit, an Presbyteri aut Diaconi ad Concilia vocati ſententiam & definitionem tulerint, an vero dumtaxat diſputarint aut conſuluerint, aut ut teſtes definitioni adfuerint, illique aſſenſerint, an Epiſcoporum ſuorum Legati vices eorum obierint, an fuerint vocati, an tantum Epiſcopos comitati cum illis acceſſerint, ſingillatim inquirendum eſſet, ſed nobis ad alia properantibus non vacat.

Denique quod Laicos attinet, æque certum eſt, nullos re ipſa, nec Principes, aut Imperatores interfuiſſe unquam tanquam judices. Id enim ſibi non competere ipſi de ſe profeſſi ſunt, ut Conſtantinus, Theodoſius, Marcianus, Valentinianus; quorum ea ſuper re ſe[illegible]m atque reſponſa ſuperius retulimus. Unde etiam factum, ut non niſi poſt Epiſcopos ſubſcriberent, quod fatetur Baſilius Imperator in Concilio Conſtantinopol. IV. Cum enim finita Synodo Legati ſubſcribendum eſſe dicerent, & honoris gratia id primo loco facere rogaretur Imperator, reſpondit: *Noſtra Serenitas imitata Majores noſtros, Conſtantinum Magnum, Theodoſium, Marcianum & cæteros, vult illa quoque poſt omnes Epiſcopos ſubſcribere, ſed quia veſtra Sanctitas nos tali honore dignatur, ſecundum omnes*

de-

demum ſanctiſſimos Vicarios ſubſcribemus ; quod accurate ſervatum eſt. Similiter quamvis honorem conſeſſus & primæ ſedis locum in quibusdam Synodis Patres detulerint Imperatoribus ob reverentiam Majeſtatis, non idcirco ullam unquam judicandi & definiendi prærogativam contulerunt.

Manet ergo in Conciliis tam generalibus quam particularibus ſolos Epiſcopos judices eſſe ordinarios; alios vero iis inferiores, ex privilegio deputari poſſe: admittuntur nihilominus Clerici ad diſputandum, conſultandum, legenda acta, aliorumque miniſteriorum functiones peragendas. Laici demum Principes invitantur, ut Synodum tueantur contra ſeditioſorum impetus, turbas ſedent, curent omnia ex ordine & canonice fieri, & quæ in Conciliis conſtituta ſunt, executioni mandari; hæc enim omnia ſola & inermis Eccleſia præſtare non poteſt.

X. Porro ut Concilium ſit Oecumenicum, debet convocatio fieri generalis, adeoque omnibus majoribus Eccleſiæ Provinciis innoteſcere, omnes per orbem ſparſi Epiſcopi ad Synodum celebrandam invitari. Neceſſe tamen non eſt, ut omnes convocati reipſa etiam adſint & congregentur; quia vix moraliter id fieri poteſt: ſed ſufficit, ſi ex ſingulis Nationibus & Regnis aliqui eo numero conveniant, qui poſſint ſufficienter univerſam Eccleſiam referre ſeu repræſentare. Olim cum Concilium fiebat in Oriente, viſum eſt ſufficere, ſi ex omnibus Provinciis Orientis convenirent Epiſcopi multi, cum aliquibus ex Occidente a Pontifice miſſis, qui cæteros repræſentarent. Similiter ſi in Occidente factum fuiſſet Concilium, ſatis erat ſi ex omnibus Provinciis Occidentalibus multi adfuiſſent Epiſcopi cum paucis aliis ex Oriente miſſis, & Orientalem Eccleſiam repræſentantibus. Sic in Concilio Nicæno, quod primum fuit generale, tres tantum Epiſcopi ex Occidente interfuerunt, unus ex Gallia, unus

tlem ex Hiſpania & Africa, & duo Presbyteri ex Italia, qui aliorum omnium perſonam gerebant, quique Nicæam detulerunt Occidentalis Eccleſiæ ſuffragium. In Conſtantinopolitano I. & in primis ſeſſionibus Epheſini nulli Occidentales adfuere; ſed ea tum Damaſus, tum Cœleſtinus, qui ad Epheſinum ſuos Legatos miſerat, coacto Romæ Eiſcoporum Occidentalium Concilio, confirmarunt. Chalcedonenſi non interfuerunt ex Occidente niſi Legati Leonis Pontificis, qui miſit ad Synodum litteras, quibus Epiſcopi Italiæ, Galliæ & Hiſpaniæ in ſuis Synodis Leoni in omnibus ſe conſentire profitebantur. Eadem ratione in Conciliis Occidentalibus licet Oecumenicis, pauci omnino ex Oriente adfuerunt, ut conſtat ex Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. Viennenſi ſub Clemente V. & denique Tridentino.

CAPUT III.

De auctoritate Concilii Generalis in definiendis dogmatibus, & conſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica.

I. MAgnam eſſe Conciliorum generalium authoritatem, ne ipſi quidem diſſitentur Hæretici, cum ipſimet, quoties urgentur, atque etiam damnantur, ſive a ſummo Pontifice, ſive ab aliis eidem ſubordinatis Eccleſiæ Præſulibus, illico ad Concilium generale tanquam ad ſupremam poteſtatem provocare ſoleant. Quare in univerſum nemo dubitat de Conciliorum generalium authoritate, ſed videndum ſingillatius eſt, quibus in rebus ea potiſſimum emineat, quantave ſit, an ſuprema, an in rebus fidei & morum indefectibilis? In eo enim vero maxima eſt inter Catholicos & Heterodoxos controverſia, negantibus his Eccleſiæ ſeu per orbem diffuſæ, ſeu in Conciliis Oecumenicis congregatæ infallibilem judicii in cauſis fidei & morum definiendis authorita-

Digitized by Google

ritatem. Ita Lutherus lib. de Conciliis, ubi contendit, nullum prorſus eſſe, quantumcumcumque generale, & a quocunque approbatum ſupponatur, quod tum in fide, tum in moribus errare non poſſit. Luthero ſubſcribit Calvinus Inſtit. lib. 4. In eam vero ſententiam uterque abierunt, quod pleraque ex dogmatibus, quæ propugnabant, quæque prætenſæ ſuæ reformationis ſunt fundamenta, jam pridem a Conciliis generalibus damnata eſſent; cernerentque brevi iterum damnanda in Concilio Tridentino, quod contra Hæreticos illos Paulus III. convocarat.

Nonnulli ex recentioribus non negant ſimpliciter Conciliis generalibus eam, de qua hic agimus, infallibilitatem; ſed ad hanc requirunt perfectum & unanimem omnium omnino Epiſcoporum, ne uno quidem excepto, in definitione dogmatica conſenſum, adeo, ut ſi vel pauci admodum ex adverſo reclament, qui non ſint ab Eccleſia damnati & præciſi, ii ſua reſiſtentia omnem latæ definitioni vim adimant & authoritatem, eo quod in paucis iſtis integra ſtare poſſit ac conſervari veritas, cæteris omnibus in errorem abductis; quod ſimiliter intellectum volunt de infallibilitate Eccleſiæ per orbem diffuſæ. Ita non pridem in Gallia Auctor Epiſtolæ ad Epiſcopum Sueſſionenſem; & alter quidam anonymus Auctor libri, cui titulus: *Temoignage de la verité*, qui totus in eo eſt, ut oſtendat, paucitatem Epiſcoporum abunde compenſari poſſe multitudine Clericorum & Laicorum, paucis illis Epiſcopis adhærentium, quos propterea ad Concilium vocari poſſe ac debere ait, ut de controverſiis fidei teſtimonium ferant, ac ſententiam pronuntient. Auctor vero dictæ Epiſtolæ ſcribit, Arianos omnium primos docuiſſe, veritatem ex parte multitudinis ſemper ſtare, quod nempe illi jactantius prædicarent, ſe cæteros numero & multitudine ſuperare. Addit, quod etſi veritas in paucis ſtaret, vi-

ſibilem tamen ſemper fore Eccleſiam, ſcilicet propter manifeſtam unionem, quam illi pauci haberent cum Eccleſia veteri, & ejus doctrina. Sed hoc ipſum reſpondebant Lutherani & Calviniſtæ, quando novitatis arguebantur.

Quapropter Catholicorum omnium conſtans certaque eſt ſententia, Concilia generalia, ſi legitime convocata, ſi ab illis, ad quos ſpectat, libere celebrata fuerint, ſi debitam approbationem & confirmationem habeant, in cauſis fidei, ac morum definiendis infallibilem eſſe, & quidem ita, ut etiamſi nonnulli ex adverſo reclament, major tamen Epiſcoporum ſummo Pontifici adhærentium numerus aberrare non poſſit, nec unquam aberraverit. Quam veritatem, ne omnia unum in locum non ſine perturbatione congeſſiſſe videamur, binis Aſſertionibus ſtabiliemus. Sit igitur,

ASSERTIO I.

Concilia generalia, quibus nullæ deſunt requiſitæ a Catholicis conditiones, ſunt in judicio fidei, & morum, Divinæ & infallibilis authoritatis.

II. PRobatur imprimis ex promiſſionibus a Chriſto Eccleſiæ ſuæ factis, & jam ſupra a nobis relatis; ex quibus manifeſte deducitur, docendi judicandique infallibilitatem non minus tribuendam eſſe Eccleſiæ in Conciliis congregatæ, quam per orbem diffuſæ. Tum quia Concilia Oecumenica Eccleſiam univerſam ſufficienter referunt, ac repræſentant: ſicut enim quilibet Epiſcopus ſuam repræſentat Eccleſiam, ita univerſi univerſam referunt, & repræſentant; & ſicut in quolibet repræſentative reſidet authoritas ſuæ particularis Eccleſiæ, ita auctoritas Eccleſiæ univerſalis repræſentative reſidet in omnibus Epiſcopis in ſynodo Oecumenica coactis. Tum quod non alibi melius ac commodius de publicis Eccleſiæ ne-

Digitized by Google

negotiis, ſive fidem ſpectent, ſive mores ac diſciplinam, tractent ac judicent Epiſcopi, ad quos unice de iis tractare ac judicare ſpectat, quam in Synodis congregati, ubi ſe ſe mutuis juvant doctrinæ, induſtriæ, ſapientiæ, & conſiliorum præſidiis; non alibi melius poteſtatem activam ſeu jurisdictionem in legibus ferendis demonſtrent & exerceant. Ergo ſi ab omni erroris periculo tutum eſt judicium Epiſcoporum per orbem univerſum diſperſorum, ut ſuperius probavimus; pariter certum & ab omni errore tutum debet affirmari, cum in Conciliis legitime congregantur.

Alius deinde locus, ex quo probamus Concilii Univerſalis in definiendis fidei dogmatis auctoritatem, petitur ex illis Chriſti verbis Matth. 18. v. 20. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum;* ex quibus ita conficitur argumentum: cum duo vel tres authoritate Chriſti coveniunt in aliquem locum, & ab ipſo veritatis cognitionem petunt, Deus eis largitur ejusdem veritatis cognitionem. Ergo a fortiori eam largitur Epiſcopis ad Concilium generale auctoritate Chriſti coactis. Ridet hanc argumentandi rationem Calvinus, propterea quod videatur perinde probare etiam Concilium duorum hominum non poſſe falli. *Sed is eam non contemnet*, ait hic Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 2. *qui obſervarit, argumentum ſumi non ſimpliciter ex his verbis, ſed ex his verbis continuatis cum ſuperioribus, & propterea addita argumentatione a minori ad majus. Dixerat enim antea Dominus de homine incorrigibili: Dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit ſicut Ethnicus & Publicanus. At ne quis Eccleſiam, ſive congregationem Prælatorum contemnendam putaret, adjunxit continuo: Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo &c. Et ne quis dubitaret de aſſiſtentia Dei, quando Epiſcopi congregati aliquem damnant vel abſolvunt, ſubjungit: ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo,*

 ibi

ibi ego in medio illorum ſum. Quorum verborum hæc ſententia eſt: ſi duo vel tres congregati in nomine meo obtinent ſemper quod petunt a Deo, nimirum ſapientiam, & lumen, quod ſufficit eis ad cognoſcenda ea, quæ ipſis neceſſaria ſunt, quanto magis Epiſcopi omnes congregati in nomine meo ſemper obtinebunt, quod juſte petunt, id eſt, ſapientiam, & lumen ad judicanda ea, quæ ad totam Eccleſiam dirigendam pertinent - - - Ita hunc locum exponit Concilium Chalcedonenſe in epiſtola ad Leonem, quæ eſt poſt finem tertiæ Actionis ejusdem Concilii. Item ſexta Synodus Act. 17. Toletanum III. non procul ab initio. Item Innocentius Papa apud Gratianum Diſt. 20. Can. de quibuſ. Cœleſtinus in epiſtola ad Epheſinum Conc. Et S. Cyrillus in expoſitione ſymboli Nicæni circa principium. Hactenus Bellarminus.

Sed clariſſime omnium expreſſam habemus hanc Synodorum generalium infallibilitatem in Decreto primi Concilii Hieroſolymis ab Apoſtolis celebrati Act. 15. ubi ſuam definitionem ſic pronuntiant v. 18. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Quod Concilium formam & exemplar præbuit cæteris omnibus ſubinde celebrandis: in quibus etiam eadem illa verba, aut æquivalentia uſurpata ſunt, quod nempe eodem impulſore & auctore Spiritu S. agerentur. Et ſane verbum *videri*, ut obſervat Cujacius lib. 3. Obſerv. cap. 4. in ſolennibus Senatus Conſultorum formulis adhibebatur, nam decernendi aliquid formulæ erant, *placere Patribus*, *velle*, *æquum cenſere*, *Senatui videri*; quibus omnibus ſignificabatur, Senatum illius decreti & judicii auctorem eſſe. Quare ipſa Concilia dum videri Spiritui S. aſſerunt, eundem Spiritum Sanctum ſuarum definitionum auctorem quoque eſſe affirmant.

Nec dicas, Apoſtolos utpote ſacros Scriptores divinitus inſpiratos fuiſſe, atque adeo cum veritate dicere potuiſſe, *viſum eſt Spiritui S. & nobis*; quod ad eorum Succeſſores Epiſcopos in ſubſequentibus Conciliis congregatos extendi non de-

debet. Etenim licet Apoſtoli ut ſacri Scriptores divinitus inſpirati fuerint, alii tamen Seniores ſeu Epiſcopi, qui ad hoc Concilium convenerunt, pariter divinitus afflati tanquam Scriptores ſacri non fuere: communi tamen omnium conſenſu & ſuffragio pronuntiarunt, *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis;* communique omnium nomine epiſtola ſynodica ſcripta eſt. Denique, quamvis, ut obſervat Bellarminus paulo antea citatus, Apoſtoli ſeorſim potuiſſent definire controverſias, ne tamen viderentur negligere remedium ordinarium & a Chriſto ipſo demonſtratum; non ſine Concilio quæſtionem de Legalibus exortam dirimere voluerunt. Ideo collationem inter ſe habent, partem adverſam audiunt, Scripturas expendunt, ſuffragium ſingillatim ferunt. Non alio ſane conſilio voluit Deus controverſiarum omnium primam in negotio religionis ita definiri, quam ut formam & exemplar relinqueret Eccleſiæ, cæteras omnes, quæ enaſci poſſunt, ea ratione terminandi; certa ſpe data, quod ſicut Apoſtolis & Senioribus in primo illo Concilio congregatis aſtitit Spiritus Sanctus ope ſingulari, ita & eorum Succeſſoribus Epiſcopis, in nomine Chriſti congregandis, pro fidei controverſiis definiendis ſit adſtiturus.

Hæc omnia confirmant Patres, qui Concilia Oecumenica legitima & approbata tanquam E[illegible] venerati ſunt, & divina illorum oracula ita receper[illegible]arium ſentientes eo ipſo damnaverint. Teſti[illegible] congerit ſæpe laudatus Bellarminus lib. 2. de Conc. cap. 3. praxiſque Eccleſiæ totius conſtans idem ſuadet; ſolique reclamant Hæretici, damnari metuentes, & ab uno tribunali ad aliud provocant, ac tandem utrumque recuſant ac fugiunt.

Quibus accedit validiſſima ratio: ſi enim Concilia generalia in fidei cauſa errare poſſent, nullum imprimis in Eccleſia ſupremum foret judicium & tribunal controverſiarum,

cum

Digitized by Google

cum nihil ſit majus Concilio Oecumenico. Deinde omnes hæreſes hactenus damnatas in dubium revocare liceret. Arius diceret, ſe injuſte damnatum eſſe a Concilio Nicæno, Macedonius a Conſtantinopolitano, Neſtorius ab Epheſino, Dioſcorus & Eutycheſa Chalcedonenſi, & alii ab aliis; quique illorum errores hodie reſuſcitaret, non magis damnari poſſet; cum hodierna Concilia non ſint majoris authoritatis, quam illa antiqua fuerint. Quare Lutherani ac Calviniſtæ Tridentini Concilii definitiones explodunt.

Diximus autem Concilia Oecumenica infallibilis eſſe authoritatis in Decretis fidei & morum. Ubi obſerva, ea omnia, quæ in diſputationibus, colloquiis, diſſertationibus proferunt Epiſcopi, ut Canonibus & Decretis ſanciendis viam præmuniant, ac veritatem fidei illuſtrent, aut confirment, ad fidem non pertinere. Sunt quidem hæc magni ponderis, ſed fidem certam non faciunt. *Ea*, inquit Can. lib. 5. de Locis cap. 5. *quæ in Conciliorum, vel Pontificum Decretis, vel explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni reſpondeatur, vel etiam obiter & in tranſcurſu præter inſtitutum præcipuum, de quo erat potiſſimum controverſia, ea non pertinent ad fidem.* Regulas autem dignoſcendi definitionem fidei, ſequentes ſtatuit mox citatus Canarienſis Epiſcopus. 1*mo*, Si contrarium aſſerentes pro hæreticis habeantur. 2*do*, Cum in hanc formam Synodus Decreto præſcribit: ſi quis hoc, aut illud ſenſerit, anathema ſit. 3*tio*, Si in eos, qui contradixerint, excommunicationis ſententia ipſo jure feratur. 4*to*, Si quid expreſſe & proprie credendum, aut tanquam dogma fidei accipiendum dicatur, vel aliis ſimilibus verbis aliquid eſſe Evangelio, doctrinæve Apoſtolorum contrarium: dicatur autem non ex opinione, ſed certo & firmo decreto.

III. Huic præterea noſtræ & Catholicæ aſſertioni adjecimus, Conciliis nullas deeſſe debere conditiones a Catholicis

Digitized by Google

cis requiſitas; inter quas etiam illam reponimus) ut Concilium, ejusque decreta approbata & confirmata ſint a Romano Pontifice, ſive ipſe præſens fuerit, ſive litteris ſuis, aut alia ratione conſenſum præbuerit & approbaverit. Neque ſatis eſt, Legatos Pontificios Concilio præfuiſſe, niſi mandatum & inſtructionem ſibi datam a Pontifice, ſeu ut ajunt Commonitorium (ita dictum, quod eo negotium aliquod tanquam monitorio & memoriali committatur) exacte ſecuti fuerint; vel ſi nullum Commonitorium habeant, decretis deinde Pontificia confirmatio acceſſerit. Commonitoria ejusmodi reperiuntur in Actis Conciliorum, in vitis Pontificum, & ſacris Annalibus. Quoties igitur Legati Pontificii Commonitorium ſequuntur in Concilio, quod etiam ad illius normam ſua decreta definit, ut in Concilio Epheſino & Chalcedonenſi factum videmus, ea definitio eo ipſo non modo a Pontifice confirmatur, ſed ipſe eandem per ſuos Legatos præſens ſancire cenſetur.

Verum quæſtio inter Theologos exoritur: ſi Legati Pontificis nullum habeant Commonitorium, vel id, quod una cum Concilio definiunt in Commonitorio non contineatur, an a Pontifice quoque definitum ac confirmatum cenſeri debeat; an vero tunc Concilium errare, & a Pontifice emendari poſſit in controverſiis fidei, & num neceſſaria ſit diſerta Pontificis confirmatio, vel approbatio? Duvalius Pariſienſis Academiæ Profeſſor Regius, P. 4. de Pontif. Q. 6. Conc. 3. *Decreta*, inquit, *Conciliorum generalium unanimi Patrum & Legatorum conſenſu edita, ſunt infallibilia, etiam ante Pontificis confirmationem, quamvis ipſe nullam hujus decreti inſtructionem dederit.* Quam tamen concluſionem ſuam non ita certam fatetur, cum a multis iisque non inferioris notæ Doctoribus impugnetur. Supponit autem Duvalius, Concilium imprimis eſſe vere legitimum, utpote indictum a Pontifice, neque ullo modo revocatum, cæterasque omnes conditiones

requiſitas habere; Legatis inſuper præceptum non eſſe, ut ante definitionem Pontificem ipſum conſulant; præterea Patres ac Legatos ita in definiendo eſſe concordes, ut ne unus quidem refragetur. His poſitis, cenſet Duvalius, eam definitionem firmam eſſe & infallibilem; quia tunc Concilium totam & univerſam Eccleſiam repræſentat: ſiquidem Legati Pontificem referunt tanquam caput, & Epiſcopi particulares Eccleſias; neque Concilium ejusmodi dici poteſt acephalum, cum illi verum & viſibile caput præſit per ſuos Legatos. Addit Duvalius, quod, ſi tota ejusmodi Synodus erraret, contingere aliquando poſſet, ut in ſolo Pontifice reſideret fides, & quod inde neceſſario ſequitur, tota Eccleſia, quæ ſine fide ſtare nequit, in ſolo Pontifice permaneret; quod abſurdum eſt, quia Eccleſia per ſe & natura ſua eſt quædam congregatio, quæ multitudinem cum unitate includit.

Accedit, ut Vir eruditus arguere pergit, quod Concilium generale cum Capite non tantum univerſam Eccleſiam repræſentet, ſed ſit ipſamet Eccleſia, quæ tunc univerſa errare poſſet. Præterea unanimis Patrum conſenſus in doctrina fidei inviſtiſſimum argumentum habetur: in poſito autem caſu unanimis eſt Patrum & Pontificiorum Legatorum in fidei definitionem conſenſus: videturque pugnare cum divina Providentia & ſuavi gubernandi ratione, ut univerſis Patribus legitime congregatis, & in cauſam fidei diligenter & unanimi conſenſu incumbentibus deſit, ac in errorem labi permittat, qui mox totam Eccleſiam occupabit & turbas inſuperabiles pariet. Si enim Pontifex Legatorum ſuorum & Concilii totius definitionem rejiciat ac damnet, quam multi reſiſtent Pontifici, & Concilii partibus adhærebunt. Si vero confirmet errorem a Concilio definitum, ipſe non modo errabit, ſed errorem docebit, totaque ſimul Eccleſia præ-

ceps

ceps in errorem trahetur. Denique cum Pontifex Legatos deſtinet cum poteſtate definiendi, inanis & inutilis erit ea poteſtas, ſi ad actum revocari non poſſit, & ſi deinde nova Pontificis confirmatione indigeat. His nempe Duvalius ſuam illam ſententiam firmat, atque non improbabilem reddit.

Contra vero alii, qui ad hoc, ut Concilii definitio in cauſa fidei vim & robur obtineat, diſertam Pontificis confirmationem vel approbationem ſemper requirunt, hoc fere utuntur argumento. Quoties, inquiunt, quiſpiam alteri ſuas vices in negotio aliquo delegat, etiamſi ſpondeat, ſe ejus actum ratum habiturum; illud tamen non facit, donec, quid ejus Vicarius, Legatus, aut Procurator egerit, ipſe cognoſcat. Cur igitur Pontifex, qui ſuos Legatos mittit ad Synodum, ut una cum Patribus dogmata definiant, & Canones conſtituant, eorum actis, de quibus nulla in Commonitorio ipſis dato fuerit facta mentio, quæ neque ſcivit, neque expendit, conſenſiſſe cenſeatur, atque ſuo conſenſu decretum univerſale totius Synodi & Eccleſiæ feciſſe, infallibile reddidiſſe, & quod inde neceſſario ſequitur, poteſtatem illud retractandi ſibi ipſi ademiſſe credendus ſit? Nam, ſi infallibile eſt, illud neque retractare, neque emendare poterit: alioquin vel ipſe falleretur in ea retractatione, aut in neganda confirmatione; vel Synodus in decernendo erraſſet.

Ad Duvalii argumenta reſpondent, concedere ſe, Concilium ejusmodi non eſſe acephalum, cum illi Pontifex per Legatos interſit; ſed cum Legati quidpiam præter ſuum Commonitorium definiunt, in ea definitione ipſos Pontificem non repræſentare, a quo proinde tanquam a capite Eccleſiæ definitio illa confirmari debeat. Quare decretum Concilii, licet non contrarium commonitorio Pontificio, negant eſſe infallibile: neque timendum, ne tota propterea erret Eccleſia contra Chriſti promiſſionem; nam tota Eccleſia tunc

 non

non errat, cum Caput ejus una cum ipſa non decernit. Neque, inquiunt, eo caſu licet arguere ex Patrum conſenſu, & divinam providentiam incuſare, quod totam Eccleſiam falli permittat: non enim, ut mox dictum eſt, tota tunc fallitur Eccleſia; quia tunc Concilium legitime non procedit, utpote quod ſine ſuo Capite, aut ejus ratihabitione quidpiam decernit. Neque recte objicitur, Legatos deſignari ad Concilium cum poteſtate definiendi, quæ inanis erit, ſi ad actum revocari non poſſit: nam Pontifex facit quidem illam poteſtatem definiendi, ſed non communicat infallibilitatem in definiendo; nec privat ſe jure, quod habet, definitionem illam examinandi, probandi, aut ratam habendi. Quod univerſim verum eſt, & in omnium aliorum negotiorum Legatis & procurationibus uſuvenit: nam Delegans videre debet, an Delegati mandata ſua ſervaverint, & num illorum geſta rata habere teneatur.

Denique, cum fateatur Duvalius, neceſſariam eſſe confirmationem decretorum Synodi, quando vel unus Patrum diſſenſit, etiamſi reliqui Patres & Legati Pontificii ſimul conſenſere, *ita ut majori parti debeat accedere confirmatio;* ita contra arguunt: eo caſu Concilium vere dicitur decreviſſe, neque negari poteſt tale decretum eſſe totius Concilii decretum; quod enim unus aut alter diſſentiat, id non obſtat valori definitionis, ut inductione omnium, ſive comitiorum, ſive quorumcunque Tribunalium facile conſtat. Quod ſi igitur conſentientibus Delegatis, neque quidquam contra mandata facientibus, infallibilis eſt Concilii definitio, & non indiget confirmatione; non reddetur fallibilis, neque confirmationem poſtulabit propter diſſenſum unius alteriusve; non enim ſequitur, totam Eccleſiam non ita cenſuiſſe, quia unus aliquis ſingularis aliter cenſuit, & reliquis omnibus reluctatus eſt, qui potius rebellis, & ſuo ſenſui adſtrictus audiet.

At-

Digitized by Google

Atque hæc ſunt, quæ in utramque partem a graviſſimis viris diſputantur; quæ hic fuſius referre placuit, ut quivis intelligat, quid ea de re ſentiant etiam illi Theologi, qui cæteroquin Eccleſiæ Gallicanæ libertatem non ſpirant; qualis erat Duvalius, quamvis Pariſienſis Doctor, & in ejuſdem Eccleſiæ gremio enutritus.

ASSERTIO II.

Multitudo Epiſcoporum, Capiti ſuo Romano Pontifici adhærentium in cauſa fidei aberrare non poteſt, tametſi pauci e contra ſentiant ac reclament: neque paucorum illorum reſiſtentia dogmaticæ definitionis a Concilio Oecumenico factæ robur ac firmitatem infringit.

IV. Aſſertio hæc iisdem plane momentis firmari poteſt, quibus uſi ſumus hactenus ad aſſerendam Eccleſiæ ſeu per orbem diffuſæ, ſeu in Conciliis congregatæ infallibilitatem: ea proinde ſufficiet præſenti argumento adaptare, quæ fuſius antea demonſtrata ſunt.

Multitudo Epiſcoporum Capiti ſuo Romano Pontifici adhærentium, tametſi pauci quidam ab illa ſe ſeparent, non deſinit eſſe ipſum Eccleſiæ Catholicæ corpus, ac totius corporis moralis quædam unanimitas. Ergo eodem illo gaudet inerrantiæ privilegio, quod Eccleſiæ tam per orbem diffuſæ, quam in Conciliis congregatæ promiſſum eſſe diximus, nec paucorum reſiſtentia ipſi nocere poteſt. Ubi enim, quæſo, erit tunc Eccleſia, ſi non eſt in ea Epiſcoporum Capiti ſuo adhærentium multitudine? An in illis paucis, qui reluctantur, & reclamant? At quis in animum ſuum unquam induxerit, Chriſtum, poſtpoſita multitudine, paucis adeſſe, cum non uni aut alteri membro, ſed omnibus ſimul Epiſcopis, ſed toti moraliter corpori Eccleſiæ ſe adfuturum pollicitus fuerit.

Digitized by Google

Neque juvat dicere, paucos illos Epiſcopos, qui reſiſtunt, unam & eandem ſimul cum aliis Eccleſiam componere, a qua præciſi & ſeparati non ſunt. Contra namque eſt, quod licet externam illi cum Eccleſia unionem habeant, non tamen habent internam, quæ in conſenſione ejusdem fidei poſita eſt; & quamvis ab unitate & communione cum Romano Pontifice exterius non recedant, illam tamen interius & in animo non retinent, cum ſint ab illo ſenſu & doctrina disjuncti: proinde unitatem Eccleſiæ, quæ maxime conſiſtit in concordia fidei, & unitate cum Sede Apoſtolica tanquam Catholicæ communionis centro, violant illi numero pauci, qui latæ definitioni dogmaticæ (de qua hic unice eſt ſermo) reluctantur.

Præterea, communis hæc ſemper fuit ac recepta in omni Tribunali lex, ut ex plurali ſuffragiorum numero ſententia pronuntietur, cui omnes omnino ſtare & aquieſcere debeant, nemini reluctari liceat: in hac namque tanta, quæ inter homines eſt, ingeniorum & judiciorum diverſitate, fruſtra deſideramus perfectam omnium omnino, nullo excepto, ſuffragiorum conſenſionem. Si igitur audiantur qui repugnant; ſi expectetur eorum conſenſus, nec prius lata ſentententia vim legis aſſequatur, nulla unquam finietur controverſia, æternæ erunt & interminabiles diſcordiæ. Quod ſi in cæteris, quanto magis in Judicio & Tribunali Eccleſiaſtico id obſervare neceſſe eſt. Multitudo enim Epiſcoporum qui Romanum ſequuntur Pontificem, eandem ob cauſam ſufficienter repræſentant totum Corpus Eccleſiæ, cui ſuprema doctrinæ ac miniſterii authoritas concredita eſt, ac divinitus conceſſum inerrantiæ privilegium.

Ad hæc accedit conſtans ac perpetua praxis Eccleſiæ, & unanimis SS. Patrum doctrina, qui Hæreticis ſui temporis novitatem & paucitatem, tanquam certum erroris argumentum

Digitized by Google

tum objecere, atque judicio ſummi Pontificis, & Epiſcoporum ſibi adhærentium ſtandum eſſe declararunt. Inſtar omnium ſit teſtimonium S. Auguſtini, qui argumentum iſtud verſat ex profeſſo adverſus Donatiſtas, qui ſe numero paucos eſſe gloriabantur: *Ideo magis juſti ſumus*, inquiebant, *quia pauci ſumus: in paucis frequenter eſt veritas, errare multorum eſt.* Quibus lepide reſpondet S. Auguſtinus Lib. 2. Op. imperf. cap. 3. *Nolite gloriari de paucitate. Parricidæ & pauci & peſſimi ſunt.* Pluribus deinde Scripturæ teſtimoniis promiſſam illam Eccleſiæ diffuſionem demonſtrat; atque eo præſertim argumento Donatiſtas confutat, quod pauci ſint. *Tu laboras verbis tuis*, inquiebat ad Petilianum, ut *frumenta jam per totum agrum defeciſſe, & ad exiguam particulam veſtram remanſiſſe credantur, dum vis ut habeatur Chriſtus mendax, tu autem verax.* Et vero Decreta Eccleſiæ adverſus Arianos, Macedonianos, Novatianos, Neſtorianos, Eutychianos &c. firma ſemper & inconcuſſa permanſerunt, tametſi nonnulli Epiſcopi pertinacius illis reluctati fuerint.

Adde, ex uſu ac praxi Concilii Tridentini, aliorumque præcedentium, ea doctrinæ capita, de quibus multo major pars Epiſcoporum convenerat, rata ſemper ac fixa prævaluiſſe, tametſi nonnulli contradixiſſent. Narrat Pallavicinus lib. 18. Hiſt. Concil. Trident cap. 2. diu agitatam quæſtionem illam, an Chriſtus in ultima Cœna ſemetipſum in Sacrificium DEO Patri obtuliſſet; diviſa hinc & inde ſuffragia fuiſſe. *Quæ res*, inquit, *hunc exitum tulit. Cum initio complures repugnarent declarationi hujusce oblati - - - poſtremo contigit adverſus quam evenire ſolet in ſubtilioribus diſputationibus - - - - Etenim fere omnes in primam ſententiam* (nempe Chriſtum ſemet ipſum obtuliſſe) *abiere, etiam qui acerrime reſtiterant.* Particula *fere* aperte innuit, non omnes omnino Patres conſenſiſſe, ſed extitiſſe aliquos qui repugnarent. Et Petrus Suavis

vis Lib. 6. Hiſt. Conc. Trid. refert, Decretum de Miſſæ Sacrificio ac communione ſub utraque ſpecie, quod Imperator in ſuſpenſo manere poſtulabat, tandem ſuffragiorum pluralitate prævaluiſſe, tametſi qui repugnabant, aperte intercederent.

Pluralitas nempe ſuffragiorum, ut ſupra dictum eſt, juncta cum illius ſuffragio, qui judicio præeſt, ſufficit in omni Tribunali ad pronuntiandam ſententiam definitivam; ejusmodi pluralitas eſt quid fixum & determinatum, nullum cavillandi aut tergiverſandi locum litigantibus relinquens. Cur igitur non ſufficiat ad judicia Eccleſiaſtica etiam in fidei materia ferenda? Quin potius in his maxime locum habeat neceſſe eſt, ad proſcribendas videlicet eo promptius & facilius inſurgentes novitates, ad opprimendum os Novatoribus, qui nullum altercandi finem faciunt, ad dirimendas denique controverſias, ſedandas contentiones, quæ æternæ erunt ac interminabiles, ſi omnium omnino etiam paucorum illorum, qui pertinaciter repugnant, conſenſus expectetur.

Reſpondetur ad Argumenta contra primam Aſſertionem.

ARgumenta, quibus Conciliorum infallibilitatem impugnant Adverſarii, ex duplici potiſſimum fonte repetuntur, ex ipſa nimirum Conciliorum natura, & ex prætenſis eorum erratis.

Objectiones ex Conciliorum natura petitæ.

V. OBjiciunt inprimis, Epiſcopos, licet Concilio interſint ut judices, eſſe nihilominus errori obnoxios, ſingulosque eorum in ſuo privato ſuffragio errare poſſe; igitur etiam omnes ſimul: ex ſuffragiis enim errori obnoxiis non poteſt certo veritas elici. *Reſp.*

Digitized by Google

Reſp. Epiſcopos in Concilio congregatos homines quidem eſſe erroribus obnoxios, ſed præſidem habere & aſſiſtentem Spiritum Sanctum, qui juxta Chriſti promiſſiones nunquam permittet eos in errorem conſpirare. Quanquam ergo ſinguli ſeorſim in ſuo privato ſuffragio poſſint errare, non tamen ſimul omnes. Neque enim hic valet conſecutio a diſtributivo ſenſu ad collectivum; quia promiſſio infallibilitatis non ſingulis ſeorſim ac diſtributive, ſed omnibus ſimul & collective facta eſt, quatenus nimirum repræſentant univerſam Eccleſiam, cui Chriſtus promiſit ſe daturum Spiritum veritatis, qui ſuggerat ei omnia, & maneat cum ipſa in æternum.

Reponunt; dato, adeſſe divinum pactum & promiſſionem: at unde conſtat hanc eſſe abſolutam, & non potius conditionatam, id eſt, ſi qui componunt Concilium, omnem induſtriam adhibuerint in veritate perſcrutanda, ſi veritatis ſolius amore, ſine ullo perturbato animi affectu, formandis Decretis adlaboraverint, ſi a via mandatorum non receſſerint, verbo, ſi nomine Chriſti congregati fuerint, hoc enim pacto ſe in medio eorum futurum promiſit. At nulla profecto via id certo cognoſci poteſt: imo nec certi ſumus, an illi qui congregantur & dicuntur Epiſcopi, ſint vere baptizati, vere ordinati, num libera fuerint eorum ſuffragia, veram & ſinceram in corde fidem habuerint &c. quæ omnia requiruntur ad hoc ut Concilium legitimum ſit. Quamdiu autem incerta & dubia pendebit conditio ipſa Concilii, tamdiu nutabit ejus authoritas, ac dubius hærebit fidelium animus.

Reſp. Chriſti promiſſiones de Eccleſia ſua, & conſequenter etiam de Conciliis ab omni errore tuendis, eſſe abſolutas, & a nulla conditione pendentes, quia abſolute illi promiſit, Spiritum veritatis in ea manſurum in æternum. Si autem in Eccleſia manſurus eſt Spiritus veritatis in æternum,

manebit etiam in ejus Paſtoribus & Doctoribus, dum collecti eam repræſentant. Quamvis enim perverſis eſſent moribus, non deeſſet tamen ipſis propterea Spiritus Sanctus quantum ad gratias gratis datas, eſto non adeſſet quantum ad gratiam gratum facientem ſeu juſtificantem, quæ neceſſaria non eſt ad cogonoſcendam & prædicandam veritatem; quemadmodum neceſſaria non eſt ad hoc, ut ſacramenta conficiant, verique ſint Paſtores, niſi cum Donatiſtis, aliisque Hæreticis ſentire velimus.

Quod vero cætera attinet, a quibus Concilii vere Oecumenici atque legitimi conditio ac authoritas pendet, quæve nulla via nobis certo innoteſcere poſſe dicuntur; Reſpondet Melchior Canus Lib. 5. de Locis Theol. cap. 5. q. 3. *Deum ſuaviter omnia diſponere, ſimulque proſpicere & finem & media ad finem neceſſaria - - - - Cum ergo Eccleſiæ fidei firmitatem fuerit pollicitus, deeſſe non poteſt, quo minus tribuat Eccleſiæ preces, cæteraque præſidia, quibus hæc firmitas conſervatur - - - - Quodſi Hæreticis ſemel*, (pergit ibidem Canus,) *licentiam permittimus, ut in quæſtionem vocent, num Eccleſiæ Judices eam diligentiam & curam adhibuerint, qua opus erat, ut quæſtio finiretur: ecquis adeo cæcus eſt, qui non videat, omnia mox Pontificum & Conciliorum judicia labefactari?*

Sed clarius adhuc id exprimit Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 2. ubi docet, ex fide humana certiſſima dignoſci poſſe, legitimum eſſe aliquod Concilium; ſicut ex eadem fide humana cætera facta hiſtorica recipimus, quæ nemo cordatus in dubium revocare audeat. *Iis enim*, ait Bellarminus, *qui Concilio præſentes adſunt, evidens eſſe poteſt ſine alia probatione Concilium iſtud eſſe legitimum. Vident enim conveniſſe in unum Epiſcopos, qui habentur ab omnibus veri Epiſcopi, & conveniſſe ex variis provinciis, & vocatos ab eo qui habet authoritatem; & ſi quid aliud requiratur ad legitimum Concilium - - - Poſterius autem vel abſentibus id ipſum eſt notum ex humana fi-*

Digitized by Google

de, ſed certiſſima, & quæ evidentiæ naturali aliquo modo comparari poſſit.

Addit eodem capite *neceſſe non eſſe, ut ſciamus Epiſcopos, qui ad Concilium conveniunt, habere veram fidem, & veram ordinationem, ſed ſatis eſſe, ſi non conſtet contrarium. Nam etiamſi ſummus Pontifex, & omnes Epiſcopi eſſent corde Hæretici, & ſola externa profeſſione Catholici, nec vere accepiſſent ſacri Ordinis inviſibilem characterem; tamen certi ſumus, Deum nunquam permiſſurum, ut ejusmodi Concilium in Decretis ſuis formandis erraret: aſſiſtit enim Concilio Spiritus Sanctus, non tam propter ipſum Concilium, quam propter Eccleſiam univerſam, quæ divino præcepto tenetur Epiſcoporum ſententiam non diſcutere, ſed venerari. Itaque ne erraret Eccleſia univerſa, divina providentia fecit, ut etiam Concilium illud Epiſcoporum fictorum, vellet, nollet, veriſſimam fidem Eccleſiæ ſequendam proponeret.* Hæc Bellarminus, qui ibidem fatetur, impoſſibilem ſibi videri hanc hypotheſim: quia Deus, cui Eccleſiæ ſuæ ſalus curæ eſt, quique omnia ſuaviter diſponit, nuſquam permittet, ut in Concilio, quod ab Eccleſia legitimum creditur, conveniant Epiſcopi, aut omnes, aut pro majori parte non legitimi, aut non Catholici.

Ex qua purpurati hujus Theologi reſponſione id ſequi videtur, teneri nos eadem certitudine credere, Concilia Oecumenica legitima eſſe, & juxta præſcriptas a Chriſto leges ſua fidei decreta condidiſſe, qua credimus, ſuam ipſis opem & aſſiſtentiam promiſiſſe Chriſtum. Ex quo igitur Eccleſia per orbem diffuſa Concilium aliquod pro Oecumenico habet, ejusque definitiones recipit, hoc ipſum certiſſimum nobis eſt a poſteriori ſignum & argumentum Concilii legitime ſecundum Canonicas regulas celebrati.

VI. *Urgent* Adverſarii, ad eandem illam divinam providentiam pertinere, ut Eccleſiæ in Conciliis congregatæ ea omnia præſidia & media ſubminiſtrentur, quæ neceſſaria ſunt ad intentum finem obtinendum, ſeu ad eam, de qua hic agimus, infallibilitatem conſervandam, & ad uſum reducendam. Quodſi igitur, inquiunt, voluiſſet Chriſtus Epiſcopos, in Concilium Oecumenicum legitime vocatos, eſſe ſupremos & infallibiles judices controverſiarum fidei, debuiſſet fidem ſuam obligare, ut quoties legitime congregarentur pro cauſa fidei definienda, toties ab ipſis propulſaret Deus, quidquid poſſet eos a veri tramite abducere; & efficeret, ut nullis inordinatis animi affectibus agitati, nullo alio quam veritatis ſtudio & amore ducti, omnibus minis & pollicitationibus ſuperiores, infracto ſemper eſſent animo in tuenda veritate. Atqui tamen id non ſemper præſtitit Deus, ut frequentior Patrum lapſus, & nonnulli Conciliorum errores abunde demonſtrant.

Reſp. Chriſtum Epiſcopis legitime & in nomine ſuo congregatis conferre omnia gratiæ interioris adjumenta, quæ neceſſaria ſunt, ut ſuo ipſi munere rite fungantur. Sed cum omnia ſuaviter diſponat & moderetur, & humano modo rem in Conciliis perfici velit, Epiſcopos ſuo permittit arbitrio. Non enim via ſupernaturali aperta & manifeſta hic agit, ſed interiori duntaxat & occulta Spiritus ſubminiſtratione: unde Epiſcopos permittit, omnibus humanæ infirmitatis periculis obnoxios eſſe, metus ſcilicet, ambitionis, avaritiæ, cupiditatis &c. Neque ullibi promiſit Chriſtus, ſe a Conciliis ejusmodi pericula ſemper propulſaturum, quaſi humanitatem omnem exuant Epiſcopi, eo ipſo quod in Conciliis congregentur; ſed hoc unum pollicitus eſt, ſe ipſis adfuturum, quoties in nomine ſuo congregarentur; hoc eſt, ſervata ſuffragiorum libertate, & adhibita humana induſtria ac diligentia veri-

Digitized by Google

veritatem ſedulo inquirerent. Imo inde magis elucet divina virtus, quod a Viris tot infirmitatibus circumdatis veritas detegatur, ac ſtrenue defendatur. Lugendos nonnunquam plurium Epiſcoporum lapſus contigiſſe non diffitemur, quos nempe juſto quanquam occulto judicio permiſit quidem Deus; at nunquam permiſſurus eſt, univerſam Eccleſiam aut Concilium vere Oecumenicum errori conſentire: quin potius faciet, quod re ipſa contigit tempore Ariminenſis Concilii, ut vel Epiſcopi, ſi quos in errorem labi contingeret, cito reſipiſcant, vel Eccleſia univerſa errori ſeſe ſtatim opponat, retenta avita & vera Religione.

VII. *Inſtant*: ſi Concilium eo ipſo errare non poſſet, quod Oecumenicum ſit, non indigeret ulteriore Eccleſiarum conſenſu & acceptatione. Atqui tamen ea indiget, nec prius robur ac firmitatem obtinet, quam illa acceſſerit: patet id exemplo Concilii generalis V. quod quamvis a Vigilio Papa fuiſſet confirmatum, ejus tamen definitio a pluribus Occidentis Eccleſiis, præſertim a Gallicana, recepta non fuit, quin propterea communione Eccleſiaſtica privatæ fuerint Eccleſiæ iſtæ. Neque prius Concilium illud Oecumenici authoritatem obtinuit, quam acceptatum fuerit ab univerſis Eccleſiis. Tridentinum ipſum Oecumenicorum poſtremum, non tantum a Græca, ſed ne quidem a multis Occidentis Eccleſiis receptum fuit; imo apud quosdam ne quidem publicatum ac promulgatum.

Reſp. Conſenſum & acceptationem Eccleſiarum ſignum dumtaxat eſſe & argumentum velut a poſteriori, quo declaratur Concilium vere Oecumenicum ac legitimum fuiſſe, ac ut tale ab omnibus agnoſcendum & admittendum; non autem requiri ad conciliandam Synodo inconcuſſam authoritatem, ſi vere Oecumenica & legitima fuit; id enim habet a Chriſto ante omnem Eccleſiarum acceptationem. Quapropter ſi plures ac nobilio-

liores aliquæ Eccleſiæ reſiſterent, & Concilii placitis ſubſcribere recuſarent, ut contigit tempore Concilii V. indicium foret, tale Concilium non eſſe vere Oecumenicum, nec ejus Decretis prius teneri omnes & ſingulos fideles, quam ab univerſa Eccleſia pro Oecumenico habitum fuiſſet; id quod patet ex ipſo hoc, quod objicitur Concilii V. exemplo, cujus definitionibus, illæſa fide, obluctatæ ſunt multæ Eccleſiæ, non ex dubio juris, ſed facti, id eſt, non quod dubitaverint, de infallibili auctoritate Concilii vere Oecumenici, ſed quod dubitaverint, an Concilium illud vere fuerit Oecumenicum: donec tandem, accedente eidem per decretalem Epiſtolam Vigilio Papa, cognitaque & recepta hujus Synodi auctoritate, licitum amplius non fuit ipſi reſiſtere. Tridentinum quod attinet, in fidei definitionibus ab omnibus Eccleſiis Orthodoxis admiſſum fuit; & in iis tantum diſciplinæ particularis capitibus a quibusdam non eſt receptum, quæ aut temporalem adminiſtrationem ſpectant, aut jura & patrias quasdam conſuetudines lædere videbantur. In his enim non videtur ſynodalibus Decretis vis obligandi abſoluta convenire, ex ipſa Concilii auctoritate: quia unicuique Eccleſiæ ſua jura, uſus, conſuetudines, privilegia, immunitates ſervari debent, nec iis præjudicatum quidquam volunt Concilia Oecumenica, cum non pugnant contra communem fidem aut Eccleſiæ totius commodum & utilitatem.

VIII. Denique iis omnibus, quæ objecta ſunt hactenus, adjiciunt Adverſarii quædam Patrum teſtimonia; & inprimis Gregorii Nazianzeni, qui epiſt. ad Procopium hæc habet: *Ego, ſi vera ſcribere oportet, hoc animo ſum, ut omnem Epiſcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem lætum & fauſtum vidi.* Deinde S. Auguſtini, qui Lib. 2. alias 3. contra Maximinum cap. 14. ait: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicaturus proferre Concilium:*

nec

nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Non agnoſcebat igitur S. Auguſtinus ſupremam & infallibilem fuiſſe Concilii Nicæni auctoritatem, qua non teneri Maximinum aſſeverat. Et lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 5. idem S. Doctor aſſerit, *Concilia plenaria priora a poſterioribus emendari poſſe.* Quod emendari poteſt, ſupponitur eſſe errori obnoxium. Demum S. Leonis, qui epiſt. 53. ad Anatolium, & 54. ad Marcianum, & 55. ad Pulcheriam agnoſcit Chalcedonenſem Synodum legitimam fuiſſe, & tamen non dubitat ei ambitionis & inconſultæ temeritatis notam inurere.

Reſp. S. Gregorium non loqui de quibuscunque Conciliis, ſed de iis, quæ tempore intermedio inter Concilium primum & ſecundum generale plurima celebrata ſunt, quæ Hæreticis Arianis favebant, & quorum proinde non fauſtum fuiſſe exitum quæritur S. Doctor, qualia fuere Seleucienſe, Tirienſe, Ariminenſe, Mediolanenſe, Syrmienſe &c. Vocatus igitur a Procopio nomine Imperatoris ad aliquod non abſimile Concilium, excuſat ſe, atque obtendit, tum infirmam ſuam valetudinem, tum receſſus amorem, tum contentionem & rixas Epiſcoporum inter ſe, tum denique infelicem Conciliorum, quæ ipſe eo uſque viderat, finem. Viderat autem duntaxat Concilia particularia, in quibus factio Ariana prævaluerat; de iis ergo ſolis loquitur, non de Oecumenicis & & legitimis: ipſe etenim Nicænum I. ſummis laudibus commendavit Orat. 21. & Conſtantinopolitani II. pars magna fuit.

Auguſtinus priore loco argumentatur non abſolute, ſed ex ſuppoſitione Maximini, qui utpote Arianus Concilii Nicæni authoritati nil deferebat; e contra autem Auguſtinus Ariminenſe, quod Maximinus probabat, execrabatur. Cum ergo ex Conciliis, quæ alteruter non admittebat, nihil concludi poſſet, prudenter ait: Nec a ſe Nicænum, nec a Maximino Ariminenſe proferri debere, ſed rem ex Scripturis conficiendam

Digitized by Google

dam eſſe. Altero vero loco Auguſtinus, vel non intelligit Concilium generale, ſed Nationale aut Provinciale, vel loquitur de generali quidem ſed illegitimo, quod per ſubſequens legitimum emendari poteſt; quemadmodum Epheſinum ſecundum fuit, per ſubſequens Chalcedonenſe legitimum, emendatum: vel certe dicit emendari poſſe, non in rebus ad fidem & mores pertinentibus, ſed ſolum in iis, quæ ſunt facti tantum, aut meræ diſciplinæ. Et ratio eſt, quia docet, emendationem, de qua agit, tunc per Concilia poſteriora fieri, quando experimento aliquo aperitur, quod clauſum fuerat: id vero locum habet tantum in rebus facti, aut meræ diſciplinæ; non vero in rebus fidei & morum, circa quas experimentum locum habere non poteſt.

Denique S. Leo in Concilio Chalcedonenſi damnat ambitionis & inconſultæ temeritatis Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanorum, cujus fraude & ambitione promotus fuerat Canon. 27. repugnantibus Pontificiis Legatis, eo quod Canon ille falſa quædam & Sedi Apoſtolicæ injurioſa contineret. Quare in hac parte Concilium nullum robur & authoritatem obtinuit.

Objectiones ex prætenſis Conciliorum erratis.

IX. OBjiciunt *1mo.* Concilium Epheſinum II. quod fuit Oecumenicum: nam convocatum fuerat ex conſenſu Romani Pontificis, illi adfuerunt ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati; ad ipſum confluxerant omnes Orientis provinciæ. Atqui Concilium iſtud erravit, probando nimirum impium Eutychetis dogma, de una in Chriſto natura.

2do. Concilium Ariminenſe, quod anno 359. habitum eſt, fuit pariter generale; tum quia ipſi aderant 600. Epiſcopi, tum quia ejus veluti pars erat Concilium Seleucienſe, quod eodem tempore & eadem cauſa in Oriente celebrabatur

tur

tur. Atqui hæc quoque Synodus erravit: nam ſuppreſſit in Symbolo vocem ὁμοούσιον, *conſubſtantialis*, quam Nicæna Synodus contra Arianos inſeruerat. Unde Hieronymus adverſus Luciferianos ait, per Concilium illud Arianiſmum fuiſſe invectum in totum Orbem: *Tunc*, inquit, *Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt*, *ingemuit totus orbis*, *& Arianum ſe eſſe miratus eſt*. Præterea Epiſcopi, qui ſubſcripſerant Decreto Synodi, præmiſſa facti pœnitentia, ſuis fuere ſedibus reſtituti; quod ſignum eſt, eos ſubſcribendo erraſſe.

3*tio*. Anno 730. & 755. in duobus Conciliis Conſtanſtantinopoli habitis rejectus fuit cultus Imaginum, quem tamen Concilium ſeptimum Oecumenicum, quod fuit Nicænum II. probat, & pium eſſe definit. Imo Concilium Francofordienſe an. 794. plane damnat Decretum de colendis Imaginibus in Nicæno latum.

4*to*. Anno 692. Conſtantinopoli in Palatio Imperatoris, quod Trullum dicebatur, celebratum eſt numeroſum Concilium vulgo dictum Quiniſextum, quod nempe ſit in ſupplementum quinti & ſexti Concilii Oecumenici, vel Trullanum a loco ubi celebratum fuit. In hoc Concilio plurimi editi ſunt Canones, quos Romana Eccleſia improbavit ac rejecit. Quis porro hæc omnia facile componat cum ſuprema illa & infallibili authoritate, quæ Conciliis Oecumenicis affingitur?

Reſp. Supremam & infallibilem authoritatem non affingi, ſed vi promiſſionum divinarum jure meritoque vindicari Conciliis, quæ vere legitima & Oecumenica ſunt. Hinc

Ad 1*mum* dicimus, Concilium Epheſinum II. fuiſſe quidem Convocatione Oecumenicum, non tamen congregatione & exitu ſeu eventu. Quia omnia in eo ſunt acta contra ordinem, per fas & nefas, ſpretisque æquitatis legibus. Inprimis enim Dioſcorus contra Canones a Theodoſio juniore

Digitized by Google

præſidentiam extorſerat. Deinde vetuit, ne Flavianus, qui Eutychen Conſtantinopoli damnaverat, ſuffragium ferret: Legatos quoque ſummi Pontificis fugavit. Inſuper Epiſcopi, qui eidem Concilio interfuere, aſſeruerunt poſtea in Synodo Chalcedonenſi, ſe vim paſſos fuiſſe a militibus, qui Baſilicam, in qua celebrabatur Concilium, occupaverant. Alia præterea multa in eo contra ordinem geſta narrant Hiſtorici. Unde merito Concilium iſtud vocatum eſt *Latrocinium*, & non ſolum a Romano Pontifice reprobatum fuit, ſed etiam poſtea rejectum ac proſcriptum a Concilio Chalcedonenſi.

Ad 2*dum* reſpondemus, mirum videri, Adverſarios ex Concilio Ariminenſi hic ſumere argumentum, cum illud pro Concilio legitimo & vere Oecumenico nunquam habitum fuerit. Cæterum quamdiu liberum erat, conſtat ab eo retentam fidem Nicænam, ac vocem ὁμοούσιον; deinde vero quæ in eo reprehenduntur, Arianorum vi, fraudibusque ac dolis extorta fuiſſe ab Epiſcopis, ut poſtea pluribus oſtendemus.

Ad 3*tium*: Duo illa Conſtantinopoli celebrata Concilia adverſus ſacras Imagines, nuſquam a Catholicis pro veris & Oecumenicis, imo potius pro ſpuriis ac reprobatis habita ſunt, & a ſeptimo Generali expreſſe damnata. Francofordienſis vero Synodus, quamvis eidem interfuerint Legati Pontificis, generalis non fuit, ſed particularis tantum; cum nullus Orientalium Epiſcoporum vocatus fuerit: quæcunque igitur fuit ipſius ſententia, ad rem præſentem non attinet. Quanquam errore duntaxat facti, ut ajunt, non juris laboravit iſta Synodus: putabat enim, Nicænos Patres ſacris Imaginibus cultum abſolutum Latriæ aſſeruiſſe, qualis Deificæ Trinitati tribuitur; cum tamen ſolum cultum religioſum & quidem relativum Patres illi decreverint, ut ex profeſſo demonſtrant Theologi, ubi de cultu Imaginum. Occaſionem autem erro-

rori dediſſe videtur mendoſum quoddam Nicænæ Synodi ſcriptum, quod Francofordienſes Patres præ manibus habebant.

At, *inquies*, inde ſaltem ſequi, Francofordienſes non agnoviſſe in Oecumenicis Conciliis eam infallibilitatem, quam nos hic propugnamus; ſiquidem perſuaſum habuerunt, decretam fuiſſe ſacris Imaginibus a ſeptima generali Synodo ſupremam latriæ adorationem.

Reſp. Ignoraſſe tunc temporis Francofordienſes Patres, an vere Oecumenica fuerit, & ab Adriano Pontifice probata & confirmata ſeptima Synodus. Propterea ad illum recurrerunt, reſponſum ab eo petentes ad objectiones, quas ipſi propoſuerant contra eum Imaginum cultum, quem errore facti putabant a Nicæna Synodo decretum fuiſſe: quo accepto, germanoque Synodi illius ſenſu, circa ſæpe dictum Imaginum cultum, intellecto, omnes Occidentales Eccleſiæ pro Oecumenica illam receperunt, ejusque definitionibus ſubſcripſerunt.

Ad 4*tum*: Synodus Trullana nuſquam ab Eccleſia Romana probata & recepta fuit tanquam vere Oecumenica; imo potius improbata & rejecta, ut teſtantur Scriptores Eccleſiaſtici. Nonnullos quidem ipſius Canones recepit Eccleſia Latina, quod ſuis moribus congruerent, ſed non omnes. Inde eſt, quod Bellarminus de Concil. lib. 1. cap. 7. Concilium Quiniſextum recenſet inter ea, quæ partim confirmata fuere, partim reprobata. Vide quæ de eodem Concilio habet idem Scriptor ibid. lib. 2. cap. 8. & lib. 2. de Roman. Pontifice cap. 18. Item Melchior Canus lib. 5. de locis Theol. cap. ultimo; apud quos etiam reperies a pluribus ejusmodi aliis prætenſis erratis, quæ ab Hæreticis coacervantur, Concilia Oecumenica ſolide ac copioſe vindicata.

Digitized by Google

Reſpondetur ad argumenta contra ſecundam Aſſertionem.

UT Novatores efficiant, Eccleſiam, ſeu majorem Epiſcoporum partem una cum ſummo Pontifice, ſive in Concilio generali, ſive extra illud, errare ac deficere, & in paucis conſervari poſſe,

X. *Objiciunt 1mo.* Defenſionem veritatis non eſſe ſemper multitudini alligatam, quin potius ſæpius a vero & recto tramite multitudinem aberrare. Hinc Exodi 23. v. 2. dicitur: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum aquieſces ſententiæ, ut a vero devies.*

Quod confirmant authoritate S. Athanaſii, qui Tractatu adverſus eos, qui ex ſola multitudine veritatem dijudicant, *Quomodo*, inquit, *non miſerandi illi, qui vim, authoritatemque doctrinæ ſola multitudine metiuntur; nec conſiderant Dominum noſtrum Chriſtum duodecim Diſcipulos, ſimplices, illiteratos, pauperes, ignaros, fiducia adverſus mundum totum gratis muniviſſe? ſic illos inſtruens, non ut duodecim illi myriades ſequerentur, ſed myriades duodecim illos ſequi vellent. Ita ſemper vincit veritas, quantumvis apud paucos inveniatur. Multitudo ſua auctoritate ſine demonſtrationibus comprobans, eſt illa quidem idonea ad incutiendum metum; ſed ad perſuadendum nullo modo &c.*

Reſp. Inepte prorſus iſtud ab Adverſariis hic opponi, cum nemo non intelligat, de qua multitudine in eo Scripturæ loco ſit ſermo; non alia ſane, quam hominum mendacium ac impiorum, ut vel ex ipſis verbis, quæ objectum verſum immediate antecedunt, ſit manifeſtum: *Non ſuſcipies vocem mendacii; nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falſum teſtimonium: non ſequeris turbam &c.* Quis ſane mentis ejusmodi hominum turbam ac multitudinem ſequendam eſſe unquam

quam dixerit ? Eorum multitudini in rebus ad fidem ac mores pertinentibus adhærere jubemur, *quos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, quæ *terribilis eſt ut caſtrorum acies ordinata ;* quam *qui non audierit*, *tanquam Ethnicus & Publicanus* haberi debet. Eos ſequi nos oportet, de quibus dixit Chriſtus, *qui vos audit*, *me audit ;* quos miſit ut docerent & baptizarent: *Euntes docete omnes gentes &c.*

Ad confirmationem dico, Tractatum illum, quem ſub nomine Athanaſiii proferunt recentiores quidam ex Adverſariis, non eſſe Athanaſii, ſed Eutherii Tyanenſis Epiſcopi, Neſtoriique aſſeclæ. Photius Codice 46. opus iſtud Theodoreto adſcribit; de quo legendum eſt monitum Auctorum novæ Editionis S. Athanaſii T. 2. p. 540. Sed quisquis demum ſit Auctor ille, non immerito reprehendit eos, qui univerſim & indiſcrete ex quacunque hominum multitudine veritatem metiuntur, quorum certe non levis eſt error: at ex multitudine bene ordinata æſtimandam eſſe veritatem ipſe ille Auctor agnoſcit: *Cæterum*, inquit verſus finem, *mihi nihilominus veneranda multitudo*, *non illa quæ diſquiſitionem fugit*, *ſed quæ probationem adfert ; non quæ acerbe pugnat*, *ſed quæ paterne corrigit ; non quæ gaudet novitate*, *ſed paternam ſervat hæreditatem.*

Ubi præterea obſerva, nos infallibilitatem Eccleſiæ non ponere in pluralitate Epiſcoporum præciſe ſumpta ; ſed in pluralitate Epiſcoporum, Romano Pontifici tanquam Capiti ſuo conjuncta, eique conſentiente, a quo nempe vis & authoritas derivatur in corpus Paſtorale Eccleſiæ, ſeu in Conciliis congregatum, ſeu per orbem diſperſum; adeo, ut ſi diſcordes ſint inter ſe Epiſcopi, ei parti adhærere oporteat, pro qua ſtat Romanus Pontifex. *Pondus Concilii dat ſummi Pontificis gravitas & auctoritas*, inquit Melchior Canus lib. 5. de auctoritate Conc. *quæ ſi adſit*, *centum Patres ſatis ſunt; ſin deſit*, *nulli ſunt ſatis*, *ſint quamlibet plurimi.*

Igitur, inquies, poterit ſummus Pontifex omnium omnino Epiſcoporum judiciis refragari, & ipſe contra omnes aliquid definire.

Reſpondet ibidem Canus: *Si major pars Patrum vere ſentiat, ſummus Eccleſiæ Pontifex non repugnabit: id enim ad peculiarem Chriſti procurationem pertinet, ſemperque pertinuit, ne Eccleſia in factiones duas dividatur; nec Romanus Epiſcopus contra Patres Concilii vere ſentientes unquam dixit.*

XI. *Objiciunt 2do*, factum Concilii Ariminenſis & Seleucienſis, atque ex eo evincere contendunt, non ſolum Patres utriusque Synodi una cum Liberio Papa revera in hæreſim Arianam lapſos; verum etiam longe plures numero fuiſſe aliis omnibus Epiſcopis per orbem diſperſis; ita ut dictu verum ſit, multo majorem Epiſcoporum numerum una cum ſummo Pontifice, paucis admodum exceptis, a fide aberraſſe.

Quo objectioni huic plenius ſatisfiat, rei totius, ut peracta eſt, ſeries compendio recenſenda videtur. Ariani a Conſtantio Imperatore impetrarunt, Nicææ generalem convocari Synodum, haud dubie, ut nominis ſimilitudine decepti fideles, arbitrarentur formulam fidei, quam meditabantur, hanc ipſam eſſe, quæ in primo Concilio Nicæno an. 325. condita fuerat. Verum Concilium nequaquam Nicææ, uti ſtatutum fuerat, celebratum eſt; ſed Occidentales Epiſcopi Arimini in Italia, Orientales vero Seleuciæ convenire juſſi ſunt. Itaque an. 359. habita eſt Synodus Ariminenſis, in qua Epiſcopi plures quadringentis; & Seleucienſis, in qua circiter centum ſexaginta interfuere. Arimini inter alios aderant Valens & Urſacius Epiſcopi Ariani: hi primum poſtularunt, ut antiquatis omnibus fidei formulis ante ea confectis, tertia formula Sirmienſis juxta Imperatoris votum approbaretur. Verum cum auctores hujus formulæ vo-

ces

Digitized by Google

ces *ſubſtantiæ* & *conſubſtantialis* de induſtria ſuppreſſiſſent, ut fidem Nicænam everterent, comperta Hæreticorum fraude, formulam hanc rejecerunt omnes Epiſcopi Catholici, & in ſolo Symbolo Nicæno ſtandum eſſe unanimi conſenſu definierunt; Valentem inſuper, Urſacium, cæterosque Arianos fidei Nicænæ ſubſcribere renuentes depoſuerunt. His peractis, decem Legati nomine Concilii ab Epiſcopis Catholicis, & totidem ab Arianis ad Imperatorem mittuntur; ſed Ariani Catholicos prævertentes, Imperatoris animum ita occupant falſis relationibus, & ita exaſperant adverſus Patres Concilii, qui novam fidei formulam rejecerant, ut ne in conſpectum ſuum eorum Legatos admitteret. Hinc factum, ut iſti diuturna expectatione fatigati, miſeriis & calamitatibus oppreſſi, tandem violentiæ ceſſerint, vocem *conſubſtantialis* ſupprimi conſenſerint, & Arianis communione juncti, ſubſcripſerint formulæ ſibi ab illis oblatæ. Legatorum exemplum paulo poſt ſecuti ſunt Patres Ariminenſes: nam & ii partim diuturnæ ab Eccleſiis ſuis abſentiæ tædio, partim contumeliis & ærumnis fracti, Hæreticorum inſuper, præſertim Valentis, qui ſe Arianos nequaquam eſſe ſimulabant, & palam conteſtabantur, fraudibus circumventi, eandem formulam, quam ut hæreticam initio rejecerant, approbarunt, ſummo Eccleſiæ totius luctu ac ſcandalo.

Qui vero Seleuciæ congregati erant Epiſcopi, in tres factiones diviſi fuere. Prima & numeroſior erat centum & quinque Epiſcoporum, qui, referente S. Athanaſio lib. de Synodis n. 12. & Socrate lib. 2. Hiſt. c. 39. omnia Nicænæ Synodi ſcripta ſuſcipiebant, præter ſolam *conſubſtantialis* vocem, quæ ipſis obſcura & ſuſpecta videbatur. Altera factio erat Epiſcoporum Arianorum, numero triginta quatuor juxta Socratem loco cit. vel triginta ſeptem juxta Sozomenum lib. 4. Hiſt. cap. 22. Tertia denique pars erat paucorum

rum

rum Ægyptiorum, qui cum S. Hilario Pictavienſi pro voce *conſubſtantialis* retinenda acriter & conſtanter decertarunt. Præmiſſa compendioſa hac facti expoſitione.

XII. *Reſp. ad Objectionem 1mo.* Patres Ariminenſes in Arianam hæreſim intus & animo lapſi non ſunt. Etenim lapſi fuiſſent; vel quod ſubſcripſerint formulæ ſibi ab Arianis oblatæ, in qua Filius præciſe dicebatur ſimilisPatri ſecundum Scripturas, & *conſubſtantialis* vocabulum ſuppreſſum erat; vel quia Valentem, & alios qui aderant Epiſcopos Arianos in ſuam communionem receperunt. Sed ex neutro capite dici poſſunt in hæreſim incidiſſe. Quamvis enim illa fidei profeſſio ab Urſacio & Valente oblata hæretica foret, ſi conſideretur auctorum ſenſus & conſilium, attamen ſpectatis præciſe verbis, quibus concepta erat, nihil continebat niſi ſanum & orthodoxum, ut probat S. Hieronymus Dial. adverſus Luciferianos, & ut cuilibet illam attentius expendenti patebit. Hic nempe illius erat tenor, quantum attinet ad Verbi Divinitatem: *Credimus in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia ſæcula, & ante omnium principium natus eſt ex Deo; natum unigenitum ſolum ex ſolo Patre, Deum ex Deo, ſimilem Genitori ſuo Patri ſecundum Scripturas &c.* Quæ ſane verba Catholicam de æternitate & divinitate Verbi fidem exprimunt. *Quid eſt natum?* inquiebat Hieronymus, *Certe non factum. Nativitas ſuſpicionem auferebat creaturæ - - - ſonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum inſertum putabat.* Et paulo ante: *ſuperficies expoſitionis nihil ſacrilegum præferebat.* Cum igitur Patres Ariminenſes oblatæ ſibi fidei expoſitioni ſubſcripſerunt, nihil in ea fraudis & doli latere ſuſpicabantur; ſed putabant ejus auctores, ut illi aperte conteſtabantur, ab Ariana impietate prorſus alienos eſſe: unde hanc formulam ſimpliciore quidem, at bono animo receperunt in ſenſu Catholico intellectam, idque amore con-

Digitized by Google

concordiæ, ut Oriens & Occidens communionis vinculo ſibi conjungerentur. Nec obſtat, quod conſenſerint ſuppreſſioni vocis *uſiæ*. Namque exiſtimabant fidem aliunde in tuto eſſe, nec iſtud vocabulum, quod in Scripturis non exſtat, ad fidem conſervandam abſolute eſſe neceſſarium. *De uſiæ nomine abjiciendo*, ait ibidem S. Hieronymus, *veriſimilis ratio præbebatur. Quia in Scripturis ajebant non invenitur, & multos ſimpliciores novitate ſua ſcandalizat. Placuit auferri. Non erat curæ Epiſcopis de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto.* Hac fuiſſe mente Patres Ariminenſes, vel inde ſufficienter colligitur, quod non prius formulæ ſubſcripſerint, niſi poſtquam ab omnibus, etiam ab ipſo Valente & Urſacio publice in templo Ariana hæreſis, dicto in ſingula ejus capita anathemate, damnata & abjurata eſt; ut hoc facto omnis ſuſpicio fraudis in expoſitione fidei conſcribenda adhibitæ tolleretur. Rem totam narrat ex Actis ipſiusmet Concilii S. Hieronymus eodem loco; ac demum ſubdit: *His ita geſtis, Concilium ſolvitur. Læti omnes ad Provincias revertuntur.*

Sed dolus diu non latuit: diſſoluta namque Synodo, & omnibus Epiſcopis ad ſuas Eccleſias reverſis, cœperunt Valens & Urſacius, cæterique nefariæ impietatis ſocii rumorem circumquaque ſpargere, ſe Filium creaturam non negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis, jactantes *uſiæ* nomen tandem abolitum eſſe, & Occidentis Epiſcopos ſecum de fide conſentire; ſic ut ingemiſceret totus orbis, ſeque quamvis nihil tale ſuſpicantem, imo & ab Ariana impietate abhorrentem, occulta veluti quadam vi Arianum factum miraretur. Ad hos Arianorum triumphos oculos aperuerunt Ariminenſes Epiſcopi, atque ut promptum tanto malo remedium adhiberent, errorem ac nimiam ſimplicitatem ſuam palam confeſſi, priſtinam ſubſcriptionem revocarunt, & Arianorum blaſphemias, quæque ab ipſis partim vi, partim fraude extorta fuerant, dete-

ſtati ſunt. *Concurrebant Epiſcopi*, pergit S. Hieronymus, *qui Ariminenſibus dolis irretiti, ſine conſcientia hæretici ferebantur, conteſtantes Corpus Domini, & quidquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos. Putavimus, ajebant, ſenſum congruere cum verbis; nec in Eccleſia Dei, ubi ſimplicitas, ubi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis exiſtimatio. Non ſumus arbitrati Sacerdotes Chriſti adverſus Chriſtum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis ſtudio prætereo, flentes aſſerebant, parati & ſubſcriptionem priſtinam, & omnes Arianorum blaſphemias condemnare.* Vel iſtud ſolum S. Doctoris teſtimonium abunde ſufficeret ad vindicandos ab omni hæreſeos labe Patres Ariminenſes.

Neque obſtat alter ejusdem locus, quo dicit, *tunc Uſiæ nomen abolitum eſſe; tunc Nicænæ fidei damnationem conclamatam eſſe; ingemuiſſe totum orbem &c.* Hæc enim ipſa Hieronymi verba ſatis arguunt mentem Ariminenſium Præſulum: non enim ingemuiſſent, nec ſe factos Arianos mirati eſſent, ſi revera errorem animo conceptum habuiſſent. Mirati ergo ſunt, quod id præter mentem, voluntatem, ac conſcientiam ſuam factum eſſet, ut Ariano errori verbis fallentibus involuto, ſimplici quidem, ſed bono animo ſubſcripſerint. Et vero ſi re ipſa exiſtimaſſet Hieronymus, Epiſcopos Ariminenſes animo & corde impietati Arianæ conſenſiſſe, ut quid eos ab errore purgaret & vindicaret? ut quid indulgendum ipſis cenſeret? Non alia certe de cauſa, quam quod ſciret eos communione dumtaxat externa, non interna fidei conſenſione cum Arianis junctos fuiſſe. Conclamatam autem intelligit fidem Nicænam ab Arianis, non vero ab illis Epiſcopis Ariminenſibus; niſi forſan hoc ſenſu, quod ex ſupreſſa voce *conſubſtantialis* ipſi Ariani maligne jactaverint ab illis Epiſcopis abolitam quoque fuiſſe Nicænam fidem.

Non

Non etiam obſtat, quod Liberius Papa epiſt. 13. ad Orientales dicat, *Epiſcopos*, qui Ariminum convenerant, *a fide deſciviſſe:* S. Hilarius in fragm. 8. *prævaricatos eſſe a vera fide*: S. Ambroſius in cap. 6. Luc. L. 5. *perfidæ prævaricationis auctores:* Auguſtinus epiſt. 185. *eos veneno periiſſe Ariano.*

Qui namque nimium creduli, & in fraudibus hæreticorum detegendis parum exercitati decipi ſe permittunt, atque iis communione junguntur, & ſubdolæ ac ambiguæ fidei profeſſioni ab hæreticis contextæ ſubſcribunt, ii quamvis Catholicam veritatem interiore conſcientia teneant, nihilominus hæretici præſumuntur, & quodammodo dici poſſunt *a fide defeciſſe*, *prævaricati eſſe &c.* Tales fuere Epiſcopi Ariminenſes. Neque aliud de iis intellexerunt citati Patres. Quod adeo verum eſt, ut cum Lucifer Caralitanus, vir acris ingenii ac zeli ferventioris, Ariminenſes Epiſcopos Eccleſiæ communione & ſedibus ſuis juxta Canones pellendos contenderet propter perfidiam, cæteri omnes obluctati fuerint Orientales & Occidentales Epiſcopi, communique decreto ſancitum ſit, eos in honoribus ſuis ſuſcipi oportere, quod nunquam illi vere hæreſim fuiſſent amplexati. *Cur damnaſſent eos, qui Ariani non erant? Cur Eccleſiam ſcinderent in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obſtinatione ſua facerent Arianos?* reſpondebat Hieronymus Luciferianis conquerentibus de Catholicis, quod dictos Epiſcopos in priſtinas ſedes recepiſſent.

XIII. *Reſp. 2do.* Dato, non conceſſo, Ariminenſes Patres in Arianam hæreſim lapſos eſſe, ii tamen numero longe inferiores fuerun taliis Epiſcopis, tunc temporis per orbem diffuſis, qui fidei Nicænæ conſtanter ſemper adhæſerunt.

Etenim Concilio Ariminenſi interſuere Epiſcopi 400. & aliquanto plures; in Seleucenſi vero circiter 150. At eo

Digitized by Google

tempore plura erant in Eccleſia Epiſcoporum millia. Quia vel in una Africa, quæ pars ſolum erat Eccleſiæ Occidentalis, numeratæ ſunt ſedes Epiſcopales Catholicorum 486. ex parte vero Donatiſtarum, 379. ut conſtat ex Breviculo Collationis cum Donatiſtis apud S. Auguſtinum cap. 14. Unde facile eſt colligere, quot extitiſſe neceſſe ſit in cæteris Orbis univerſi Regionibus, quibus lux Evangelica affulſerat. Imo jam ab eo tempore, quo Donatiſtarum ſchiſma exortum eſt, plura extitiſſe Epiſcoporum millia, a quibus Cypriani & Donatiſtarum error damnatus fuerat, teſtatur Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 3. n. 3. ubi ſic loquitur & urget Donatiſtas: *Proinde ſi omnino jam credendum ſit, quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afſris vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto orbe diſplicuit, cur non potius &c.* Eum autem Epiſcoporum numerum ab exordio ſchiſmatis Donatiſtarum uſque ad tempus Concilii Ariminenſis ſub Conſtantino Imperatore Chriſtianiſſimo, & filio ejus Conſtantio, qui quamvis faveret Arianis, Chriſtiano tamen nomini amiciſſimus erat, imminutum non fuiſſe, ſed potius auctum, par eſt credere. Certe anno 431. hoc eſt ab Ariminenſi & Seleucienſi Synodo ſeptuageſimo primo, Epiſcoporum numerum ad ſex millia creviſſe, conſtat ex Reſcripto Epiſcoporum Conſtantinopoli inventorum ad Commonitorium ſanctæ Synodi Epheſinæ, in quo Reſcripto Theodoſium Imperatorem ita interpellat S. Dalmatius Tom. 3. Conc. 755. *Sex millia ne Epiſcoporum audire mavis, an unum hominem, eumqe impium?*

Porro ingentem hunc Epiſcoporum numerum, eorumque Eccleſias a Nicæna fide nunquam defeciſſe, paucis exceptis Arianis, teſtis eſt S. Athanaſius in epiſtola, quam ſcripſit anno circiter 363. hoc eſt duobus annis poſt Concilium Arimi-

nen-

nenſe, ad Jovianum Imperatorem: *Scito*, inquiebat, *Religioſiſſime Auguſte --- hanc ipſam fidem --- ſuffragio ſuo comprobare univerſas totius orbis Eccleſias, nempe Hiſpaniæ, Brittaniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Miſniæ, Macedoniæ, Græciæque, & Africæ univerſæ, nec non Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Iſauriæ, Ægypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, vicinas quoque nobis, nec non Orientis Eccleſias, paucis exceptis, qui Arii hæreſim ſequuntur. Quæ enim ſit omnium illarum Eccleſiarum ſententia, & experientia novimus, & earum habemus litteras. Nec te fugit, piiſſime Auguſte, tametſi pauci quidam huic fidei adverſantur, præjudicium tamen facere non poſſe; quippe cum orbis univerſus Apoſtolicam fidem retineat.*

Hoc ipſum oſtenditur ex Synodo Tyanenſi, de qua apud Sozomenum lib. 6. cap 12. ita ſcribit Hiſtoricus: *Eodem tempore cum Synodus Epiſcoporum congregata eſſet Tyanis, cui intererant Euſebius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Athanaſius Ancyræ - - - & alii complures, qui, regnante Joviniano, Antiochiæ collecti, conſubſtantialis doctrinam retinendam eſſe decreverant, Liberii, & Occidentalium litteræ recitatæ ſunt. Qua ex re ingenti gaudio affecti ſcripſerunt ad omnes Eccleſias, ut Occidentalium Epiſcoporum Decreta perlegerent, & Epiſtolas tum Liberii, tum Epiſcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ, & Siciliæ (Nam & iſtorum litteras attulerant Legati a Synodo Lampſacena miſſi) atque omnium illorum numerum conſiderarent: multo enim plures erant iis, qui in Ariminenſi Concilio ſederant.* Nihil certe expreſſius in rem noſtram proferri poteſt. Si namque numerus Epiſcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ, & Siciliæ ſuperabat numerum Epiſcoporum Ariminenſium, quanto magis cæterorum Epiſcoporum numerus, qui per univerſum orbem diffuſi Catholicam fidem profitebantur?

His denique accedat authoritas Liberii ſummi Pontificis, qui tempore Concilii Ariminenſis correxerat, quod a ſe ante duos annos peccatum erat, atque adeo formulæ ab Ariminenſibus ſubſcriptæ non modo conſenſum ſuum denegavit, ſed eam conſtanter repudiando, poſteriora Concilii hujus Acta reſcidit, ut conſtat tum ex epiſtola hujus Pontificis ad Orientales, in qua formulam Ariminenſem tanquam blaſphemiam reprobat, teſtaturque Epiſcopos, qui huic ſubſcripſerant, ad ſanam mentem reverſos, eandem anathemate damnaſſe: tum ex epiſtola Synodica Concilii Romani ſub Damaſo anno 369. ad Epiſcopos Illyrici, in qua ſic loquuntur Patres: *Neque præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: cum conſtet, neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnes fuit expetenda ſententia, neque Vincentium, qui tot annos Sacerdotium illibate ſervavit, neque alios hujusmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe.*

Atque ex his manifeſtum fit, Conciliorum Ariminenſis & Seleucienſis tempore, fidei Nicænæ conſtanter adhæſiſſe Romanum Pontificem cum omnibus, aut ſaltem pleriſque Epiſcopis, per univerſum orbem diſperſis, quorum numerus longe ſuperior erat numero Epiſcoporum utriusque hujus Concilii; ac proinde licet omnes Epiſcopi Ariminenſes in hæreſim lapſi eſſent (quod tamen falſum eſſe oſtendimus) ex eo tamen non conſecuturum, Eccleſiam Catholicam viſibilem, ſeu majorem Epiſcoporum numerum cum Romano Pontifice in hæreſim tunc conſenſiſſe.

CONSECTARIUM.

XIV. Conciliorum Oecumenicorum omnimodam neceſſitatem adſtruunt Hæretici illi, *qui volunt*, ut ajebat Ambroſius, *commoveri totum orbem Chriſtianum propter duos ca-*

Digitized by Google

tarioſos ſenes, quos alioquin nunquam ſatis damnatos contendunt, niſi a generali Concilio damnati fuerint. Hos præprimis æmulantur Janſeniani, qui licet a tribus Pontificibus, & a Gallicanorum Præſulum iterato conſeſſu damnati, omnes iſtas cenſuras tanquam bruta fulmina contemnunt. Verum ſi concedatur Hæreticis haberi Synodum Generalem, in qua eorum doctrina & perverſa dogmata examinentur, vel Synodi coactionem omnibus artibus impedire conantur, vel eas conditiones & leges præfigi volunt, quæ temerariæ & inſolitæ ſunt, & a nullis unquam Synodis uſurpatæ, quasque norunt ab Eccleſia Catholica ferri non poſſe. Atque ita etiam Synodorum Generalium authoritatem declinant, dum eam ſe maxime expetere ſimulant, & in ſuis hæreſibus obſtinati perſeverant; quod in coactione Concilii Tridentini a Lutheranis factum novimus.

Quapropter dicendum eſt cum Bellarmino lib. 1. de Concil. cap. 10. & aliis paſſim, Concilia generalia, quamvis eſſe poſſint, & ſint aliquando valde utilia, & ſecundum quid neceſſaria, hoc eſt, ut ſuavius & promptius malo inſurgenti remedium afferatur; nunquam tamen eſſe neceſſaria abſolute, ita ut ſine illis Eccleſia ſubſiſtere non poſſit. Patet id imprimis experientia, cum primis trecentis & amplius annis abſque Conciliis ejusmodi perſeveraverit res Catholica, totoque illo tempore damnatæ fuerint hæreſes, ſopita ſchiſmata, & feliciter gubernata Eccleſia; quæ præcipuæ ſunt cauſæ, ob quas Concilia neceſſaria eſſe dicuntur.

Et primo quidem ad comprimendas hæreſes neceſſaria non ſunt. Quia ex dictis Eccleſia diſperſa non minus quam in Concilium coacta, fruitur privilegio inerrantiæ; ac ſupremo judicio res fidei controverſas definiendi authoritatem a Chriſto accepit. Unde quæ tribus prioribus ſæculis exortæ ſunt hæreſes, Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum,

Digitized by Google

rum, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci, Tatiani, & plures aliæ abſque Conciliorum etiam provincialium ope extinctæ ſunt. Neque enim Euſebius, qui in ſua Eccleſiæ hiſtoria illarum novitatum meminit, refert aliquam Epiſcoporum Synodum, in qua damnatæ fuerint. Et ſane nec tam facile fuiſſet eo tempore, quo Tyrannorum perſecutionibus affligtabatur Eccleſia, ejusmodi conventus celebrare.

Subinde vero, ubi poſt datam Eccleſiis pacem, liberum fuit Epiſcopis ad Synodos convenire, ad eas non ſemper convenerunt, quoties exortæ ſunt hæreſes novæ: ſatis illis fuit, aut Doctorum calamo, aut lato ab Epiſcopis in eorum Diœceſibus decreto, aut Sedis Apoſtolicæ ſententia hæreticos compeſcere, eisque objicere orbis Catholici conſenſum. Sic contra Vigilantium nulla coacta fuit Synodus: obſtruxit illius ora Eccleſiæ Romanæ, cæterarumque per orbem diffuſarum conſenſus. Origeniſtæ pariter pro damnatis habiti ſunt, ubi Romanus Pontifex, aliique non pauci Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi in eos tulere ſententiam, ut conſtat ex Hieronymo in Apologia adverſus Ruffinum. Et Pelagianis poſcentibus Synodum Oecumenicam, in qua expenderetur eorum doctrina, reſponſum eſt ab Auguſtino, id non eſſe neceſſarium; quod nempe abſque Synodis plures antiquiores hæreſes extinctæ fuiſſent, ut jam ſupra relatum eſt.

Opponunt aliqui, hæreſes a Pontificibus in Synodis Romanis damnatas, denuo a Conciliis Oecumenis cenſura confixas fuiſſe. Nam Macedoniani, quos Liberius & Damaſus damnarant, a Concilio Conſtantinopol. iterum damnati ſunt. Neſtorius a Synodo Epheſina poſt Cœleſtini damnationem in Concilio Romano. Petrus Antiochenus a Felice III. primum, deinde iterum ſententiam tulit a Synodo V. Paulus, Pyrrhus, & Sergius ab Agathone damnati, deinde a VI. Synodo Conſtant. & ita de aliis.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Inde magis confirmari quod contendimus, Conciliorum generalium auctoritatem ad damnandas hæreſes neceſſariam non eſſe. Neque enim omnes prius damnatas ſingillatim damnarunt Synodi univerſales, ſed univerſim dumtaxat; ac proinde legitime damnatas ſuppoſuerunt: & ſi quam ſingillatim iterum damnarunt, id non fecerunt retractando anterius judicium Sedis Apoſtolicæ, neque de ejus ſententia tanquam a Judice minus competente lata diſceptarunt, nec unquam conqueſtæ ſunt, quod Romana Eccleſia ipſis inſciis & inconſultis doctrinam aliquam damnaſſet; quin potius Romanam in omnibus ſententiam ac Commonitorium ab ipſo Pontifice datum ſecuti ſemper ſunt Patres.

Altera cauſa neceſſitatis Conciliorum affertur ex ſedandis ſchiſmatis, cum nempe plures de Pontificatu Romano & univerſali contendunt; ejus enim controverſiæ judicium non videtur eſſe, niſi penes univerſalem Eccleſiam, quæ a Synodo Oecumenica repræſentatur. Verum neque iſta ratio omnimodam neceſſitatem evincit. Nam ſchiſma Novati cum Cornelio, Laurentii cum Symmacho, Caroli cum Alexandro II. Georgii cum Urbano IV. ſine Concilio generali compoſita fuere; & alia quæ identidem excitata ſunt ſimili ratione ſopiri poterant. Schiſma quidem horrendum, quod inter tres de Romana Sede contendentes exortum fuerat, illis omnibus abjectis, & in eorum loco ſuffecto Martino V. compeſcuit Conſtantienſe Concilium; inde tamen non probatur ſufficienter in univerſum ad ſedandas hujusmodi controverſias, quoties in apertum ſchiſma erumpunt, neceſſarias eſſe Synodos univerſales. Non enim repugnamus, dari poſſe caſum adeo impeditum, in quo Oecumenica Synodus non modo utilis, verum etiam omnino neceſſaria exiſtimetur: ſed negamus id ordinarie verum & neceſſarium eſſe; cum aliis modis ſchiſmata extingui poſſint, atque etiam fere ſemper extincta ſint. Si

Digitized by Google

namque unum excipias Conſtantienſe Concilium, Synodus Oecumenica nunquam coacta eſt ad tollenda ſchiſmata, ſed ad eam rem Romanæ & Provinciales Synodi, aliaque media ſuffecerunt.

Neque aliæ quæcunque cauſæ, quæ ad adſtruendam Conciliorum generalium neceſſitatem afferri ſolent, videntur magis idoneæ: ut ad morum correctionem, diſciplinam Eccleſiaſticam ſtabiliendam, tollendos abuſus &c. Nam his omnibus ſufficiunt Concilia Provincialia, & Prælatorum vigiles curæ.

Quamvis autem abſolute neceſſaria non ſint Concilia Oecumenica, ea tamen utiliſſima eſſe Eccleſiæ, ac proinde ſapienter interdum uſurpata, a nemine rerum Eccleſiaſticarum perito in dubium vocari poteſt. Non enim alia ratione efficacius & ſuavius quæ circa fidem & diſciplinam conſtituta ſunt, perſuadentur fidelibus, quam Epiſcoporum ſuorum, qui eum in finem Concilio interfuerunt, teſtimonio & auctoritate; neque ulli licet ignorantiam prætexere earum rerum, quæ communi totius orbis Chriſtiani & Eccleſiæ univerſalis conſenſu fuerint definitæ. Hæretici quoque majore pudore ſuffundi & ignominiæ probro affici non poſſunt, quam dum ſe vident unanimi totius Eccleſiæ ſententia rejici, damnari, anathemate percuti: neque majore conatu morum & diſciplinæ abuſus emendatur, quam a ſingulis Prælatis, qui perverſos ſuorum mores perſpectos habent, & quod magis expedit ad continendam diſciplinam & mores corrigendos, poſt liberam & maturam diſceptationem, communi ſententia definierint.

Quare provide ac ſapienter hactenus factum eſt in Eccleſia, ut ſingulis fere ſæculis ejuſmodi Concilia celebrarentur, ad ſtabilienda firmius fidei dogmata, dirimendas controverſias, reformandos mores, & Eccleſiaſticam diſciplinam conſtituendam: ut proinde in Bulla indictionis ſacri Concilii

Tri-

Tridentini Paulus Papa III. merito dixerit: *Deinde animo repetentes, Majores noſtros ſapientia admirabili & ſanctitate præditos, ſæpe in ſummis Chriſtianæ Reipublicæ periculis, remedium optimum atque opportuniſſimum, Oecumenica Concilia & Epiſcoporum generales conventus adhibuiſſe, ipſi quoque animum ad generale habendum Concilium adjecimus.*

CAPUT IV.

De ſummo Pontifice, ejusque Primatu in tota Eccleſia.

I. SUpremum, abſolutum, & independentem fidelium Paſtorem, Rectorem Eccleſiæ, ejusque inviſibile Caput eſſe Chriſtum Dominum, quem, ut ait Apoſtolus ad Ephes. 1. v. 21. & ad Coloſſ. 1. v. 18. *Deus dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam; qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens;* nemo Chriſtianorum unquam vel in dubium vocavit. At vero cum Chriſtus, poſtquam Eccleſiam fundaſſet ſupra ſtabilitatem ſuam, in Cœlos aſcendens eidem præſens eſſe deſierit quoad Humanitatem & viſibilem gubernationem, quæ tamen neceſſaria videtur eſſe fidelibus non minus, quam in quacunque recte ordinata Republica aut Imperio viſibile ejusmodi regimen neceſſarium eſſe novimus; ad divinam providentiam, & ſapientiam Chiſti quam maxime pertinebat, ut ſui aliquem in terris Vicarium conſtitueret, qui ipſius loco primatum in Eccleſia obtineret, & non tantum honoris ac dignitatis, ſed etiam ſupremæ poteſtatis & jurisdictionis prærogativa frueretur.

Et ſane utramque hanc prærogativam in D. Petrum Apoſtolorum Principem a Chriſto reipſa collatam, certum ac perſuaſum fuit omnibus uſque ad poſteriora hæc tempora, quibus primum impugnari cæpit primatus S. Petri ſupra alios

Digitized by Google

Apoſtolos, ab iis nempe, queis inviſa ſemper fuit Romani Pontificis in Eccleſia Chriſti Capitis dignitas; Luthero ſcilicet & Calvino, eourmque ſequacibus. Cum enim Romanus Pontifex aliam habere non poſſit auctoritatem, quam quæ ipſimet S. Petro, cui ſuccedit, a Chriſto conceſſa fuit ſuper alios Apoſtolos; certe ſi æqualis erat in omnibus cum cæteris Apoſtolis S. Petrus, nec ulla conſequenter ſupra Epiſcopos, qui Apoſtolis ſuccedunt, Romano Pontifici auctoritas erit tribuenda. Porro cum illa dignitas & prærogativa Capitis ex libera Chriſti voluntate S. Petro conceſſa fuerit, non aliunde melius adverſus Novatores probari poteſt, quam ex Scriptura, & Patrum Traditione, qui duo certiſſimi ac puriſſimi ſunt fontes, ex quibus veritas fidei haurienda nobis eſt.

II. Scripturam quod attinet, primum argumentum, ad probandum Primatum D. Petri ſupra alios Apoſtolos, petitur ex cap. 16. S. Matth. v. 18. & 19. ubi Chriſtus Petrum ſic alloquitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam - - - - Et tibi dabo claves regni Cœlorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* quibus verbis duo continentur, ex quibus Primatus plane ſequitur; nempe Eccleſiam ſuper Petrum ædificandam, & ipſi Petro dandas eſſe claves Regni Cœlorum.

Ex primo quidem: Quia verba illa, *Tu es Petrus &c.* ad Petrum omnino ſpectare, patet inprimis ex eo, quod de ſola D. Petri perſona ſermonem eſſe contextus ipſe demonſtret. Interrogaverat ſcilicet Chriſtus Apoſtolos, quid de ſe ipſo ſentirent: *vos autem quem me eſſe dicitis?* tunc vero Petrus celebrem illam emiſit confeſſionem: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Cui ſtatim Chriſtus: *& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Quis non intelligit ex tota contextus ſerie, de ſingulari Petri perſona ſermonem eſſe? illi enim ipſi dixit, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.*

quem

Digitized by Google

quem interrogavit, cui nomen mutavit, qui interroganti reſpondit. At iſta in ſingularem D. Petri perſonam cadere nemo ſanæ mentis negaverit. Secundo, quia Chriſtus audita, quam Petrus fecerat, divinitatis ſuæ confeſſione, in præmium hujusce confeſſionis ſingulare aliquod ipſi privilegium indulget, nempe prærogativam Primatus ſupra cæteros Apoſtolos, quæ his verbis exprimitur, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Tertio, quia nemo non videt pronomen demonſtrativum, *hanc*, poſitum eſſe loco relativi; perinde acſi dixiſſet Chriſtus, tu es petra, ſuper quam ædificabo Eccleſiam meam. Quarto, quia ex ipſis verbis conſequentibus, *& tibi dabo claves &c.* perſpicuum eſt, verba iſta ad Petrum pertinere; abſurdum quippe foret, tam paucis verbis rerum aut perſonarum mutationem fieri. Sicut ergo dicit, *tibi dabo claves regni cœlorum*; ita etiam dicit, *ſuper hanc petram*, id eſt, ſuper te ædificabo Eccleſiam meam. Et ideo omnes SS. PP. Petrum vocant *petram*, *crepidinem*, *fundamentum Eccleſiæ*. Vid. Concilium Chalced. Act. 13. Athanaſium in epiſt. ad Felicem Papam. Chryſoſtomum hom. 55. in Matth. Leonem Papam in Anniv. ſuæ Aſſumpt. Cyprianum de unit. Eccl. Hilarium lib. 6. de Trinit. Baſilium lib. 2. de Spir. Ambroſium ſerm. 47. Hieronymum in hunc locum Matth. Gregorium lib. 4. epiſt. 32. Auguſtinum ſerm. 11. 24. 20. &c.

Nec obſtat, quod D. Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 21. aliique dicant, petram, de qua loquitur Chriſtus, eſſe fidem & confeſſionem Petri, ipſumque Chriſtum, cui velut petræ & lapidi angulari Eccleſia innititur. Id enim veriſſimum eſt, nec pugnat cum priore litterali expoſitione. Nam & fides & confeſſio Petri eſt fundamentum Eccleſiæ in abſtracto, & tanquam ratio, ob quam Petrus eſt conſtitutus illius Caput viſibile. Chriſtus vero longe principalius petra dicitur; quia quidquid firmitatis habet Petrus, totum eſt ex meritis, & gratia Chriſti, cujus Vicarius tantum eſt Petrus. Eodem

Digitized by Google

pacto licet omnes Apoſtoli dicantur fundamenta Eccleſiæ Apoc. 21. & ad Epheſ. 2. quia toto orbe terrarum Eccleſias inſtituerunt particulares; illisque æque ac Petro revelata ſunt immediate a Deo fidei myſteria, quæ voce & ſcripto ubique terrarum prædicando Eccleſiam fundarunt univerſalem: Petrus tamen ſpecialiſſime & ſingulari cum prærogativa fundamentum Eccleſiæ a Chriſto conſtitutus eſt; quia & Caput erat Apoſtolici Collegii, & ut Paſtor non tantum delegatus ad plenitudinem cauſarum, ut cæteri Apoſtoli, ſed ordinarius, & poteſtatem ſuam ad Succeſſores tranſmiſſurus, ſicque fundamentum in iis facturus. Audi S. Hieronymum lib. 1. contra Jovin. *Licet ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut ſchiſmatis tollatur occaſio.*

Ex ſecundo etiam, nempe quod claves regni cœlorum, & poteſtas ligandi ac ſolvendi Petro conceſſa ſit, infertur ejus primatus. Seu enim ſoli Petro datæ ſint a Chriſto claves regni cœlorum, & per Petrum duntaxat aliis Apoſtolis; ſeu cæteris Apoſtolis eorumque Succeſſoribus Epiſcopis conceſſæ fuerunt a Chriſto immediate, de quo ipſi inter ſe diſputant Doctores Catholici; illud omnes fatentur, ſingulari quadam ratione Petro datas eſſe, ob ſpecialem qua cæteros antecellebat dignitatem: quia nempe totius Eccleſiæ perſonam gerebat, propter primatum, quem a Chriſto in cæteros acceperat. Ita ſancti Patres, Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ. Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum. Ambroſius in Pſal. 38. Auguſtinus Tract. 50. in Joan. Enarratione 30. & pluribus aliis in locis. Denique S. Leo ſerm. 3. cap. 3.

Secundum argumentum ſumitur ex 21. Joan. *Simon Joannis, diligis me plus his? paſce agnos meos. Paſce oves meas &c.* Quibus verbis Primatus ſancti Petri ſupra cæteros Apoſtolos merito colligitur. Nam per verbum *paſcere*, quod diri-

rigitur ad ſolum Petrum, præſentibus licet aliis Apoſtolis & Diſcipulis, nihil aliud intelligi poteſt, quam præeſſe & regere.

Cum enim Chriſtus ait: *Paſce oves meas*, perinde eſt acſi diceret: Paſtor eſto ovium mearum. At Paſtoris eſt, non ſolum ovibus pabulum præbere, ſed etiam eas ducere, reducere, tueri, caſtigare &c. ut patet ex communi loquentium uſu, & officio Paſtorum. Unde Evangeliſta uſus eſt voce, quæ Græca lingua ſignificat paſcere præſidendo; *ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*. Hoc igitur verbo *Paſce*, inſtituit Chriſtus Principatum Eccleſiaſticum, & contulit authoritatem regendi Eccleſiam; ſimulque præcepit ei, cui poteſtas illa collata eſt, ut Eccleſiæ præſit. Per illud autem, *oves meas*, ſignificari omnes omnino fideles, etiam Apoſtolos & Epiſcopos, colligitur partim ex adjecto pronomine *meas*, quod extenditur ad omnes, qui ſunt in Eccleſia, nullo excepto, nullus enim omnino eſt in Eccleſia, qui ovem Chriſti ſe eſſe non glorietur: partim ex circumſtantiis; nam diligenti plus cæteris congruum erat, ut Chriſtus amplius aliquid quam cæteris tribueret, atque adeo majore & univerſaliore poteſtate majorem & peculiarem dilectionem remuneraretur: quemadmodum peculiarem confeſſionem, qua Petrus ſolus Matth. 16. publice Chriſtum profeſſus fuerat, *Tu es Filius Dei vivi*, peculiari & ampliore promiſſione remuneratus eſt: partim denique ex communi SS. Patrum interpretatione. Plurima eorum teſtimonia in unum collegere Coccius in Theſauro, & Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 25. Unum hic Leonem M. audiamus, qui ſerm. 3. de aſſumptione ſua ad Pontific. ita loquitur: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum Gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.*

Ter-

Digitized by Google

Tertium argumentum petitur ex prærogativis, quibus præ cæteris Apoſtolis cumulatus eſt Petrus. Viginti octo recenſet Bellarminus cap. 17. & ſequenti, ſed præcipuæ ſunt duæ ſequentes. Prima, quod Petrus ab Evangeliſtis, cum Apoſtolos numerant, non tantum ſemper collocetur primo loco, ſed etiam prior dicatur. Sic Matth. 10. v. 2. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt: Primus Simon qui dicitur Petrus.* Et Marci 3. v. 6. Simon Petrus primus commemoratur; & in multis exemplaribus Græcis Πρῶτος etiam dicitur, non ſecus ac apud S. Matth. Similiter S. Lucas c. 6. v. 14. electos a Chriſto Apoſtolos recenſens, orditur a S. Petro. Noverant ergo Evangeliſtæ a Chriſto edocti, Petro datum eſſe ſupra alios Apoſtolos Primatum. Altera prærogativa ex eo ducitur, tum quod primum Eccleſiæ Concilium convocaverit S. Petrus, & Apoſtolis propoſuerit electionem alicujus e Diſcipulis in locum Judæ proditoris; tum quod in Concilio, ubi de Legalium obſervantia quæſtio habita eſt, primus omnium ſententiam ipſe dixerit, & auctor fuerit decreti, pro ſumma qua pollebat in Eccleſia authoritate, cui propterea alii omnes, & ipſemet Jacobus Epiſcopus Hieroſolymitanus, quanquam & ipſi veri judices, aſſenſi ſunt. *Tacuit omnis multitudo*, ait S. Hieronymus epiſt. 81. nunc 24. ad S. Auguſtinum, *& in ſententiam ejus Jacobus, & omnes ſimul Presbyteri tranſierunt.*

III. Hac porro veritate ſemel ſtabilita, qua D. Petro primatus aſſeritur ſupra alios Apoſtolos, facile etiam alteram probant Catholici; ſcilicet Romanum Pontificem eſſe legitimum D. Petri Succeſſorem, atque adeo eundem honoris & juriſdictionis primatum obtinere in univerſa Eccleſia.

Etenim Chriſtus Eccleſiam ſuam inſtituit, non pro illo ſolum tempore, quo vixit S. Petrus, ſed duraturam uſque ad finem mundi, ut vel Adverſarii fatentur. Ergo pro omni tem-

tempore futuro debuit ipſi providere de ſupremo Capite & Rectore univerſali: igitur neceſſe fuit, ut D. Petrus haberet Succeſſores in primatu & ſupremo munere Paſtorali. Siquidem Eccleſia poſt tempora Chriſti & D. Petri non minus opus habuit, ſemperque habebit ſupremo Capite & Rectore univerſali; quandoquidem oves nunquam non indigeant Paſtore, ſubditi Rectore, diſcipuli Magiſtro &c. Debuit ergo ſemper, & etiamnum debet D. Petro ſuccedere aliquis in ſupremo Eccleſiæ totius regimine. Atqui hactenus non ſucceſſit legitime, nec hodie ſuccedit alius, quam Romanus Pontifex.

Petrus quippe relicta Antiochia, Romæ ſedem fixit, univerſæ Eccleſiæ primatum retinens; non enim niſi per mortem naturalem ceſſavit ab officio ſupremi Paſtoris. Et ſedem, quam Romæ fixerat, relicto particulari Epiſcopatu Antiocheno, nunquam alio ante mortem tranſtulit, ſed particularis Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus Romæ defunctus eſt. Ergo moriendo eidem ceſſit locum quoad primatum univerſæ Eccleſiæ, cui ceſſit locum quoad particularem Epiſcopatum Eccleſiæ Romanæ. Igitur qui ſuccedit Petro in Epiſcopatu particularis Eccleſiæ Romanæ, ſuccedit ei in primatu univerſæ Eccleſiæ: ergo non alius, quam Epiſcopus Romanus, qui per excellentiam ſummus Pontifex appellatur. Et ſane non alius eſſe poteſt Petri in primatu univerſæ Eccleſiæ ſucceſſor, quam vel Antiochenus, vel Romanus Epiſcopus; neque enim aliam ſedem occupavit Petrus, quam Antiochenam & Romanam. Atqui falſum eſt, Antiochenum Epiſcopum eſſe Petri in primatu univerſæ Eccleſiæ ſucceſſorem; tum quod conſtet ex Can. 6. Nicæni Concilii, Antiochenum Epiſcopum nunquam niſi tertium inter Patriarchas obtinuiſſe locum: tum etiam, quod Petrus Antiochia diſcedens, ut Romæ ſedem in perpetuum figeret, ſolum particularem Epiſcopatum Antiochenum deſeruerit, & univerſæ Eccleſiæ primatum, quem

non niſi moriendo relinquere poterat, ſecum Romam detulerit: unde factum, ut Antiochenus Epiſcopus non ei ſuccedere poſſit, niſi in particulari Epiſcopatu Antiocheno; ſolus autem Romanus Epiſcopus ſit legitimus ejus Succeſſor in primatu Eccleſiæ univerſæ.

Confirmari hæc veritas non aliunde melius poteſt, quam ex antiqua & conſtanti Eccleſiæ traditione, quam apertiſſime declarant Concilia & SS. Patres, etiam Græci, quibus ſemper perſuaſum erat, Romanum Pontificem in tota Eccleſia primatum obtinere. Canon ſecundus prioris Concilii Conſtantinopolitani hæc habet: *Conſtantinopolitanus habeat primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum.* Et Concilium Chalcedonenſe: *Perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Epiſcopo conſervari.* In Concilio Conſtantienſi damnatus eſt Wicleffi articulus: *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* Hanc etiam legimus in Concilio Florentino, Græcis conſentientibus, definitionem: *Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium.* Infiniti eſſemus, ſi ea univerſa ex antiquitate momenta proſequi vellemus, quibus primatus honoris & jurisdictionis Romano Pontifici aſſeritur & confirmatur. Iſtud fidei caput, adverſus Reformatores noſtros, unanimi conſenſu ſtrenue vindicant Orthodoxi omnes, etiam ii, qui in Gallia præſertim, ſummum Pontificem Concilio ſubdi eique eſſe inferiorem, & in fidei morumque quæſtionibus definiendis errori obnoxium contendunt.

Gallicani certe Epiſcopi an. 1681. in conventu Pariſienſi congregati declarant ſummum Pontificem *eſſe Caput Eccleſiæ - - - centrum unitatis; obtinere primatum authoritatis & ju-*

Digitized by Google

juriſdictionis ipſi a Chriſto in perſona S. Petri collatum; & eum, qui ab hac veritate diſſentiret; Schiſmaticum, imo & Hæreticum fore.

Et in præfatione declarationis de Eccleſiaſtica poteſtate factæ, anno 1682. ſic ajunt: *Eccleſiæ Gallicanæ decreta & libertates a Majoribus noſtris tanto ſtudio propugnatas multi diruere moliuntur. Nec deſunt, qui earum obtentu primatum B. Petri ejusque Succeſſorum Romanorum Pontificum a Chriſto inſtitutum, iisque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, ſedique Apoſtolicæ reverendam omnibus Gentibus majeſtatem diminuere non vereantur.*

Sacra etiam Facultas Pariſienſis in celebri ſua contra Lutherum cenſura anno 1542. Art. 23. doctrinali judicio ita pronuntiat: *Non minus certum eſt, unum eſſe jure divino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur.* Et in cenſura contra Spalatenſem anno 1617. Propoſitionem, qua ille aſſeruerat, *Romanam Eccleſiam jure divino authoritatem in alias Eccleſias non habere*, hæreticam eſſe ac ſchiſmaticam declarat.

Eadem Facultas anno 1554. congregata occaſione Bullarum Pauli III. & Julii III. ſuam in Romanum Pontificem reverentiam his verbis conteſtata eſt: *Omnes & ſinguli Magiſtri palam profeſſi ſunt, nihil ſe adverſus ſummorum Pontificum authoritatem & poteſtatem, aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle. Imo vero omnes & ſinguli ut obedientiæ filii ipſum Romanum Pontificem ut ſummum & univerſalem Chriſti JEſu Vicarium, & univerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis a Chriſto data ſit, cui omnes utriusque ſexus obedire, cujus decreta venerari, & quisque tueri & obſervare teneatur, ut ſemper agnoverunt, & confeſſi ſunt, ita nunc quoque ſincere fideliter & libenter agnoſcunt & confitentur.*

CAPUT V.

An ex Romani Pontificis in Eccleſia primatu recte inferatur, eum eſſe Conciliis Oecumenicis Superiorem.

I. QUæſtioni huic initium occaſionemque inprimis dediſſe videtur obſtinatum illud ſchiſma, quod poſt mortem Gregorii XI. anno 1378. tenuit uſque in annum 1417. tribus ſubinde Pontificibus Romanam ſedem occupantibus; tunc enim ſæpe multumque agitatum eſt de figendis Pontificiæ authoritati limitibus, cujus ambitione Eccleſia, fidelesque diſcordiis peribant. Eum in finem anno 1394. agente Carolo VI. Francorum Rege Conciliium Pariſiis habitum eſt, quo Petrus de Luna, Benedictus XIII. appellatus, Papatum renuntiare jubebatur; quod cum is facere recuſaret, non multo poſt, anno videlicet 1409. extinguendo ſchiſmati Concilium Piſis a Cardinalibus indicitur. Eo ubi Patres convenerunt, Gregorio & Benedicto ad Concilium citatis, nec comparentibus, ſententiam dicunt, adimuntque Pontificatum, tanquam hæreſi tinctis & notorie ſchiſmaticis : a Cardinalibus deinde electus eſt Petrus de Candia, & Alexandri V. ei nomen impoſitum. Nec tamen hac electione direptum certamen, ſed potius auctum, novo Duce, novoque manipulo in aciem eductis, ut ait S. Antoninus 3. p. hiſtor. T. 22. c. 5. Secutum eſt Concilium Conſtantienſe anno 1414. quo ſchiſmati finis impoſitus, & Seſſ. 4. & 5. definitum, *Concilium univerſale in caſu ſchiſmatis dubio Pontifici imperare, & leges ac pœnas ſtatuere poſſe;* quod anno 1431. in Concilio Baſileenſi poſtea repetitum Seſſ. 13. Anno 1510. bello inter Julium II. & Ludovicum XII. accenſo, Turonis in Gallia conventus Epiſcoporum habitus, & Pontifex Julius ad Concilium vocatus, quod Piſis primum deinde Mediolani coactum, exe-

cra-

crationi omnibus fuit, teſte Guicciardino l. 9. ſub fin. Eidem propterea oppoſitum eſt Concilium Lateranenſe ab eodem Julio inchoatum, finitumque per Leonem X. in quo etiam authoritas Papæ ſupra Concilium definita eſt Seſſ. 11.

Anno 1517. Lutherus cum variis erroribus Eccleſiam turbare cœpiſſet, dicta illi die, & cauſa Cardinali Cajetano commiſſa, primum ab hoc tanquam judice ſuſpecto ad Papam, tum a Papa male conſcio ad Papam melius edoctum, deinde a Papa ad Concilium provocavit. Poſtea ubi coactum hoc vidit, de Concilio ad Scripturam, & ab hac ad criteria, ſpiritumque privatum, hoc eſt, ad ſe ipſum appellavit, ut ſæpe alias dictum eſt; librumque edidit, cujus ſumma: *Nihil opus eſſe Conciliis;* quo libro Canones Concilii Nicæni, *fœnum*, *ſtramen*, *lignum*, *ſtipulas* vocat, ut omnino apparuit, Concilium ab eo moræ, non veritatis cauſa fuiſſe appellatum. Denique anno 1552. adfuerunt in Tridentino Concilio Oratores Ducis Saxoniæ, qui inter alia quarto loco poſtularunt, ut Tridentini Patres ante omnia ad normam Conſtantienſis & Baſileenſis Conciliorum declarent, Pontificem in iis, quæ ad fidem, moreſque pertinent, Concilio ſubeſſe.

Placuit hæc compendio retexere, ut inde appareat, non omnibus unam eandemque, ſed pro diverſis animorum affectibus, diverſas quoque fuiſſe cauſas, Pontificem Concilio ſubmittendi: qui enim bonum publicum & Religionem ſpectabant, contenti erant intra neceſſitatem Concilium præferre, hoc eſt, in cauſa ſchiſmatis, dubiique Pontificis; ſic in Concilio Piſano & Conſtantienſi factum. Quibus vero non tam publicum, quam proprium privatumque lucrum cordi erat, quique non tam Eccleſiæ periculo, quam ſuo cavebant, ſimpliciter & extra publicam ſchiſmatis cauſam, Concilium præponebant, noto Politicis arcano, quibus in præſentibus malis dilatio remedium eſt, periculum aut avertente mora, aut differente.

Quid autem dicemus de famoſa illa Declaratione Cleri Gallicani, anno 1682. edita, qua Galliæ Præſules Regis juſſu Conventum Pariſiis agentes definiere, atque toto Regno, accedente etiam edicto Regio, prædicari voluere, Pontificem Romanum & Concilio ſubdi, eique eſſe inferiorem, & in fidei morumque quæſtionibus definiendis errori obnoxium.

Certe ſtatim ac Declaratio hæc publicam lucem aſpexit, atque etiam in exteras Regiones perlata eſt, ad rei novitatem totus pene Catholicus orbis obſtupuit; *quod totius Eccleſiæ ſtatus in laceſſito vertice nutare videretur*, (ut olim S. Avitus Viennenſium Epiſcopus totius Gallicanæ Eccleſiæ nomine ad Italiæ Præſules ſcribebat) inſultantibus ex adverſo hæreticis Papæ infeſtis, & de Gallis ipſis ac Eccleſiaſtico præſertim ordine triumphum agentibus, quos in ſuam tandem ſententiam, quam tot retro annis præcinuerant, deſcendiſſe jactabant. Non defuere tamen viri doctrina & pietate conſpicui, qui inauditum antea Gallorum facinus reprimerent, hancque temerariam eorundem Declarationem juſtis & doctiſſimis operibus confutarent, nec non oſtenderent, Gallicanos Antiſtites ea Eccleſiæ totius atque etiam Gallicanæ doctrinam ac traditionem deſeruiſſe. Ex iis nos pauca dumtaxat & illuſtriora hic ſeligemus. Sit igitur

ASSERTIO UNICA.

Ex eo, quod Romanus Pontifex eſt legitimus D. Petri in totius Eccleſiæ Primatu Succeſſor; recte ſequitur, eum eſſe ſupra Concilium.

I. NOn repetemus hic ea, quæ vel jam ſupra a nobis adducta ſunt, vel a Catholicis Scriptoribus adverſus hæreticos adferri ſolent; ſed inſtituti memores ex principiis jam ſta-

ſtabilitis, & quæ Orthodoxi omnes admittunt, Pontificem Romanum Concilio eminere, oſtendemus.

Inprimis ergo certum eſt, nec ſalva fide negari poteſt, ſummum Pontificem, eo ipſo quod ſit legitimus D. Petri in primatu Succeſſor, eſſe verum Chriſti in terris Vicarium, & univerſalis Eccleſiæ Caput; adeo ut hoc expreſſe definitum ſit in Concilio Florentino Seſſ. ult. Lateranenſi Seſſ. 11. Lugdunenſi in C. *ubi periculum* de elect. in 6. Et in Conſtantienſi Seſſ. 8. art. 37. ubi contrarium damnatur ut hæreticum, & inter Wicleffi errores reponitur. Ex Vicaria autem Pontificis poteſtate aperte deducitur, majorem eſſe ipſius, quam Concilii authoritatem, & nullo modo Papam Concilio ſubeſſe. Vicarius enim Principis aut Epiſcopi, cum idem cum ſuo Principali tribunal habeat, a nullo Principe aut Epiſcopo inferiori judicari poteſt, ne quidem a Comitiis Regni aut Provinciæ, cui titulo Vicarii, aut Proregis præeſt; ut patet ex c. 27. §. *porro de off. Deleg.* c. 1. *de off. Vicar.* in 6. Nec aliquando auditum eſt, eum, qui aliquo in Regno vel Provincia vices ſui Principis aut Regis agit, a Regni Optimatibus aut Comitiis univerſalibus judicatum eſſe; nec poteſt, niſi læſa Majeſtate, hoc attentari. Præterea, Papa eſt verus Chriſti Vicarius, ut definitum eſt in Conciliis: vel ergo hæc poteſtas Vicaria immediate a Chriſto accepta ſoli Papæ communicatur, vel etiam Concilio: ſi huic; ergo duos habebimus in Eccleſia immediatos ſupremosque Chriſti Vicarios, quod inauditum eſt hactenus in Eccleſiaſtica Hierarchia, imo in quavis bene ordinata Republica: aut dicendum erit, coacto Generali Concilio ſupremam hanc & Vicariam poteſtatem a Papa in Concilium transferri; quod iterum novum eſt, & ſine ullo ex ſacris paginis fundamento aſſertum. Aut denique veritati cedendum erit, fatendumque, ſolum Pontificem immediatum eſſe ſupremumque Chriſti Vicarium, & ut verbis B. Pauli uta-

utamur, *Tanto altiorem*, Conciliis *factum*, *quanto differentius ab illis nomen hæreditavit.*

Similiter ex Capitis univerſalis Eccleſiæ prærogativa ejus ſuperioritas ſupra Concilium ſatis oſtenditur. Caput enim non ſitu tantum, ac naturæ artificio cæteris membris præſtat; ſed etiam influxu, imperio, gubernatione, directione: eſſetque monſtrum illud Caput, quod ab aliis membris etiam conjunctis motum & imperium acciperet. Si ergo Pontifex a Concilio docetur, movetur, judicatur, corrigitur; aut Pontifex non eſt Caput, niſi honorarium & titulare; aut non eſt Caput Eccleſiæ univerſalis, ſed tantum Eccleſiarum particularium, quamdiu in Concilio non uniuntur; quod perinde eſt, acſi dicas, caput unitis membris non dari, illiſque præfici, ſed ſeparatis tantum diviſiſque: aut denique duo Capita in Eccleſia Chriſti reperiuntur; quæ omnia abſurda ſunt, paradoxa, & ſenſui Patrum contraria. Rurſus cum Adverſarii dicunt Concilium Generale eſſe ſupra Papam; quid quæſo per Concilium intelligunt? ſi enim Concilium intelligunt cum Papa; tam non eſt Concilium ſupra Papam, quam corpus cum Capite non eſt ſupra Caput. Si vero per Concilium intelligunt Concilium ſine Papa, tam eſſe non poteſt Concilium univerſale ſine Papa, quam integrum corpus ſine capite: erit ergo Concilium ſine Papa, corpus capite truncum, & ideo nec univerſale. Quod ſi velint Concilium etiam ſine Papa pollere authoritate ſuprema immediate ſibi a Chriſto collata: Reſpondebimus, hoc utique dici, repetique, ſed nunquam ab iis probari, nunquam probandum: oſtendant enim vel unum Scripturæ apicem, quo hanc plenitudinem Concilium acceperit, non Papa. Petro dictum eſt, ejusque Succeſſoribus, *Tibi dabo claves Regni cælorum.* Petro, *ſuper te ædificabo Eccleſiam meam.* Petro, *confirma fratres tuos.* Petro, *paſce oves meas.* Ubi hic Concilium? ubi Apoſtolorum conventus? Sane Concilium vel Paſtorem Eccleſiæ agit; vel

vel ad oves Chriſti pertinet, aut ad ovile. Si Paſtorem agit, oſtendat, quando illi oves & Eccleſia commiſſa, quando mandatum paſcendi Eccleſiam univerſam datum ſit? imo ſtante Chriſti promiſſo, nec dari potuit; cum ipſe apud Joan. dixerit, *Unum paſtorem*, & *ovile futurum;* unum, inquit, non trecentos in Conciliis congregatos. Si vero Concilium ad oves & ovile ſpectat; ergo non ſupra, ſed infra Paſtorem eſt, nec paſcit, regitque; ſed ab illo paſcitur, & regitur. Abſit enim dicamus, Concilium ſibi poteſtatem uſurpare, quæ ei data non eſt; aut datam eſſe, quæ oſtendi non poteſt, quando & ubi data ſit. Denique Pontifex Romanus ſic eſt Caput Eccleſiæ univerſæ, ſicut quilibet Epiſcopus aut Archi-Epiſcopus caput eſt ſuæ Diœceſis aut Provinciæ: cum Petro, ejusque Succeſſoribus ſine ulla limitatione & reſtrictione ſint traditæ oves Chriſti. Atqui nullus Epiſcopus aut Archi-Epiſcopus ſubjicitur Synodo Diœceſanæ aut Provinciali; ergo nec Papa Synodo Oecumenicæ: quantum enim confuſionis & turbarum naſceretur Synodo Epiſcopis dominante; tantum, multoque amplius dominante Pontifici: perfecta enim pax perfectam unitatem deſiderat, quæ non eſt ubi multi gubernant, neque uni obtemperant.

III. *Prob. 2do.* Ex teſtimoniis ipſorum Conciliorum, quibus ſe Pontifici ſubmittunt.

In Concilio Nicæno Patres data Synodali epiſtola ad Sylveſtrum Papam, acta Concilii transmittunt, rogantque, ut ea confirmet, roboretque; nec enim ſatis firma eſſe, niſi ille accedat. Sylveſter coacta Romæ Synodo Nicænum Concilium confirmat, anathemate in eos, qui aliter crederent, pronuntiato, ut patet ex Synodo Romana, quæ habetur poſt Nicænam Tom. 1. Conc. Canone 19. & 29. ejusdem Concilii Nicæni jubentur Epiſcopi majores cauſas ad Pontificem deferre. Rurſus Can. 39. dicitur Papa ſuper univerſos eſſe po-

Digitized by Google

pulos, & univerſam Eccleſiam Chriſtianam. Unde ſequitur omnino, eum ex ſententia Nicænæ Synodi eſſe etiam ſupra Concilium generale. Si enim ut volunt Adverſarii, tota poteſtas & auctoritas Papalis Concilio univerſali ineſt etiam ut a Papa diſtincto; ut quid ergo ille dicitur eſſe ſupra univerſam Eccleſiam? Cur ad ipſum majores cauſæ deferri jubentur? Quid opus confirmatione Papali tam longe, tam anxie petita, tantoque cum apparatu data? Minor enim recipit quidem, ſed non confirmat voluntatem & præcepta majoris; quia confirmatio arguit ſuperioritatem, ut patet in omnibus electionum, alienationum, & teſtamentorum confirmationibus, quæ a Superioribus fiunt.

In Synodo Conſtantinopolitana I. auctoritas Romani Pontificis ſupra Concilium ex multis apparuit. Et quidem 1*mo.* quod Canonem V. (quo poſt Romanum Epiſcopum Conſtantinopolitano primæ deferuntur, contra privilegium Epiſcopi Alexandrini) Eccleſia Romana non admiſerit, imo expreſſe rejecerit Leo I. Pont. Max. ut videre eſt epiſt. 53. ad Pulcheriam Auguſtam. Et primum poſt plura ſæcula Innocentius III. publici boni & pacis cauſa privilegium illud Conſtantinopolitano Patriarchæ conceſſit; quod apertum eſt Pontificiæ authoritatis ſupra Concilium argumentum. Si namque Concilium præſtaret Papæ, cur ergo correxit Papa, quod Concilium conſtituerat? Oportuit plane & Concilium in eo erraſſe, & minoris fuiſſe authoritatis, alioquin a ſummis Pontificibus nec judicatum foret, nec improbatum. 2*do.* Quod Damaſus Papa ad examinanda Concilii Conſtantinop. acta pro Eccleſiæ Romanæ more & auctoritate Romæ Synodum indixerit, in qua acta illa confirmata ſunt, & omnes hæreſes damnatæ. 3*tio.* Quod idem Papa præveniens judicium Concilii Conſtantinop. hæreſes Sabellii, Macedonii, & Eunomii prædamnaverit, ut habetur Tom. 1. Concil ante Concilium

Con-

Conſtantinop. juſſeritque inſuper ſuam in illos ſententiam per Orientis Eccleſias publicari. Non ergo Papa ſubeſt Concilio; alioquin nec Concilii acta examinaret, nec illius ſententiam præveniret: non enim ſubditorum eſt Superioris legem examinare, ut admittant repellantve, aut ſententiam prævenire; ſed illam obſervare, huic aquieſcere.

In Concilio Epheſino multa ſunt facta, quæ ſupremam Pontificis authoritatem pariter oſtendunt. 1*mo*. Cœleſtinus Papa, non expectata Concilii ſententia, Neſtorium hæreſis prædamnavit; eidemque Concilio formam & regulam præſcripſit, juxta quam, nec aliter judicaret; Neſtorium enim ejusque doctrinam jam hæreſis a ſe notatam eſſe, nec poſſe a Concilio amplius abſolvi. Vid. acta Concil. Epheſ. Tom. 2. cap. 15. 2*do*. In hac eadem Synodo Rom. Pontifex caput Concilii acclamatur: Legatus enim Apoſtolicus Patribus in hæc verba gratias egit: *Quod ſanctis ſuis vocibus, piisque præconiis ſancta Eccleſiæ membra ſancto ſuo Capiti ſe exhibuerint.* 3*tio*. Voluit Cœleſtinus Legatum ſuum Orbis univerſi Judicem appellari & conſequenter etiam Concilii, teſte Nicephoro lib. 14. cap. 34. Quanto magis poterat Cœleſtinus ſibi ipſi hunc titulum vindicare?

In Chalcedonenſi quoque Concilio multis variisque modis emicuit Pontificis Rom. Concilio Superioris Majeſtas & prærogativa. Nam *primo*, formam Concilio præſcripſit, & velut lineam duxit, intra quam Patres conſiſterent; monuitque, Eutycheten & Dioſcorum jam Romæ prædamnatos, quamque aliena a fide eſſet ipſorum doctrina, ſe jam dudum oſtendiſſe in epiſtola ad Flavinum Epiſcopum: hanc epiſtolam ſibi Patres proponerent, & ex illa ſententia ferrent. Quam vero Synodus Chalced. hanc Leonis epiſtolam ſibi præſcri-

ptam venerationi habuerit, & velut oraculum cœlo lapſum amplexa ſit, ipſa ſatis oſtendit, cum actione 2. in has voces prorupit: *Hæc Patrum fides. Omnes ita credimus: anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus eſt. Secundo*, Synodus tota, Patresque confeſſi ſunt, ſe filios eſſe, Leonem vero Concilii caput, ut habetur actione 16. Idem Concilium actione 1. 2. & 3. paſſim vocat Leonem *Caput univerſalis Eccleſiæ, univerſæ vineæ cuſtodem &c.* Quæ omnia Superioritatem in ipſum Concilium ſignificant, qualem videlicet habet caput in reliqua membra, cuſtos in vineam. *Tertio.* Ejusdem Concilii actione 3. aliquot recitantur epiſtolæ ex variis locis ad Synodum datæ, quarum omnium hoc eſt initium: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo univerſali Patriarchæ, magnæ Romæ Leoni, & ſancto univerſali Concilio.* Nec ullus Patrum conqueſtus eſt, Leonis nomen tanquam majoris Concilio præponi. *Quarto*, Seſſ. 6. recitata eſt fidei Catholicæ definitio, quæ, quod minus perfecta videretur, nec Eutychetis hæreſi damnandæ ſufficiens, rejecta eſt a Sedis Apoſtolicæ Legatis; & quamvis tota Synodus, exceptis Romanis paucisque ex Oriente Epiſcopis, non tantum eam fidei formulam probaret, ſed etiam ardenter inſiſteret, ut ea reciperetur, Legati Pontificis conteſtati ſunt, niſi alia & plenior forma redderetur, quæque Leonis epiſtolæ ad amuſſim reſponderet, ſe extemplo diſceſſuros. Patres collatis capitibus novam fidei profeſſionem, & omnibus numeris abſolutam ediderunt, quæ habetur actione 6. Ubi plane enituit indubitata & invicta Pontificis Romani ſupra Concilium authoritas. Si enim Papa non eſt major Concilio, ſed illi potius ſubjectus, cur Concilium adigit ſententiam mutare, ſuæque epiſtolæ in omnibus ſubſcribere? cur Patrum commune votum ſolus impugnat, rejicit, & mutare compellit? compellit vero, non vi aut armis, ſed doctrina & judicis authoritate; quod plane non eſt ſubjectum agere, ſed caput & Superiorem.

At-

Digitized by Google

Atque hæc quidem decerpſiſſe ſufficiat ex quatuor illis Oecumenicis Conciliis, quæ B. Gregorius M. eodem loco cum quatuor Evangeliis habuit. Ex ſubſequentibus quoque generalibus Synodis non pauciora ſupremæ Pontificum authoritatis proferre poſſemus argumenta, ſi temporis ac inſtituti noſtri ratio pateretur.

Conſtantienſe quod attinet quo uno ſe tuentur Adverſarii, quamvis, dum profligando ſchiſmati, quod ſummi Pontificatus ambitio excitaverat, totum ſtudet, viſum aliquibus ſit tantum Pontificum authoritati demere, quantum ſibi & cæteris Conciliis tribuerat; re ipſa tamen nihil contra Pontificis jura in eo Concilio factum deciſumve, ſed multa potius pro illis, ex ſequentibus oſtenditur. *1mo.* Cocilium Conſtant. quoties de poteſtate Conciliorum ſupra Papam loquitur, ſemper reſtringit ad præſentem Synodum, & ad ſchiſmatis tunc graſſantis extirpationem, ut videre eſt Seſſ. 4. & 5. ubi innuere ſatis aperte videtur, ſe in caſu tantum ſchiſmatis & Papæ incerti eam poteſtatem habere: cur enim alias toties, & tam conſtanter adjeciſſet illam reſtrictionem: *In his, quæ pertinent ad fidem, & exſtirpationem dicti ſchiſmatis.* *2do.* Poſtquam Martinus V. Pontifex renuntiatus eſt, ceſſavit omnino tota Concilii Conſtantienſis Jurisdictio, nec ullum amplius morum aut fidei Decretum Concilii nomine factum eſt; cum tamen ante electionem omnia ſtatueret, decerneret, definiret, juberet, vetaretque; quæ hujus cauſa, ſi tota ut Adverſarii dicunt, & Papalis poteſtas in Concilio eſt, & penes hoc magis, quam ipſum Pontificem? Videatur Seſſ. 42. quæ poſt electionem Martini eſt prima, & ſequentes. In Bulla ejusdem Martini V. ſacro approbante Concilio facta, quæ habetur Seſſ. ult. inter alias propoſitiones, quæ ſuſpectum aliquem reddunt hæreſis Huſſiticæ, etiam hæc poni-

 tur:

tur : *Papa Canonice electus non eſt Succeſſor Petri*, *nec habet in Eccleſia Dei ſupremam auctoritatem.* Agnoſcit ergo Concilium ſupremam in Pontifice authoritatem ; non autem ſuprema eſſet, ſi aliam haberet, cui ſubeſſet, tunc enim ſuprema poteſtas non Papæ, ſed Concilii foret. At de Concilio Conſtant. plura inferius, ubi ad argumenta Ardverſariorum reſpondebimus.

Eandem ſupremam Pontificis authoritatem agnovit quod ſecutum eſt Concilium Florentinum, ut conſtat ex litteris unionis ; & Lateranenſe Seſſ. 11. ubi Pontificia hæc authoritas plurimum commendatur, & antiquiorum Conciliorum exemplo ac teſtimoniis ſtabilitur. Et quamvis Superioritas Papæ non fuerit per modum dogmatis definita, negari tamen haud poteſt, maximæ authoritatis eam doctrinam eſſe, utpote in Concilio univerſali expreſſe aſſertam, probatamque, & cui nullus Epiſcoporum refragari auſus eſt.

Quod ſi hæc omnia, quæ de authoritate ſummi Pontificis ipſa Concilia Oecumenica exemplo & ſcriptis teſtata ſunt, nondum ſufficiant ; quicunque hanc veritatem impugnat, oſtendat quæſo Concilium aliquod, quod ſibi aliquando tantum tribuerit, quantum ſummo Pontifici : quodſi oſtendere non poteſt, cur præfert Concilium, quod non ſolum majorem ſed ne parem quidem ſibi cum Pontificia authoritatem uſurpavit? Exponat deinde diſerte Adverſarius, quid ſit aliquem majorem eſſe altero. Papa Concilium vocat, Papa confirmat, Papa improbat, & corrigit, Papa præſcribit, imperatque Concilio : quærimus ergo, quid ſit eſſe ſuperiorem, ſi hoc non eſt ? & cur nunquam hanc poteſtatem in Pontifices Concilium exercuerit, quam toties, imo ſemper Pontifices in Concilia exercuerunt ?

IV. *Prob. 3tio.* Explorati juris eſt, a minori judice ad majorem provocari. Judex enim, ad quem provocatur, ſententiam corrigit, reſcindit, juriſdictionem ſuſpendit, imperat

Digitized by Google

tra ſententiæ executionem, quæ omnia fieri niſi a majore & ſuperiore non poſſunt. Jam vero a Concilio Generali ad Papam, non item ab hoc ad Concilium provocari & appellari, patet inprimis ex Canonibus.

S. Gelaſius ad Epiſcopos per Dardaniam conſtitutos in C. cuncta 9. q. 3. *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quod ſacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habeat judicandi: neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus &c.* Idem in C. ipſi 9. q. 3. *Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri: ab ipſa vero nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt. &c.*

Synodus Sardicenſis & Oecumenica ſub Julio Pontifice & Imperatoribus Conſtante & Conſtantio in cauſa Athanaſii celebrata Can. 3. & 4. hæc habet: *Quod ſi aliquis Epiſcopus judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterum judicium renovetur; ſi vobis placet, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur Julio Romano Epiſcopo. Et ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem cauſam, ut ea non refricentur, quæ acta ſunt; quæ decrevit Romanus Pontifex, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet. Synodus reſpondit: placet.*

Synodus Nicæna Can. 18. *Placuit, ut omnes Epiſcopi, qui in quibusdam gravioribus pulſantur, vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit, libere Apoſtolicam Sedem appellent, atque ad eam quaſi ad Matrem confugiant &c.* Hunc vero appellandi morem antiquiſſimum eſſe teſtatur B. Leo epiſt. 78. ad Epiſcopos Galliæ, quæ habetur Tom. 2. Concil. ante Concilium Chalced. Et epiſt. 32. ad Theodoſium Aug. idem S. Pon-

Digitized by Google

Pontifex Flavianum Patriarcham Conſtantinop. a Concilio Epheſino II. ad Sedem Apoſtolicam appellantem recipit, rogatque Imperatorem, ut appellationi deferat. Ubi nota, Leonem duas cauſas exponere, ob quas acta Concilii reſcindenda veniant. Primum, quod in Concilio omnia per vim & tumultum peracta ſint: ſecundo, quod Flavianus Apoſtolicam Sedem appellaverit.

Sixtus Papa Can. Si quis 2. q. 6. *Si quis veſtrum pulſatus fuerit in aliqua adverſitate, licenter hanc ſanctam & Apoſtolicam Sedem appellet, & ad eam, quaſi ad Caput ſuffugium habeat.* Marcellus Papa ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ in C. ad Romanam 6. cap. 2. q. 6. *Ad Romanam Eccleſiam omnes Epiſcopi, qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, quaſi ad Caput ſuffugere, eamque appellare debent.* Zepherinus Papa Can. ad Romanam 8. cap. 2. q. 6. *Ad Romanam Eccleſiam ab omnibus, maxime tamen ab oppreſſis appellandum eſt, & concurrendum quaſi ad Matrem &c.* Vigilius Papa epiſt. ad Eleuth. cap. ult. quæ habetur C. qui ſe ſcit 2. q. 6. *Unde omnium appellantium Apoſtolicam Sedem Epiſcoporum judicia, & cunctarum majorum negotia cauſarum eidem S. Sedi reſervata eſſe liquet; præſertim cum in his omnibus ejus ſemper ſit expectandum conſultum.*

V. Nec obſtat, quod allegati Canones Concilii univerſalis mentionem expreſſam non faciant: cur enim facerent, hac quæſtione tunc temporis non audita? Imo cum Concilia univerſalia, quæ legitima ſunt, Pontificis conſenſum, & confirmationem deſiderent, quid eſt aliud appellare a Concilio legitimo, quam appellare a Papa ad Papam? Sicut ergo Concilia robur & valorem accipiunt, cum a Papa confirmantur; & legitima eſſe deſinunt, roburque amittunt, cum reprobantur; eodem modo per appellationem ſuſpendi eorum ſententia poterit; tendit enim appellatio ad confirmationem vel correctionem primæ ſententiæ. Illud

Digitized by Google

Illud quidem non diffitemur, in admittendis appellationibus magna opus eſſe circumſpectione, ne Eccleſiarum privilegia turbentur, ne tribunalia confundantur, & ne obtentu innocentiæ juſtitia calcetur, aperto calumniis ſinu; quod in quocunque tribunali & regimine etiam pure Monarchico caveri debet. Unde jam olim ab Epiſcopis etiam ſanctis factæ ſunt nonnunquam querelæ. Videatur cap. 32. *de appellat.* ubi prohibetur appellatio etiam ad S. Pontificem in certis caſibus; cum nempe hujusmodi appellationes a reo juſte condemnato frivolæ præſumuntur, morandæque juſtitiæ cauſa, quibus proinde deferendum non eſt. Hinc Patres Concilii Milevitani minoribus infra Epiſcopos Clericis ſapienter prohibuerunt contra Africanos judices appellare, c. *placuit* 2. q. 6. Quod ſi tamen ſimplex etiam Presbyter evidenter oſtendiſſet, ſe injuſte damnatum eſſe, ejus appellationem Romam admittebant, ut habetur in epiſtolis Africani Concilii ad Bonifacium, & Cœleſtinum Pontif. Tom. 1. Concil.

Non etiam obſtat, a ſententia ſummorum Pontificum ad futurum Concilium ſæpe appellatum eſſe, prout hujusmodi appellationum faſcem collegit auctor libri de Eccleſ. Gallic. Immunitatibus toto cap. 13. Ubi ad futurum Concilium contra Bonifacium VIII. appellat Philippus Pulcher anno 1303. cui appellationi conſenſus Galliæ Prælatorum & Pariſienſis Univerſitatis acceſſit. Regius Procurator Caroli VII. Francorum Regis contra Pium II. anno 1460. *ibid.* Ludovicus XI. concontra Sixtum IV. anno 1478. *ibid.* Univerſitas Pariſienſis contra Innocentium VIII. anno 1491. *ibid.* Eadem Univerſitas contra Leonem X. anno 1517. *ibid.* Legatus Friderici II. contra Innocentium IV. anno 1245. *Hiſt. Pariſ.* Eccleſia Anglicana contra eundem Innocentium anno 1246. Ludovicus Imperator ex domo Bavarica anno 1323. contra Joannem XII. *Hervart in Ludovico defenſo.* Reſpublica Veneta

Digitized by Google

contra Julium II. anno 1509. *Guiciardinus lib.* 8. Reſpublica Florentina contra eundem Julium an. 1511. *idem lib.* 10. Carolus V. Imperator contra Clementem VII. anno 1526.

Reſpondeo, appellationes ejusmodi factas non eſſe ad Concilium tanquam majus tribunal & judicem Papæ, ſed ad melius pleniusque informandum ipſum Papam. Quamvis enim promiſſa ſit Papæ aſſiſtentia Spiritus Sancti in rebus fidei decidendis, ea tamen promiſſio ſupponit omnem diligentiam, & quam cauſæ dignitas exigit diſcuſſionem. Poſſunt igitur quæſtiones in materia fidei aut morum tantæ deliberationis, & in facto aliquo fundatæ naſci, ut Concilium univerſale omnium nationum neceſſarium ſit, & ſine quo non cenſeatur ſufficienter informatus inſtructusque ſummus Pontifex, ut poſſit ad ſententiam definitivam procedere: pro quo caſu intelligendi ſunt Sancti Patres, cum dicunt Concilium univerſale neceſſarium eſſe. Illæ ergo appellationes factæ ſunt ad Concilium tanquam Pontifici informando neceſſarium, ut appellantibus videbatur; patetque ex ipſa appellandi forma Philippi Regis, Pariſienſis Univerſitatis, & aliorum: *A ſanctiſſimo D. N. Papa Innocentio minus debite conſulto ad ſe ipſum melius conſulendum, & ad ſanctam Sedem Apoſtolicam etiam melius conſulendam, nec non ad ſacroſanctam Synodum celebrandam, illumque vel illos, ad quem, ſive ad quos de jure provocare & appellare nobis licet &c.* Ex quibus patet, nunquam ad Concilium fuiſſe provocatum, ut Papæ oppoſitum & hujus authoritate deſtitutum, ſic enim appellaretur ad Concilium illegitimum; ſed ad Concilium authoritate Pontificia ſuffultum & confirmatum, hoc eſt, ut diximus, ad Pontificem informandum.

Cæterum appellationes ad futurum Concilium, aut futurum legitimum Papam, ſacris Canonibus ignotæ plane ſunt, & deploratis tantum cauſis refugium. Quid enim eſt hoc,

ap-

Digitized by Google

appellare ad judicem, qui non eſt, & quando, aut ubi erit, ignoratur? Quis Principum, imo quis Epiſcoporum patiatur a ſua ſententia ad comitia vel Synodos aut futurum Principem vel Epiſcopum appellari? An non omnes hoc modo ſententiæ eludi poſſunt, & eadem facilitate aut impediri Concilia, aut defectu aliquo objecto non recipi? Quid enim facilius eſt potenti præſertim Principi, quam Concilium ne fiat impedire, aut moras longiſſimas objicere, donec cauſa faciem mutet, & in aliam evadat? imo jam facto Concilio aliquid opponere, ut vel illegitimum appareat, vel non univerſale, quod pronum eſt, cum multa ad Concilium legitimum & univerſale requirantur. Accedit, quod appellatio inducta ſit juſtitiæ & innocentiæ tuendæ gratia, & ideo appellationes frivolæ, morandæque litis cauſa, nullibi admittuntur. At vero appellationes ad futurum Concilium lites cauſasque non tantum morantur, ſed etiam perennant, idque propter difficultates cogendæ Oecumenicæ Synodi, propter infinita quæ interim occurrere poſſunt, & rerum faciem mutare, data interea oportunitate evadendi ſententiam, quamvis juſtam: & denique propter quam plurimas exceptiones, quæ a præpotentibus maxime, ut dicebamus, poſſunt Concilio opponi; quemadmodum exemplum Concilii Tridentini, aliorumque retro Synodorum ſatis nos docuit.

Propterea etiam appellationes ad futurum Concilium graviſſime a ſummis Pontificibus prohibitæ ſunt. Primo quidem a Caliſto III. qui anno 1457. Alano Cardinali Galliis excedenti præcepit, rediret Pariſios, & appellationem, quam aliqui in cauſa decimarum pro Turcica expeditione ediderant, revocari curaret, & in auctores animadverteret. Sixtus IV. anno 1483. Pii veſtigiis inſiſtens anathema in eos, qui ſic appellarent, dixit. Pontificis hujus diploma veneratus eſt Ludovicus Galliarum Rex, juſſitque in ſolemni hominum fre-

Digitized by Google

quentia promulgari, teſte Odorico Rainaldo in ſuis Annal. Eccleſ. anno 1483. N. 22. Et denique quot annis in Bulla Cœnæ ſolemnes in illos diræ pronuntiantur, qui ad futurum Concilium appellant.

Si dicas, Pontificem in propria cauſa legitimum judicem non eſſe, neque ei propterea credendum. Reſp. ſupra nominatos Pontifices non pro ſua, ſed Dei & Eccleſiæ Chriſti cauſa locutos eſſe; nec aliud quam ipſa Concilia ſtatuiſſe. Deinde ſi Papæ in propria cauſa loquenti & judicanti credi non debet, cui ergo credemus? quis, lite inter Pontificem & Concilium vertente, judex futurus eſt? nam & Concilia eadem exceptio premet, judicaſſe videlicet Patres in propria cauſa. Quamquam & Concilia pro nobis ſtare, jam plus ſatis demonſtratum eſt; ut proinde, quod Chriſtus olim Judæis Joan. 5. hoc Vicarii Chriſti ſuam authoritatem impugnantibus dicere poſſint: *Scrutamini Concilia, in quibus putatis vos veritatem habere, & illa ſunt, quæ teſtimonium perbibent de me.*

VI. *Prob 4to* ex fine, ob quem hanc ſupremam poteſtatem conferre in Concilium Adverſarii moliuntur. Si enim poteſtatem hanc eum in finem neceſſariam dicunt, ut Pontifex dubius & in ſchiſmate creatus, aut in hæreſim lapſus in ordinem redigatur; ejusmodi caſus ſunt excepti, ut jam ſupra inſinuavimus, nec ullam ſuperioritatem Concilii arguunt: Pontifex namque hæreticus deſinit eſſe Caput Eccleſiæ, imo amiſſa fide, deſinit eſſe ejusdem membrum, poteſt proinde a Concilio deponi ac judicari. Quanquam etiam in hoc caſu, non tam Concilium judicat, quam potius declarat, Papam incurriſſe ſententiam ab ipſo Deo latam promulgatamque juxta illud Joan. *Qui non credit, jam judicatus eſt.* Et ideo Chriſtus non prius Primatum, claveſque Regni Cœlorum commiſit Petro, quam ab illo profeſſionem veræ fidei exegerit. Matth. 16. Dubius autem ac in ſchiſmate creatus Pontifex ha-

habetur pro nullo: quia ubi plures Pontifices electi ſunt, aut oportebit omnes cum ſumma poteſtate Eccleſiæ præeſſe, quod abſurdum eſt, aut aliquos deponi: ſed non eſt ratio, cur unus potius quam alter deponatur, cum de omnibus dubium ſit; ergo deponendi ſunt omnes. Nec tunc Concilium exercet in Papam jurisdictionem: nam dubius Papa, & de quo non conſtat, pro nullo habetur, cum in jure ſint paria, non eſſe, & non apparere.

Quod ſi Pontifex indubitatus ſit, ſed perditis moribus, & Chriſti Vicario indignis, qui tamen apertam Eccleſiæ perniciem non ſpectent; nulla hic opus Concilii ſuperioritate; mali enim mores Pontificem non continuo dignitate ſua ſpoliant, nec ille propterea deſinit eſſe Caput & Paſtor Eccleſiæ: eſſetque res peſſimi exempli, ob privata & domeſtica vitia, Principem gradu dejicere, & Majeſtatem regnantis ſubditorum criminationibus exponere, ſemper aliquid in Principum vita damnantium, & qui ut altiſſimo loco ſunt poſiti, nec omnium vota explere poſſunt, ita calumniis maxime & invidiæ ſubditorum patent. Et ideo ſacræ paginæ Principibus etiam malis dyſcolisque obtemperare nos volunt, Matth. 23. & Petri 1. Aliud eſt in Principe alicujus liberæ Reipublicæ, in qua ſicut Princeps a Magnatibus aut populo poteſtatem & imperium habet; ita poteſt ab iis adſtringi, & pro certis caſibus illius poteſtas ad populum & Magnates reverti: non ſic in Papa, qui a Deo immediate primatum, curamque univerſæ Eccleſiæ accepit, quæ a ſolo Deo limitari, reſtringique poteſt. Propterea Patres Concilii Rom. ſub Symmacho Papa, & Theodorico Italiæ Rege, pronuntiarunt, *Papam eſſe ſummum Paſtorem, nullius, extra cauſam hæreſis, judicio ſubjectum.* Tom. 2. Concil. Et Patres Oecumenicæ Synodi VIII. ſub Adriano II. *Ne quidem a Concilio Generali poſſe in Romanum Epiſcopum ſententiam dici.* Can. 21. Tom. 2. Concil.

cil. Rurſus Patres Synodi Romanæ ſub Leone III. *Rem inauditam eſſe, Romanum Pontificem in Concilio reum ſiſti, qui nunquam alium, quam ſe judicem habuerit.* Anaſtaſ. in Leone III. Baronius ad annum 800. Denique Patres Concilii Sinueſſani, *Non poſſe alterius ore, ſed ſuo tantum Papam judicari: illum reum, illum judicem ſui eſſe.* Acta Conc Sinueſſ. Tom. 1. Concil.

Si vero Pontificis mores adeo fœdi perditique eſſent, ut publicam perniciem minarentur, veluti ſi aliena invaderet, injuſtiſſimas leges conderet, Principum jura inique turbaret &c. tunc enim vero moneri, rogarique poterit; & ſi preces non proficiant, etiam bello & armis coerceri, aliisque modis compeſci, qui ad jus naturalis defenſionis pertinent. Ita Turrecremata lib. 2. cap. 6. Bellarminus de Concil. auctor. lib. 2. cap. 6. ultim. Et ratio eſt, quia in eo caſu non reſiſtitur Papæ, ſed invaſioni; nec in illum exercetur jurisdictio, ſed tantum jure defenſionis agitur, quod fundatur in præcepto & facultate naturali, quæ a Pontifice ſolvi, tollique non poſſunt, cum & ipſe ſit juri naturali ac divino ſubjectus.

Quid vero, *inquies*, ſi Pontificem perpetuo carcere, aut amentia teneri contingat, cujus erit de rebus fidei infallibilem & expertem erroris ſententiam ferre? Nunquid hoc ſaltem caſu, uti Sede vacante, Concilium generale ſupremam immediate a Chriſto jurisdictionem habet.

Reſp. In caſu perpetuæ amentiæ, & cujus curandæ ex Medicorum conſenſu ſpes nulla affulgeat, Papam haberi pro mortuo quoad vitam intellectualem, non tantum in actu, ut in dormiente, ebrio, aut phrenetico contingit, ſed etiam in potentia naturali. Quid autem mortuo Pontifice & Sede vacante Concilium poſſit aut non poſſit, non definimus, cum ipſa Eccleſiæ praxis quid fieri in ſimilibus caſibus debeat, ſatis oſtendat: nos vero de Concilii generalis poteſtate,

Digitized by Google

te, Sede Pontificali vacante, non diſputamus, ſed Concilium cum certo & legitimo Papa conferimus. Cæterum docent plures Authores, Sede vacante, poſſe tantum Concilium providere neceſſitatibus urgentibus, & ut Pontifex creetur, procurare; non autem quæ ad ſtatum Eccleſiæ univerſæ attinent, non expectato Pontifice definire. Ita inter cæteros Andreas Duvalius de Eccleſ. pot. p. 58. *Sicut*, inquit, *in Eccleſia Cathedrali Sede vacante nihil eſt innovandum, ita nec in Eccleſia univerſali deficiente ſummo Pontifice.*

Pontifice demum capto, relegato, aut perpetuo carcere detento, cujus nempe conveniendi nulla ſpes ſit, non propterea alium eligi poſſe, docet Cajetanus in opuſ. de auctor. Papæ & Concil. cap. 16. ſed imitatione Eccleſiæ primitivæ, cum Petrus ab Herode captus eſſet, orationem ſine intermiſſione ad Deum fundendam eſſe, ut Eccleſiæ ſubveniat.

Denique, ſi Concilium Pontifici anteponatur in deciſionibus fidei; neque hoc neceſſarium eſt: cum multis retro ſæculis definita fuerint dogmata, multæque hæreſes damnatæ ſola Pontificum opera, nulloque adhibito Concilio Oecumenico, ut alias diximus. Et ſi hæreſis aliqua Concilio indigeret, non tamen propterea Concilii authoritas Pontificiæ præſtaret; ſed Patrum ſuffragia confirmationi & directioni Pontificum ſubjacerent, ut pariter demonſtratum a nobis jam eſt. Unde patet, nullum omnino caſum dari, in quo Papa manens Papa Concilio ſubdatur: & ideo veriſſimam & univerſaliſſimam eſſe propoſitionem noſtram, Papam, quamdiu talis eſt, Concilio non ſubdi: eos proinde, qui adhuc contrarium tuentur non tam Eccleſiæ cauſam, quam ſuam agere, neque illius damno, ſed ſuo proprio cavere: atque ita periculo ſaltem ſe exponere, ne eo denique adducantur, ut nec Papæ, nec Conciliis obediant, vivantque exleges; quemadmodum in Novatoribus noſtris triſti experientia factum vidimus.

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur ad argumenta Adverſariorum.

VII. OBjiciunt 1mo Scripturam, & ante omnia locum Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ſi autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum vel duos - - - quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram &c.* Hic, inquiunt, Chriſtus Apoſtolos, eorumque Succeſſores alloquitur, a quibus vult Chriſtianos incorrigibiles Eccleſiæ denuntiari, ab eaque damnatos ad nullum alium judicem remittit, præſertim quod ſtatim ſubjiciat, *quæcunque alligaveritis &c.* Vult ergo Chriſtus ultimum eſſe tribunal Eccleſiæ, & a Petro ad Eccleſiam tanquam majoris poteſtatis judicem provocari.

In Actis Apoſtolorum cap. 15. cum Apoſtoli Concilium Hieroſolymis celebraſſent, in epiſtola Synodali, quam ad fideles dederunt, ſic ſcribunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris &c.* ubi nulla ſit mentio Petri, ſed Collegii tantum Apoſtolici; & hujus, non Petri nomine, Concilium definit & imperat. Rurſus Actor. cap. 20. dicitur: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam Dei.* Ergo non ſoli Papæ, ſed etiam Concilio Epiſcoporum commiſſa eſt Eccleſiæ cura & gubernatio.

Denique ad Galat cap. 2. *Paulus, cum Cephas veniſſet Antiochiam, in faciem ei reſtitit, quia reprehenſibilis erat &c.* Petrus dicitur fuiſſe reprehenſibilis, & propterea a Paulo correctus, palamque reprehenſus; quanto magis igitur poterit Pontifex, ſi exerret, a Concilio judicari, corrigique. Hæc fere ſunt Scripturæ loca, quibus Adverſarii utuntur ad elevandam Pontificis authoritatem, eumque Conciliis ſubji-

jiciendum. Sed ea nobis, cæteriſque omnibus Theologis, qui contrarium ſentiunt, tam infirma longeque ducta videntur, ut mirari ſubeat, Viros alioquin doctos rationibus adeo leviter maleque armatis & ipſos ceſſiſſe, & alios oppugnare conatos eſſe. Itaque

Reſp. imprimis ad locum Matthæi, nullum in eo ſermonem eſſe de Conciliis: nomine enim Eccleſiæ, cui Chriſtus jubet obſtinatos denuntiari, intelliguntur ii omnes, quibus poteſtas ligandi, ſolvendique conceſſa eſt; ut patet tum ex fine denuntiationis, qui eſt correctio; tum ex adjunctis illis verbis, *Quæcunque alligaveritis ſuper terram &c.* Certum eſt autem poteſtatem ligandi ſolvendique non tantum ad Concilium, ſed quemvis Epiſcopum, aliosque Eccleſiæ Prælatos pertinere. Quod ſi Eccleſiæ nomine Concilium univerſale eo loco intelligi debeat, oportebit illud congregari, quoties Chriſtianus furto, adulterio, homicidio peccat, & in peccatis hujusmodi, ſpretis aliorum correptionibus, perſeverat, ut illic delinquentis cauſa & pertinacia ventiletur; quo nihil certe abſurdius dici poteſt. Legitimus ergo objecti loci ſenſus eſt: *Si peccaverit in te frater tuus;* isque ſecretæ & fraternæ admonitioni tuæ non acquieverit, dic Eccleſiæ, hoc eſt, Paſtori proprio, qui Eccleſiæ præeſt, ut explicat S. Chryſoſtomus Homil 61. in Matth. S. Thom. in 4. d. 19. & 22. q. 24. Albertus M. in Matth. 18. Theophylactus, Euthymius & alii paſſim. Ipſe enim Prælatus, cum agit ut Superior & publica perſona, utiturque poteſtate Eccleſiaſtica, vulgari & nota phraſi Eccleſia vocatur, quia hanc repræſentat. Cæterum, ſi etiam detur, eo Evangelii loco Eccleſiæ nomine Concilium univerſale intelligi; non tamen evincitur, ſermonem eſſe de Concilio ſine ſuo Capite, & a Pontifice ſeparatum, de quo ſolum hic diſputamus, an ſupra Pontificem tolli poſſit.

Digitized by Google

Ad verba illa Actor. 15. quibus Apoſtoli in unum congregati epiſtolam ſuam Synodalem concludunt, *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis &c.* *Reſp.* Conciliorum omnium etiam quibus Rom. Pontifex cum ſumma poteſtate præeſt, hunc eſſe morem & ſtylum, ut nomine Concilii decreta expediantur; nec propterea excluditur authoritas Pontificia, quæ primas in Concilio partes agit. Imo in illo ipſo conventu Apoſtolico, ubi omnes a Spiritu S. immediate gubernabantur, multa Primatus ſui argumenta reliquit Petrus, ut alibi oſtendimus.

Ex altero textu Actor. 20. nihil aliud inferri poteſt, quam quod quilibet Epiſcopus, dum propriam & particularem Eccleſiam regit, hoc ipſo & immediate Eccleſiam regat univerſalem, bono & regimine partium in totius commodum & gubernium cedente: ſicut bonum & malum unius membri in totius corporis bonum & malum redundat, & tamen corporis totius, omniumque membrorum motus & directio a capite pendet, a quo & influxum, & ſpiritus, motumque accipiunt. Ergo & Papa, & Epiſcopi poſiti ſunt Eccleſiam regere, ſed iſti ut membra, ille ut Caput; iſti particulares Eccleſias, ille totam & univerſalem.

Denique locus ille ad Galatas, quo ſibi & Hæretici, & Catholici quidam Adverſarii tantum blandiuntur, nihil ad præſentem rem facit. An, & quomodo Petrus ea in re peccaverit, dicemus poſtea: ex eo autem quod reprehenſus fuerit a Paulo, Pontificiæ authoritati, de qua hic eſt quæſtio, ne quidquam derogatur. Alterius namque errores reprehendere, in illos declamare, & ſi vergant in communem perniciem, illis etiam reſiſtere, nullam ſuperioritatem arguit. Hinc non negamus, Pontificem & poſſe, & debere, cum meretur, reprehendi; quod D. Bernardus, quod Petrus Damiani, quod Hieronymus, aliique fecerunt, multo magis Concilium facere poteſt, ut ſupra diximus.

VIII.

VIII. *Objiciunt 2do* complures textus Canonicos : & Primo quidem Can. *confidimus* 25. q. 1. ubi dicitur, ſummum Pontificem ſacris Canonibus & univerſalium Synodorum Decretis alligari, *& ea nullam magis exequi Sedem, quam primam oportere.* Concilium ergo Papæ leges, parendique neceſſitatem imponit; quod eſt ſuperioritatis argumentum.

Secundo, Can. *ſicut Sancti*, d. 15. ubi Gregorius M. dicit, *ne quidem a ſummo Pontifice ſolvi poſſe, quos quinque Concilia Oecumenica ligarunt; aut ligari, quos illa ſolverunt.*

Tertio, Can. *legimus* 24. d. 93. qui exſcriptus eſt ex epiſtola Hieronymi ad Evagrium, ubi hæc habentur: *Sed dicis: quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi præfers unius Urbis conſuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vendicas? ſi auctoritas quæritur, Orbis major eſt Urbe.* Ergo ex ſententia B. Hieronymi, Concilium univerſale, quod totum Orbem Chriſtianum repræſentat, majoris eſt auctoritatis, quam Urbs, & Urbis Romanæ Epiſcopus.

Et ideo Gloſſa in hunc locum, *Eſt hic*, inquit, *argumentum, quod ſtatuta Concilii præjudicant ſtatutis Papæ.* Et in Can. nemo 9. q. 3. *Cum Papa peccat, poteſt ejus peccatum etiam Eccleſiæ denuntiari.* Rurſus in Can. ſi Papa d. 40. *Certe credo, quod ſi notorium eſt crimen Papæ, & inde ſcandalizatur Eccleſia, & incorrigibilis eſt, quod inde poſſit accuſari; nam contumacia dicitur hæreſis.* Can. ſi qui Presbyteri, d. 81. *& contumax dicitur infidelis.* Can. nulius d. 38.

Reſp. ad primum, citato Canone ſermonem potiſſimum eſſe de quibusdam Conciliorum & ſacrorum Canonum ſtatutis, quæ ad jus divinum & naturale pertinent, ut patet ex Can. *ſunt quidam* 25. Can. 1. *omne &c.* ejusmodi autem ſtatuta ſummum Pontificem æque obligant, ac quemcunque alium, ut conſtat. Quæ vero ſunt tantum juris humani, ea ex ho-

neſtate obligant Pontificem, non ex neceſſitate. L. *ex imperfecto* ff. *de Legat*. 3. Vel obligant quoad vim directivam non coactivam, ut habet S. Thom. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. cum enim Principis exemplum plurimum valeat; durum eſt, ab aliis legis obſervantiam exigere, quam Princeps ludibrio habet, infringitque. Vel certe dicendum videtur, Pontificem Decretis ejusmodi & ſtatutis alligari eo ſenſu, quod ea non poſſit temere, paſſim, & abſque legitima gravique cauſa ſolvere, aut in iis diſpenſare: id enim quid aliud eſſet, quam poteſtate ſibi a Chriſto data ad ædificationem Eccleſiæ ad ejus deſtructionem abuti. Neque dicas, arbitrariam hanc eſſe Canonum illorum expoſitionem. Nam ſi velis eos crude & in rigore intelligi, admittere oportebit, quod nemo admiſit hactenus, Pontificem non ſolum ſtatutis Generalium Synodorum, ſed etiam particularium, ſanctorumque omnium Patrum ſubjacere, de his enim omnibus ii Canones loquuntur.

Ad ſecundum dicimus, ſermonem ibi eſſe de Hæreticis, quos ea Concilia damnarunt. Neque enim in poteſtate Pontificis eſt efficere, ut ſit vera fides, quæ non eſt; aut ſit hæreſis, quod hæreſis non eſt. Quod ſi velis ſermonem eſſe de iis, quæ ſunt juris mere humani; etiam iſta ſine gravi & juſta cauſa a ſummo Pontifice mutari non poſſe, jam monuimus. Dicimur autem communiter ea facere non poſſe, quæ honeſte liciteque fieri nequeunt.

Ad tertium: S. Hieronymus in Can. cit. non agit de poteſtate Romani Pontificis, ſed invehitur in ſuperbos quoſdam Diaconos, qui ſe Præsbyteris æquabant, & præferebant; cum enim bonorum Eccleſiæ adminiſtratio illis commiſſa eſſet, teſte B. Auguſtino *in quæſt. ex utroque mixtis* q. 101. fiebat, ut a populo, qui non tam dignitatem, quam lucrum ſpectabat, magis colerentur, ipſique propterea ſupercilium at-

attollerent. Iſtorum ergo arrogantiam Hieronymus redarguit, docetque, totius orbis Presbyteros ante Diaconos venerantis conſuetudinem merito preferendam eſſe paucorum Romanorum Diaconorum abuſui, qui ſe immerito Presbyteris anteponebant.

Ad Gloſſam reſpondemus, eam in his, quæ ad fidem & doctrinam Theologicam ſpectant, non magnæ eſſe authoritatis, ut vel ex eodem loco ſit manifeſtum. Ibi namque quærens, *Pro quo peccato deponi Imperator poſſit?* Reſpondet: *Pro quolibet, ſi eſt incorrigibilis; unde deponitur, ſi eſt minus utilis.* Quæ Gloſſæ opinio erronea eſt, viamque ſeditionibus aperit, & ipſi repugnat Evangelicæ doctrinæ Matth. 23. & Petri 1. Cæterum Gloſſa ſolum dicit, *peccatum Papæ Eccleſiæ denuntiari poſſe.* Aliud autem eſt Papam Concilio denuntiari, aliud judicari poſſe: denuntiationem ad effectum juſtæ & charitativæ reprehenſionis, ac ut de mediis emendationi neceſſariis proſpiciatur, non negamus, & eam jam dudum Octava Oecumenica Synodus admiſit. Alioquin autem Gloſſa in Can. *Nemo* 9. q. 3. expreſſe dicit: *Etiamſi totus mundus ſententiaret in aliquo negotio erga Papam, videtur quod ſententiæ Papæ ſtandum eſſet;* ut in C. hæc eſt fides 24. q. 1.

IX. *Objicint* 3*tio* auctoritatem Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis.

Conſtantienſe Seſſ. 4. & 5. declarat, Synodum, univerſalem poteſtatem immediate a Chriſto habere, cui quilibet cujuſcunque conditionis ſit, etiam Papalis, obedire teneatur. Et Seſſ. 15. omnes cujuſcunque dignitatis etiam Papalis, qui venientes ad Concilium impediunt, excommunicat. Rurſus Seſſ. 39. præcipit futuris Pontificibus, ut ſingulis deceniis Concilium generale cogant: & ſi contingat duos

inſignia Pontificalia induere, jubet ſub interminatione divinæ maledictionis continuo renuntiare. Denique Seſſ. 45. Oratores Regis Poloniæ Martino V. jam electo Pontifici ſupplicant, velit libellum quemdam, & opiniones Joannis de Falkenberg hæreticas, & in Concilio publice damnatas declarare; *niſi* faciat, ſui Principis nomine ad futurum Concilium ſe appellaturos. Ex quibus omnibus facile colligitur, Patres Conſtantienſes & definiviſſe, & ipſo facto oſtendiſſe, Concilium omnino ſuperius eſſe Pontifice, & huic leges præſcribere poſſe, quas ipſe obſervare teneatur.

Idem & multo adhuc clarius definivit Concilium Baſileenſe. Nam Seſſ. 2. expreſſe dicit Concilium eſſe ſupra Papam. Seſſ. 3. monitorium contra Eugenium IV. expedit, pœnasque non obtemperanti decernit. Seſſ. 8. Eugenium autoritative & ſub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. Seſſ. 9. reſcindit omnia acta & proceſſus ab Eugenio contra Wilhelmum Concilii Protectorem factos. Seſſ. 14. conditiones Eugenio Papæ tribus formulis comprehenſæ a Concilio præſcribuntur, in quas niſi conſentiat, Papatu exuitur. Seſſ. 16. Eugenius, ut ibi habetur, *citationi*, *monitioni*, *& requiſitioni ſacri Concilii plenarie ſatisfacit;* Bullas & diplomata contra Concilium a ſe edita nulla & inania fuiſſe declarat; ipſum vero Concilium fuiſſe legitime inchoatum, legitimeque continuatum: quo videtur Eugenius omnia in ſuperioribus Seſſionibus facta, & conſequenter citationes ac ſententias contra ſe dictas confirmaſſe, & Concilii authoritatem ſupra legitimum Papam agnoviſſe. Idem præſtitere Legati Eugenii in appendice ad Seſſionem 17. quæ habetur poſt acta Concilii, ubi legitur eos juraſſe, quod velint *fideliter laborare pro ſtatu & honore Concilii Baſileenſis*, *ejusque Decreta defendere & manu tenere*, *& ſpecialiter decretum Concilii Conſtantienſis de ſubjectione Pontificis.* Denique Seſſ. 26. 31. & 33. Eugenium in

jus

jus vocat, ſuſpendit, deponit: ac demum Seſſ. 39. Amadæum Sabaudiæ Ducem ſub nomine Felicis V. Papam renuntiat.

Reſp. Concilium Conſtantienſe ſupremæ Romani Pontificis authoritati ne quidquam derogare, ſed ei potius ſuffragari, patet primum ex eo, quod Concilium electo ſemel Martino V. nihil amplius, ut ante electionem, ſtatuerit, prohibuerit, definiverit &c. ſed omnia nomine electi Pontificis, ab eoque deinceps, ſacro approbante Concilio, ſint conſtituta; quod argumento eſt, ſupremam Concilii poteſtatem, Pontifice jam electo, ceſſaſſe. Secundo, quia Seſſ. 15. & 17. Pontifici futuro & indubitato reſervatur poteſtas diſpenſandi in iis, quæ a Concilio ſtatuta ſunt, relaxandique cenſuras ab eodem fulminatas. Et Seſſ. ult. expreſſe definitur, ſupremam in Eccleſia poteſtatem, non penes Concilium, ſed penes Papam eſſe. Tertio, quia Martinus V. prohibuit appellationes ab Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice; quæ certe prohibitio abſona fuiſſet, ſi Concilii judicium judicio Papæ ſuperius exiſtimaſſet. Quis enim judicem non rideat, a ſua ſententia ad judicem ſuperiorem appellare vetantem in iis cauſis, in quibus alius eſt revera Judex ſuperior. Fuit autem promulgata illa Martini V. Conſtitutio in Conſiſtorio Generali, celebrato Conſtantiæ ſexto idus Martii anno 1418. Pontificatus primo, & Concilii ultimo, quod terminatum 10. Kal. Maji ejuſdem anni.

Nec obſtant in contrarium allegata; ſemper enim Concilium loquitur de caſu ſchiſmatis & Pontificis dubii, ut claris conceptiſque verbis, & ſæpe repetitis Patres ſe ipſos explicant, idque tam enixe, ut videantur præcaviſſe, ne quis in errorem induceretur, verbis Concilii male intellectis. Ad id, quod adducitur ex Seſſ. 39. ſtatuit quidem Synodus, ſingulis deceniis Concilium cogi debere, ſed nullo modo id fu-

Digitized by Google

futuro Pontifici imperat: poteſt enim Concilium ſtatuere leges, quæ etiam Pontificem quoad vim directivam obligent, maxime cum ordinantur ad bonum commune, & ad pacem quietemque publicam conſervandam; qua ratione, quamvis nemo ſibi ſubjectus ſit, Princeps tamen, ut communis habet ſententia, ſuis legibus obligatur.

Ad appellationem a Papa ad futurum Concilium, nomine Regis Poloniæ factam non poteſt melius reſponderi, quam Martinus V. ipſe reſponderit, ut habetur in actis Concilii Seſſ. 45. Cum enim animadverteret, Legatos Poloniæ ex Synodi Conſtant. doctrina male intellecta animos appellandi ſumpſiſſe, continuo reſpondit: *Se, quæ in puncto fidei contra Wicleſſum & Huſſum a Patribus eſſent conciliariter decreta, ſancte obſervaturum, & rata & confirmata habere: non vero quæ ad fidem non pertinerent, aut quæ non conciliariter, hoc eſt, cum debito examine, diſcuſſione, initisque ſuffragiis, eſſent definita.* Quod ſuum reſponſum & proteſtationem voluit inſuper Papa in acta publica Concilii referri, & ab ejusdem Concilii Notariis & Actuariis ſolemnia & authentica inſtrumenta confici. Et reipſa in Bulla confirmatoria Concilii, quæ ad calcem ultimæ Seſſionis habetur, Martinus V. ex actis in Concilio Conſtantienſi nihil aliud confirmavit, quam damnationem Wicleſſi & Huſſi a Patribus ſynodaliter factam.

Cum ergo ea ſententia, quæ Concilium Papa ſuperiorem facit, non tantum de fide non ſit; ſed potius ſacræ Scripturæ, Conciliorumque teſtimoniis contraria videatur, & a communi SS. Patrum, cæterorumque Doctorum ſenſu aliena, atque ab iis propterea graviter perſtricta; etiamſi daremus, fuiſſe in Concilio Conſtantienſi aſſertam, nunquam tamen confirmata fuit a Martino V. qui expreſſe profitetur, ſibi animum non eſſe Concilium confirmandi, niſi quoad ea, quæ fidei ſunt; non vero illa, quæ ad fidem non pertinent, multo-

Digitized by Google

toque minus quoad illa, quæ videntur principiis fidei adverſari qualis eſt opinio, quam impugnamus; eam certe non ſolum ante Concilium Conſtantienſe, ſed etiam poſtea magni nominis Authores erroneam judicarunt.

Quapropter non ſatis intelligimus, qua ratione Præſules conventus Pariſienſis inducti fuerint, ut dicerent: *Non probari ab Eccleſia Gallicana, qui Decreta Concilii Conſtantienſis Seſſ.* 4. *&* 5. *ad caſum ſchiſmatis detorquent, eorumque robur infringunt, quaſi ſint dubiæ authoritatis, ac minus approbata.* Quaſi vero nos pro arbitrio dicamus, extra materiam fidei Concilium non fuiſſe a Martino V. approbatum; & non id ipſe Martinus profiteatur, ipſa Concilii Acta Seſſ. 45. Tabelliones ipſi, & inſtrumenta ab illis confecta, non palam teſtentur. Sed nunquid etiam Comitiis Cleri Gallicani inferior eſt authoritas Papæ, ac illorum potius, quam ſummi Pontificis ſequenda ſententia? Eodem pacto non ſumus nos, qui Decreta Concilii ad caſum ſchiſmatis reſtringimus, ſed Concilium ipſum tam claris, tamque repetitis verbis ea reſtringit, ut non aliis argumentis ſit opus, ſed ſola Concilii lectione: ex ea namque abunde patebit, mentem Concilii pro ſummi Pontificis authoritate adeo claram eſſe, ut de illius ſententia non niſi ab illis dubitari poſſit, qui partem tantum aliquam Concilii legunt, ea, quæ veritatem aperit, prætermiſſa.

Ad auctoritatem Synodi Baſileenſis, quæ & repetitis toties definitionibus, & ipſo facto diſſertiſſime oſtendit, Papam omnino Concilio ſubjici, haud melius reſponderi poteſt, quam ſi re altius repetita, tota Concilii illius hiſtoria ſub oculos poneretur, ſic enim ſe ipſam veritas optime proderet. Sed cum id non ſit hujus loci, ad Scriptores Eccleſiaſticos Lectorem remittimus. Nobis in præſenti adnotaſſe ſufficiet, ipſos Gallicanos Præſules illius Concilii authoritatem prætermiſiſſe

licet ei, quam adhibuerunt, Concilii Conſtantienſis Decretorum interpretationi ſuffragaretur. Hoc eorum ſilentium ſufficientiſſima eſt reſponſio, quia abunde indicat, cujus authoritatis ſint etiam ex ipſorum mente, Decreta Baſileenſia. Fuit quidem, non diffitemur, Baſileenſis Synodus legitime convocata, inchoataque; ſed poſtea ex graviſſimis & publicis cauſis diſſoluta, ejuſque decreta ſæpe & graviter ab Eugenio Pontifice reſciſſa damnataque novimus. Ipſe Cardinalis Turrecremata, qui omnium, quæ in Concilio fiebant, ſpectator aderat, negat Eugenium unquam adduci potuiſſe, Concilio licet omnia movente, ut ejus Decretis ſubſcriberet. Et quamvis hic poſtea metu impendentium malorum, ac præſertim erumpentis ſchiſmatis, Baſileenſe Concilium inſtauraverit, revocatis iis, quæ adverſus illud ediderat; hæc tamen revocatio graviſſimo metu extorta, ipſoque Pontifice domi foriſque armis & periculis obſeſſo, & vitæ ac libertatis incerto, nulla omnino fuit, neque potuit iis prævalere, quæ ante & poſt revocationem illam libere abEugenio contraConcilium ſancita fuere: nam ut in ſimili cauſa ſcribit B. Athanaſius in epiſtola ad ſolitarios: *Non eſt cenſenda ejus ſententia, quam minæ & terrores extorſerant, ſed ea, quam protulit, cum liberos haberet affectus.* Quodſi etiam demus, Eugenium humani aliquid paſſum, minori quam decuit conſtantia Pontificiam dignitatem tutatum eſſe; nihil is tamen propterea in fidem deliquit, cum Decreta Baſileenſia, quantumvis temeraria & abſurda, nihil contra fidem ſtatuerint. Nam quæ deinde a Baſileenſibus ſunt ſancita; præſertim vero, *hæreticum eſſe, qui negat Papam Concilio ſubjici;* certum eſt, nunquam ab Eugenio fuiſſe confirmata, ut ex Turrecremata ſupra notavimus: imo & ab ipſo, & a majore ac ſaniore Prælatorum parte expreſſe rejecta fuere.

Cæterum ſi Concilii hujus hiſtoriam accurate expendamus, ex eo ipſo argumentum non leve deſumi poterit, ad

con-

Digitized by Google

confirmandam Papæ ſupra Concilium authoritatem. Nam inprimis Baſileenſium exemplo patuit, quanti periculi ſit Concilium a Papa ſeparari, ejusque authoritati obſiſtere: quantumvis enim multa in eo Concilio præclare ſtatuta fuerint; ubi tamen Pontifici præferri voluerunt, negari haud poteſt, omnia fuiſſe per ſummam ambitionem, rixas, factiones, violentiam, & tumultus peracta, adeo ut oportuerit Principes arma adhibere, ad diſſipandum tam pernicioſum Eccleſiæ conventum.

Deinde, quamvis Patres obniterentur, cœlum terramque miſcerent, Eugenium in jus vocarent, illi Pontificatum adimerent, alio in Romanam Sedem impoſito; Eugenius tamen Conventui Baſileenſi, invito licet, aliud Oecumenicum Concilium Florentiæ oppoſuit, quod Eccleſia Græca Latinaque ut legitimum amplexa, & ſimul Baſileenſe latrocinium, erectumque, ut vocabant, idolum abominata eſt: ſicque communi totius orbis ſuffragio deciſum fuit, nullam eſſe Concilio in Pontificem authoritatem; imo ab hoc tanquam ſuperiore poſſe illud diſſolvi.

Galli ipſi, qui aliquamdiu Concilio Baſileenſi contra Eugenium adhæſerant, ubi tamen veritatem edocti ſunt, videruntque, dum Baſileenſes ambitioni privatisque rationibus ſtudent, periclitari Eccleſiam; non ſolum ad Eugenii partem tranſierunt, ſed aperte profeſſi ſunt, Concilii authoritatem infra Papalem eſſe: Sic enim Epiſcopus Meldenſis Princeps Legationis a Carolo VII. Francorum Rege ad Eugenium adornatæ in ſacro Purpuratorum Senatu, ſui Regis, Gallorumque nomine inter alia locutus eſt: *Nimio fervore reſiſtendi ad hanc veſaniam devenerunt, quod ſupremam poteſtatem in uno ſuppoſito conſiſtere denegant; ſed eam in multitudine, quæ cito in diverſa ſcinditur, collocant, & pulcherrimam Monarchiam Eccleſiæ, qua Chriſtianos hucuſque tenuit in unitate fidei, in una profeſſione Religionis Chriſtianæ, in uno ritu Sacramento-*

rum, in una obſervantia mandatorum, atque pacem & tranquillitatem aſſeruit, abolere & ſupprimere contendunt &c. Vid. Raynaldum ad annum 1441. Neque hic ſolum, ſed alias etiam reperimus Gallos ſupremam in Pontifice poteſtatem & Concilio majorem publice teſtatos eſſe: nempe ſub Carolo M. Imperatore, cum Synodo in cauſa Leonis III. Romæ coacta a Francorum Epiſcopis conclamatum eſt: *Nos Apoſtolicam Sedem, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, judicare non audemus, nam ab ipſa nos ommnes judicamur: ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit.* Vid. Anaſtaſium in Leone III. Æmilium in Carolo M.

Rurſus in Concilio Lateranenſi V. Fridericus Cardinalis S. Severini, Claudius electus Epiſcopus Maſſilienſis, & Ludovicus Dominus de Soteriis, Legati Regis Chriſtianiſſimi, ſuo & Regio nomine, coram notariis & teſtibus in litteris patentibus Regis manu ſubſcriptis, ejusdemque ſigillo munitis, pure, libere, & ſimpliciter ſacroſancto Concilio Lateranenſi tanquam vero, unico & legitimo adhærent. Hoc autem Concilium Seſſ. 11. expreſſe docet, Papæ auctoritatem Concilio præcellere, *& auctoritatem ſuper omnia Concilia habere;* idque exemplis antiquorum Conciliorum demonſtrat.

Cum ergo in orbis totius conſpectu toties & tam ſancte ſupremam in Pontifice Romano poteſtatem agnoverint Galli, parique reverentia profeſſi ſint, eamque Conciliis prætulerint, neſcimus plane, quænam ſit illa Callicana Eccleſia, antiquæ tam diſſimilis, quam Conventus Pariſienſis Pontifici opponit: ſi enim eadem eſt doctrina & fide cum antiqua, cur aliud docet, creditque? ſi vero alia eſt ab antiqua, novam hanc doctrinam merito ſuſpectam habemus.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Authoritate ſummi Pontificis etiam extra Concilium in definiendis fidei & morum quæſtionibus.

I. DUo ſunt, quæ Galliæ Præſules in Conventu Pariſienſi adverſus ſummi Pontificis authoritatem, tanquam Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus noxiam, famoſa ſua Declaratione definivere; ſcilicet Pontificem Romanum Concilio Generali ſubdi, eoque eſſe inferiorem; & in fidei morumque quæſtionibus errori obnoxium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

De primo, quantum ſufficere videbatur, toto ſuperiore Capite diſputavimus. Alterum, quamvis ejus falſitas ex prioris refutatione utcunque appareat, ut tamen tanto clarior evadat, in præſenti accuratius examinandum eſt; & ſingillatim expendendum, utrum declaratio Præſulum Gallicanorum cum Scriptura ſacra conſentiat, aut ſacris Canonibus & Patrum traditione, quæ dicuntur fundamenta libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, nitatur: an non potius verum ſit, eam ſententiam, quemadmodum de priore illa diximus, non niſi poſt ſchiſma tempore Concilii Conſtantienſis a paucis quibusdam vel novitatis, vel rerum ſuarum nimium ſtudioſis, in lucem editam; antea vero judicium Pontificis in rebus fidei tanquam indubitatum habitum fuiſſe, non propter aut poſt Eccleſiæ conſenſum, ſed propter non errandi privilegium B. Petro & ejus Succeſſoribus a Chriſto collatum.

Porro Romanum Pontificem tanquam Doctorem privatum hanc infallibilitatis prærogativam non habere, ſed in errorem prolabi poſſe, ultro inter omnes convenit. Theologi ergo illi, qui ipſius in fidei & morum quæſtionibus definiendis infallibilitatem tuentur, hanc certe eidem non tribuunt, cum quidpiam privatim, & more aliorum Doctorum

vel ſcripto vel ore profert; ſed tunc duntaxat, cum velut Papa & Caput Eccleſiæ, ſolemniter, auctoritative, ex Pontificia poteſtate, ſeu, quod ajunt, *ex Cathedra* loquitur,

Hanc Papæ ut *Papæ*, & ut *privati Doctoris* diſtinctionem initio quidam Gallicani Theologi, ut Launojus in ſuis Epiſtolis, Carolus Dupleſſis in Elem. Theol. cap. 9. ipſe etiam Benignus Boſſuet Meldenſis Epiſcopus in Defenſ. Declar. Cler. Gall. part. 2. l. 15. velut quid veteribus incognitum, & a recentioribus Theologis excogitatum ſugillant. Sed quam immerito, & omni ratione deſtituti id faciant, perfacile eſt oſtendere. Vetera quippe ſummorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum monumenta evolventi cuique manifeſtum fit, didiſtinctionem hanc ab ipſis agnitam fuiſſe, & frequentius adhibitam, ubi ſcilicet de Papæ ſuprema authoritate ſermo fuit. Agnovit utique ſexta Synodus Oecumenica, quæ Agathonis Romani Pontificis Epiſtolam, in qua ea Papæ infallibilitas tanquam indubitata veritas profertur, Seſſ. 8. & 18. non approbavit modo, ſed etiam ſummis laudibus extulit, palamque profeſſa eſt, in illa non tam Agathonem, quam Petrum locutum fuiſſe, agnovitque Cathedram Petri & Succeſſorum omnis erroris in fide expertem eſſe; & tamen Seſſ. 13. Honorium Papam hæreticum fuiſſe pronuntiavit, & ut talem damnavit: ubi manifeſte Concilium diſcrimen indicat inter Pontificem e cathedra, & ex privata tantum opinione docentem; & in hoc caſu errare poſſe, non item in primo.

Agnovit etiam S. Auguſtinus, qui contra Donatiſtas diſputans, ſæpe cathedram a perſona, hoc eſt, *errorem perſonalem a cathedrali* diſtinguit, hunc negat in Petri Succeſſores cadere, illum concedit. Vide ejusdem S. Doctoris epiſt. 165. Agnovit ipſa Gallia, cum ſæculo XIV. per Oratores ſuos Clementem V. hiſce allocuta eſt: *Non quæritur de hæreſi Papæ ut Papæ, ſed ut privatæ perſonæ, nec ut Papa potuit eſſe hære-*

re-

Digitized by Google

reticus. Hiſt. du different pag. 399. Eandem diſtinctionem adhuc ſub finem præteriti ſæculi in ipſa Gallia agnitam fuiſſe, teſtis locuples eſt Joannes Cabaſutius, Gallus ipſe & Scriptor celebris, dum in ſua Notitia Eccleſiaſtica ſæcul. VII. Synod. Oecum. VI. adverſus illos, qui Honorium Papam ab hæreſi purgare conantur, hæc eloquitur: *Parum vero juvat, quod Agatho Pontifex in ſua ad Conſtantinum epiſtola ſcribit: Sedem Apoſtolicam nunquam defeciſſe, aut deficere, ſuorumque Prædeceſſorum neminem in fide aberraſſe. Imprimis enim de Sede Apoſtolica, nunquam erraſſe, neque futurum, ut erret contra fidem orthodoxam, Catholici omnes ultro fatentur: ſed omnibus in confeſſo eſt, ad Apoſtolicam Sedem non pertinere, quidquid ſummus Potifex privatim, vel ſcriptis vel ore profert.* Hæc Cabaſutius ſub finem præteriti ſæculi, & paulo ante Conventum Pariſienſem anni 1682. Quæ certe ignorare non poterant Gallicani Theologi: ut proide non ſatis intelligamus, quo jure aut merito, hanc in Romano Pontifice diſtinctionem tam dire perſtringant, & veluti novam explodant. Demus enim, primum poſtremis duobus ſæculis, ad vitandam nempe earundem prorſus rerum moleſtam repetitionem, hanc vocem *ex cathedra* cœpiſſe a Theologis uſurpari; an propterea ſignificationi ſeu ſenſui ipſius, quem ſemper tenuit Eccleſia, præjudicium aliquod infertur? minime profecto: tot enim ſunt illius præſidia, tanta authoritas, ut nemo, niſi quem intempeſtiva cavillandi libido exagitat, merito illam reſpuere, atque legitimam eſſe, negare poſſit.

Cum ergo in hoc Capite dicemus, Romani Pontificis judicium in rebus fidei, eſſe ultimum, infallibile, irreformabile; de Romano Pontifice loquimur, non ut privata perſona eſt, & aliorum Doctorum inſtar ſcribit, docetque; ſed ut eſt Pontifex, & ex Pontificia authoritate Eccleſiam univerſalem docet, ac rebus mature diſcuſſis, adhibitisque omni-

nibus humanis mediis diligentiæ, ſtud'i, conſultationis &c. cauſam aliquam definit, & quæ definivit, jubet tanquam fidei veritatem haberi, & qui non habent creduntque, hæreticos pronuntiat. Hoc ergo eſt Pontificem agere, & ex cathedra loqui; quod nulli Doctorum, aut Epiſcoporum convenit.

Cum autem dicitur, Papam, ut abſque errandi periculo aliquid definiat, oportere omnia humana media ſtudii, conſultationis &c. adhibere; non debet propterea certo alicui medio, aut conſultationi alligari, fruſtranea enim alioquin & inefficax foret in Papa talis auctoritas. Nam quorum error damnatus eſſet, ii prætendere ſemper poſſent, ſe illegitime damnatos, quod nempe Papa paucos conſilio adhibuiſſet, aut imperitos rerum, aut odio ductos, aut denique præconcepta opinione occupatos, & partium ſtudiis addictos; quæ omnia Hæretici noſtri temporis Concilio Tridentino objecerunt. Modo ergo præſumi non poſſit, Romanum Pontificem in cauſis fidei decidendis temere proceſſiſſe, illius judicio omnino ſtandum eſt; Deoque curæ erit, non permittere, ut abſque ſufficienti examine & prudentia ſententia feratur: ejus enim eſt, qui fidem conſtituit, etiam media fini neceſſaria curare. Propterea in Concilio Tridentino Seſſ. 25. de Reform. cap. ult. Romani Pontificis prudentiæ & diſcretioni committitur, quem in rebus ambiguis definiendis induſtriæ modum adhibere velit. Verba Concilii ſunt: *Quod ſi in his recipiendis difficultas aliqua oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, aut definitionem poſtulant; præter alia remedia in honcilio inſtituta, confidit S. Synodus, Beatiſſimum Romanum Pontificem curaturum ut vel evocatis ex illis præſertim provinciis, unde difficultas orta eſt, iis, quos eodem negotio tractando viderit expedire; vel etiam Concilii Generalis celebratione, ſi neceſſarium judicaverit; vel commodiore quacunque ratione ei viſum fuerit, provinciarum neceſſitatibus pro Dei gloria & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur.* His poſitis ſit

ASSER-

Digitized by Google

ASSERTIO.

Summi Pontificis, quamvis extra Concilium, in quæſtionibus fidei definiendis indubia & infallibilis eſt auctoritas.

II. PRobatur primo authoritate ſacræ Scripturæ, & quidem ex iis ipſis locis, quæ ſupra pro Romanorum Pontificum primatu & ſuprema etiam in Concilia Oecumenica authoritate, attulimus & expendimus.

Huc igitur inprimis facit ille locus Matth. 16. & Joan. ult. ubi ex omnium Catholicorum ſententia Petro, ejusque Succeſſoribus dicitur, eos eſſe *petram & fundamentum Eccleſiæ, contra quam portæ inferi non prævalebunt;* illis tanquam totius Eccleſiæ Paſtoribus, omnium Chriſti ovium cura & regimen per ea verba committitur: *Petre amas me? paſce oves meas.* Quinam genuinus verborum iſtorum ſit ſenſus, jam expoſitum eſt: nunc ex illis pro ſummi Pontificis infallibilitate hoc argumentum ducimus. Si Petrus, ejusque Succeſſor eſt fidei petra & fundamentum Eccleſiæ, oportet ipſum, cum officio ſuo maxime fungitur, & petram agit, id eſt, cum toti Eccleſiæ fide credenda proponit, in fide firmiſſime ſtare, ne illo deficiente totum Eccleſiæ corruat ædificium. Alias non tam petra, quam arena eſſet, & Chriſtus non ſupra petram, ſed ſupra arenam ædificaſſet Eccleſiam ſuam; nihilque plus Petrus, quam alii Apoſtoli & Epiſcopi, accepiſſet a Chriſto, neque petræ titulum magis promeritus eſſet, ſi æque ac illi poſſet in fidem impingere, evertique errores docendo. Si namque Petri, omniumque Epiſcoporum in credendo, docendove, quæ ſunt fidei, par eſt conditio, omnes pariter erunt petræ, nec majori titulo Petrus, quam illi: ſi vero Petri, & aliorum Epiſcoporum non eſt in fide par conditio, oportet plus Petro, ejusque Succeſſoribus, quam aliis Epiſcopis conceſſum eſſe: & quid hoc aliud? niſi quod

cadere illi omnes in errores poſſint, Petrus ſolus, ejusque Succeſſores non poſſint.

Quod ſi dicas, Petrum Eccleſiam repræſentaſſe, & ita hanc promiſſionem non tam Petro, quam Eccleſiæ factam. Verum dicis, ſi velis firmitatem fidei Petro promiſſam, etiam ad Eccleſiam pertinere, imo propter Eccleſiam factam eſſe, quemadmodum firmitas fundamenti eſt firmitas ædificii; & hoc ipſum Patres intellexerunt. Si vero ſic Petrum Eccleſiam repræſentaſſe dicas, ut tota ſoliditas & indeficientia fidei ad Eccleſiam pertineat, excluſo Petro; inprimis vim facis verbis Chriſti, cum clariſſimum ſit, Chriſtum ad Petrum loqui, illi fidem polliceri, ejus confeſſionem prœmio afficere, utpote quam ſolus edidit Petrus, licet interrogati omnes Apoſtoli fuiſſent, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrum proinde ab aliis diſtingui, eumque ſolum, non alios deſignari, nulla Eccleſiæ mentione facta, niſi quod hæc dicatur Petro inædificanda. Deinde ſi hoc modo, quo Adverſarii volunt, Chriſti verba intelligi debeant, ſenſus evadit abſurdiſſimus, hic enim erit: Tu es Petrus; & ſuper Eccleſiam, quam repræſentas, ædificabo Eccleſiam meam. Aut ergo Eccleſia ſibi ipſi fundamentum eſt, aut duæ ſunt Eccleſiæ, quarum una fundamentum eſt alterius, aut Petrus eſt Eccleſiæ fundamentum; & ſi eſt, quæro, qui fieri poſſit, ut ſtante Eccleſia, illius fides & doctrina deficiat? Denique ſi ad alios ſenſus ea verba detorqueantur, Petri, & Pontificis Romani Primatus, hoc eſt, arx Religionis Catholicæ evertitur: eo namque Evangelii loco aut ſublato, aut in alienos ſenſus detorto, nihil eſt amplius, quo adverſus Novatores Primatum defendamus.

Ex illo autem Joan. ult. *Paſce oves meas*, ita arguimus. Per hæc verba Petrus, ejusque Succeſſores conſtituti ſunt Doctores & Paſtores Eccleſiæ. Aut ergo docentes illos, præfer-

Digitized by Google

ſertim quæ ſunt fidei, tenetur Eccleſia audire, aut non tenetur? Si tenetur, ergo illi cum docent errare non poſſunt; nam ſi poſſent, illis errantibus erraret etiam Eccleſia, quæ illorum doctrinæ tenetur aquieſcere. Si vero Eccleſia non tenetur eos audire, non tam Petrus, quam ipſa Eccleſia erit ſibi Paſtor; imo ipſa Petrum paſcet, quia ipſa errantem Pontificem corriget, ipſa ducet, ipſa judicabit, diſcernetque: ſicque Chriſtus male Petro dixit, *paſce oves meas;* cum potius ovibus & Eccleſiæ dicere debuiſſet: paſcite Petrum & Vicarium meum; errare hic poteſt & in abrupta deferri, vos Paſtori Paſtores eſtote, diſcipuli Magiſtrum docete, oves Paſtorem ducite.

His addo tertium Scripturæ locum Lucæ 22. ubi Chriſtus pro Petro, ejuſque Succeſſoribus rogaſſe ſe dicit, ne unquam illorum fides deficiat: *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Hic advertendum eſt primo, Chriſtum aliquam Petro præ cæteris Apoſtolis gratiam poſtulaſſe: ad eum enim ſingulariter dirigitur ſermo: *Simon, Simon; Pro te; Fides tua; Et tu; Confirma fratres tuos.* Quodque prælationem Petri ſpecialius indigitat, cum communem omnium Apoſtolorum circa fidem tentationem commemoraſſet, *Ecce Sathanas expetivit vos;* adPetrum ſolum ſermonem dirigit, *Ego rogavi pro te.* Secundo patet hanc gratiam a Chriſto impetratam Petro, non ut privatæ perſonæ tantum, ſed ut Apoſtolo, & Apoſtolorum cæterorum Paſtori, *Ut non deficiat fides tua; Et tu confirma fratres tuos.* Tertio conjunctio *Et*, cauſam indicare videtur, cur Chriſtus pro Petro ſpecialiter rogaverit, fidemque indeficientem exoraverit; ſcilicet ut alios confirmaret, *Et tu confirma fratres tuos;* quod ad officium, atque adeo etiam ad Succeſſores pertinet.

Digitized by Google

Porro qua ratione poſſet alios confirmare, qui titubaret ipſe? Vel potius quomodo poſſet labantes ſuſtinere, aut lapſos erigere, ſi ipſe non ſolum in errorem prolabi, ſed etiam alios per propoſitionem erronei dogmatis, publice toti Eccleſiæ factam, ad caſum poſſet impellere? Neceſſe eſt, ut firmiter ſtet, cujus officium eſt aliorum impedire caſum, aut ruinam reparare. Verum Adverſarii in eo ſunt, ut huic Scripturæ textui, quemadmodum & aliis duobus varias Patrum adaptent interpretationes. Primo dicunt, oraſſe Chriſtum, ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur a diabolo, ſed in ea, & gratia Dei perſeveraret: privilegium proinde Petro impetratum a Chriſto ad ejus Succeſſores extendendum non eſſe. Secundo, ut Romana Eccleſia per Petrum fundata a fide nunquam deficiat. Tertio, ut univerſalis Eccleſia, vel etiam univerſale Concilium nunquam erret in fide.

Sed profecto hæ omnes interpretationes, tantum abeſt, ut noſtram, qua hunc Scripturæ locum ad Petri Succeſſores extendimus, infirment, ut potius eandem mirum quantum ſtabiliant.

Prima quidem veriſſima eſt, ſed num excludit privilegium non errandi, cum Petrus fidei quæſtionem aliquam Eccleſiæ proponit? An quia ipſe erroris eſt omnino expers, fideles ſibi a Chriſto commiſſos in errorem impellet? Aut nunquid prædicta interpretatio privilegium errandi ſiſtit in ſolo Petro, ne ad ejus Succeſſores pro recte gerendo ſupremi Paſtoris officio tranſeat? Contrarium certe ex Chriſti verbis colligitur, qui hoc donum perpetuæ & indefectibilis fidei in utilitatem Eccleſiæ Petro contulit, ut videlicet eam confirmaret contra Sathanæ inſultus: quæ ratio non pro Petro ſolum, ſed pro ejus Succeſſoribus æque, multoque magis militat: quandoquidem Eccleſia ſemper impugnatur, & poſt Apo-

ſto-

Digitized by Google

ſtolorum tempora multo magis impugnata eſt, atque adeo ſemper opus habuit, ut confirmetur. Quod ſi hoc privilegium ad ſolum Petrum reſtringas; idem dicendum erit de aliis Matth. 16. & Joan. ult. Petro conceſſis. Hoc autem emel admiſſo, communi totius Eccleſiæ ſenſui repugnamus, nihilque habemus amplius, quo contra Hæreticos primatum & authoritatem Romani Pontificis tueamur.

Alteram etiam interpretationem libenter ampleſtimur: non enim excludit authoritatem ſummi Pontificis, imo eam adſtruit. Quis enim Eccleſiam Romanam ideo in fide immobilem eſſe non fatebitur, quod ejus caput ſpecialiori modo ſit ſummus Pontifex, a quo privilegium illud in ejus membra, quatenus ipſi conjunſta ſunt, derivatur: nec videtur aliunde peti poſſe illud privilegium. *Propter illam orationem Chriſti*, inquit Joannes Dartis Regius in Academia Pariſienſi Profeſſor, de Beneficiis Seſt. 1. cap. 3. *ſeu illa ejus verba*, *omnes colligunt Eccleſiam Romanam non poſſe errare.* Oratio autem Chriſti pro ſolo Petro faſta eſt, atque adeo ejus effeſtus ad Eccleſiam Romanam non niſi per ipſum, ac per ejus Succeſſores derivatur. Sed de hoc plura inferius.

Tertia quoque interpretatio vera eſt, ſi nimirum intelligatur privilegium Petro & Succeſſoribus collatum, mediate ipſi etiam Eccleſiæ collatum eſſe, adeo ut a B. Petro tanquam a Capite ad cætera membra Eccleſiamque univerſalem defluat doſtrinæ circa fidem certitudo, prout communiter a SS. Patribus exponitur. S. Leonem audiamus ſerm. 3. de Anniverſ. die Aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum: *In Petro*, inquit, *omnium fortitudo firmatur*, *& Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium*, *ut firmitas*, *quæ per Chriſtum Petro tribuitur*, *per Petrum Apoſtolis conferatur. Cum itaque dileſtiſſimi tantum nobis videamus præſidium Divinitus inſtitutum*, *rationabiliter in Ducis noſtri meritis & dignitate lætamur*, *gratias agentes Redempto-*

ri noſtro JEſu Chriſto, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit; ut ſi quid etiam noſtris temporibus recte per nos agitur, recteque diſponitur, illius ſit gubernaculis deputandum, cui dictum eſt: Et tu converſus confirma fratres tuos &c.

III. *Probatur 2do* authoritate Conciliorum judicium ſummi Pontificis circa quæſtiones fidei irreformabile. Id ſane non aliunde melius oſtendi poteſt, quam ex eo, quod nihil unquam a ſummis Pontificibus ſit propoſitum univerſæ Eccleſiæ, tanquam fide Divina credendum, in quo a Conciliis Oecumenicis reformandum fuerit Romanorum Pontificum judicium; quin etiam eorum ſententia tanquam ex Petri Cathedra pronuntiata, ſemper cum reverentia ſuſcepta ſit. Non repetemus hic ea Conciliorum teſtimonia, quæ ſupra adduximus ad probandam ſupremam Romani Pontificis in totam Eccleſiam authoritatem, quæ quidem omnia apptari hic poſſunt. Sed iis alia quædam illuſtriora adjiciemus, unde expreſſius pateat, quid Concilia, præſertim generalia, & Gallicana, circa judicium ſummorum Pontificum in rebus fidei ſenſerint.

In Concilio generali Epheſino Philippus Presbyter & Apoſtolicæ Sedis Legatus nemine contradicente legationis ſuæ mandatum in hunc modum expoſuit art. 3. *Nulli dubium eſt, quod Sanctus Beatiſſimusque Petrus Apoſtolorum Princeps, & caput fideique columna, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum a Domino noſtro JESU Chriſto claves regni accepit - - - qui ad hoc uſque tempus & ſemper in ſuis Succeſſoribus vivit & judicium exercet &c.* Quibus verbis clariſſime indicatur authoritas, & infallibile in quæſtionibus fidei judicium a S. Petro ad ejus Succeſſores derivatum.

In

In Concilio generali Chalcedonenſi Act. 2. poſtquam lecta fuiſſet epiſtola S. Leonis Papæ ad Flavianum Archi-Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in qua Eutychetis doctrinam damnabat, & fidei Orthodoxæ normam præſcribebat, Epiſcopi omnes in ea verba jam alias a nobis relata proruperunt: *Hæc Patrum fides, hæc Apoſtolorum fides. Omnes ita credimus. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt.* Atque hunc judicii Romani Pontificis cum fide conſenſum, non eruditioni S. Leonis, ſed ejus dignitati tribuendum, id eſt, lumini Spiritus Sancti, Beato Petro, ejusque Succeſſoribus, ne deficeret eorum fides, a Chriſto impetrato, non ſolum ultima illa verba, *Petrus Per Leonem locutus eſt*, ſignificant; ſed etiam Synodica ad S. Leonem epiſtola, ubi Concilium eum *fidei cuſtodem & Sancti Patri interpretem* appellat, *quam*, inquit de fide loquens, *ex præcepto Legislatoris venientem uſque ad nos ipſe ſervaſti, vocis Beati Petri omnibus conſtitutus interpres.*

Agatho Papa ſuum de rebus fidei judicium, etiam ante Concilii univerſalis acceptationem, irreformabile eſſe non dubitabat; quandoquidem Legatos ad Concilium generale ſextum mittens, in ſecunda quam ad Imperatorem Conſtantinum Pogonatum ſcripſit epiſtola, quæque in Act. 4. Concilii recitata fuit, ſecure pronuntiat, ſe ſuis Legatis mandaſſe, non ut quæ ipſe cum ſua Synodo declaraverat, tanquam dubia & incerta examinarentur, ſed ut certa & immutabilia publicarentur. *Perſonas*, inquit, *prævidimus dirigere, non tamen tanquam de incertis contendere, ſed ut certa atque immutabilia compendioſa definitione proferre.* Mox condemnationis ſententiam profert in eos, qui traditæ a ſe doctrinæ contradicerent: *qui vero hæc confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicæ atque Apoſtolicæ confeſſioni perpetuæ condemnationis reos*

eſſe

eſſe cenſemus. Quis ita, niſi vel imprudentiſſimus, vel de ſuæ veritate ſententiæ certiſſimus loqui audeat? a Concilio, certe ſi falſa proferret vel injuſta, mox redarguendus. Nunquid autem ſummus ille Pontifex Concilio viſus eſt nimiam ſibi attribuiſſe authoritatem? ejus certe doctrinam, non ſolum ut veram, ſed etiam ut a Spiritu Sancto dictatam, & a B. Petro prolatam ſe ſuſcipere declaravit, primo Dometius Epiſcopus Pruſſiadas his verbis: *Suggeſtiones directas a Patre noſtro Agathone, tanquam ex Spiritu Sancto dictatas per os ſancti ac beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri, & digito prædicti beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas ſuſcipio & amplector, & ita credo, ita ſentio.* Totum deinde Concilium ſententiam Agathonis in prædicta epiſtola contentam amplexum eſt, & Macharium Patriarcham Antiochenum eam admittere recuſantem depoſuit.

Quanto cum applauſu excepta ſit doctrina Adriani I. Papæ in epiſtolis ad Imperatorem & ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcriptis, in Actis ſeptimæ Synodi videri poteſt, ſcilicet Act. 2. in qua lectæ ſunt. Continent autem etiam illæ epiſtolæ ſanctæ Sedis in dirimendis fidei controverſiis prærogativæ teſtimonia. In prima habentur hæc verba: *Ipſe Princeps Apoſtolorum* B. *Petrus ſui Apoſtolatus principatum ac paſtoralis curæ Succeſſoribus ſuis dereliquit; quibus & authoritatis poteſtatem, quemadmodum a Salvatore noſtro ei conceſſa eſt, & ipſe quoque ſuis contulit ac tradidit divino juſſu Succeſſoribus Pontificibus.*

Nicolai I. & Adriani II. judicium de Photio, & de ſacris Imaginibus doctrinam ſecuta eſt octava Synodus, ad quam nemo admiſſus eſt, quin profeſſioni fidei ab Adriano miſſæ ſubſcripſiſſet, in qua hæc continentur: *Quia non poteſt Domini noſtri JEſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc, quæ*

dicta

Digitized by Google

dicta ſunt, *rerum probantur effectibus; quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper reſervata Religio. Ab hujus ergo fide ſeparari minime cupientes, Patrum & præcipue Sanctorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum ſequentes in omnibus conſtituta, anathematiſamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis.* Quomodo autem prædicta Synodus ſummorum illorum Pontificum amplexa ſit conſtituta, declarant hæc ejus verba, Can. 2. *Itaque beatiſſimum Papam Nicolaum tanquam organum Sancti Spiritus habentes, nec non & ſanctiſſimum Adrianum Papam Succeſſorem ejus &c.*

In Concilio Lugdunenſi anno 1274. Imperator Græcorum per epiſtolam & per nuntium juravit, ſe Catholicam fidem profiteri ac ſervare velle, prout *eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat ſacro-ſancta Romana Eccleſia.*

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. vocat Eccleſiam Romanam Matrem & Magiſtram omnium fidelium. Sed ut a Conciliis generalibus ad Gallicana deſcendamus.

Nulli unquam ex antiquis Galliæ Epiſcopis venit in mentem, non eſſe irreformabile ſanctæ Sedis judicium, donec ab Eccleſia univerſa fuiſſet acceptatum: quin potius Epiſcopi ſinguli, & eorum cætus illud tanquam indubitatam fidei normam populo proponebant. Hac regula S. Avitus Epiſcopus Viennenſis anno 517. omnium Galliæ Epiſcoporum nomine proteſtatus eſt Hormiſdæ Papæ, ſe ejus ſententiæ in materia fidei adhæſurum: quia, inquit: *jam ſecurus de totius Galliæ devotione polliceor, omnes veſtram ſuper ſtatu fidei captare ſententiam.*

Ravenius, aliique Epiſcopi Gallicani in epiſtola Synodica ad S. Leonem Magnum pluribus teſtati ſunt, quanti facerent ejus circa dubia de fide ſententiam. *Doctrinæ*, inquiunt, *poſt Deum veſtræ debet quisque fidelis, ut conſtanter teneat, quod cre-*

credebat: debet etiam infidelis, ut a perfidia ſua diſcedat, & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter JEſus Chriſtus de Sacramento Incarnationis ſuæ docet.

Concilium Turonenſe II. Can. 21. ſuam erga ſanctæ Sedis decreta obſervantiam ſignificat his verbis: *Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum* (nempe Sedis Apoſtolicæ decretorum) *præcepit authoritas.*

Quam huic antiquorum Gallorum erga ſanctæ Sedis de fide oracula reverentiæ concordaverint eorum poſteri uſque ad extrema tempora, in illorum hiſtoriis licet obſervare, nec non in Gallicanorum Conciliorum monumentis a Patre Jacobo Sirmondo collectis. Nos eorum aliquot exempla infra producemus.

IV. *Probatur 3tio* Sanctorum Patrum authoritate infallibilitas ſummi Pontificis in cauſis fidei. Horum certe in rebus ad religionem & fidem pertinentibus non modo ſumma ſemper fuit & invicta authoritas; ſed ipſi etiam Gallicani Antiſtites libertatum ſuarum fundamenta, cum ſacris Canonibus, tum etiam Patrum traditione niti volunt. In Patrum autem doctrina tria potiſſimum notanda occurrunt, quamvis non omnia ſemper in ſingulis teſtimoniis reperiantur. Primum, Eccleſiam Romanam eſſe unitatis centrum, quo concurrendum, ſit ad vitanda ſchiſmata. Secundum, illuc confugiendum, quando dubia præſertim difficiliora oriuntur circa fidem; & hinc veritatem fidei ab Apoſtolis traditæ addiſcendam. Tertio, Chriſtum non pro ſolo Petro, ſed pro ejus etiam Succeſſoribus rogaſſe, ut non deficeret fides eorum; ac ſi qua emergat circa fidem contentio, in petræ illius firmitate ſtare debere, quicunque voluerit caſum devitare. Sed infiniti eſſemus, ſi vel illuſtriora tantum Patrum ea de re teſtimonia proferre vellemus. Satis erit Sanctorum Cypriani & Auguſtini ſententiam indicaſſe, utpo-

pote quorum potiſſimum authoritate nituntur, quotquot judicium ſummi Pontificis de fidei quæſtionibus negant eſſe irreformabile.

Equidem diffiteri non poſſumus, B. Cyprianum cum de baptiſmate ab Hæreticis collato diſceptaret adverſus S. Stephanum, ejus judicium non ſolum non ſuſcepiſſe ſed etiam tanquam falſum & Eccleſiaſticæ conſuetudini contrarium rejeciſſe. Sed animadvertendum eſt primo, B. illum Martyrem reverentius de ſancta Sede locutum ante celebrem illam de baptiſmo diſceptationem, ut videre eſt in epiſtola ad Cornelium Papam 55. ſeu 3. Libri 1. Neque ſolum ſanctam Sedem, ſed & in ipſa ſedentem Romanum Pontificem, tanquam centrum unitatis Eccleſiaſticæ ac ſignum conjunctionis cum Eccleſia Catholica aperte profitetur epiſtola 52. ſeu 2. Libri 4. Et epiſtola 69. Hæreſum & Schiſmatum originem tribuit contemptui Romani Epiſcopi, *qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, dignatione Dei honoratus &c.*

Poſtquam autem permittente Deo Cyprianus in errorem lapſus eſt circa baptiſmi collationem; non ſolum, ut diximus, S. Stephani Papæ ſententiæ non acquievit, verum etiam eam quantum potuit impugnare conatus eſt. Sed in hoc deflenda eſt humana infirmitas. Abſurdum autem videtur, quæ tunc temporis vel egit, vel ſcripſit Cyprianus, in exemplum vel authoritatem adducere. Certum enim eſt ipſum tunc in erroris tenebris verſatum, atque adverſus S. Stephanum modeſtiæ ac manſuetudinis metas tranſgreſſum, circa ejus authoritatem caligare facile potuiſſe. Itaque qui S. Cyprianum contra ſummi Pontificis authoritatem in decidendis fidei quæſtionibus laudant, magnam ſuæ invidiam cauſæ conflant; & S. Martyri faciunt injuriam, dum ea commemorant, quæ aut ipſe adhuc vivus correxit, aut certe jam improbat. Sicut ergo in errore verſabatur circa baptiſmum, dum ab Eccle-

ſia principali diſſentiebat; ita in eo quod judicium illius Sedis in quæſtionibus fidei reformabile putavit, facile potuit a recto tramite declinare. Quanquam non ſatis conſtat, S. Stephanum definiviſſe tanquam de fide, baptizatos ab Hæreticis non eſſe rebaptizandos, ſed tantum juſſiſſe non rebaptizari; cujus ſignum videtur, quod non excommunicaverit, ſed excommunicatione dignos cenſuerit ſecus agentes; quod Cypriani peccatum minuit, & ſimul Adverſariorum argumentum penitus infringit. Et ſane credibile non videtur, Cyprianum Pontificiæ de fide definitioni reſtiturum fuiſſe, cum in illo ipſo loco, qui frequentius & ab Hæreticis contra Primatum, & a quibusdam Catholicis contra plenitudinem poteſtatis ſummi Pontificis objicitur, ex libro ſcilicet de unitate Eccleſiæ, B. Martyr, quanquam circa Baptiſmum ab Hæreticis adminiſtratum errans, aperte profiteatur, Petri Cathedram nequaquam deleri poſſe, niſi Eccleſia ipſa deſerta, ſummumque Pontificem eſſe ſingulari quodam modo Chriſtianorum Paſtorem. *Super illum*, inquit, *Unum* (nempe Petrum) *ædificat Eccleſiam ſuam; illi paſcendas mandat oves ſuas.* Et infra: *Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?*

Cæterum ſi Cyprianus, & Sanctus, & Martyr, doctrinaque præcipuus, & cujus ſententiæ fere omnes in Africa & Oriente Epiſcopi ſubſcripſerunt, ubi tamen a Pontificis Romani ſententia deflexit, & ipſe adeo graviter erravit, & ſecum totum illud Sanctorum, Doctorumque Virorum agmen in errorem traxit; cui ſe periculo exponunt, qui nec doctrina, nec ſanctitate Cypriani ſunt, nec habent pro ſe tot Patrum ſuffragia, nec tamen Pontificum ſententias obſervant, ſed eo prætextu, quod erroribus obnoxiæ ſint, neglectui habent?

S. Auguſtinum quod attinet, imprimis ſerm. 2. de verbis Apoſtoli clare indicat S. Doctor, ad certitudinem perfe-

fectam ſufficere judicium S. Sedis nec ulterius quidquam requirendum. *Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt; Cauſa finita eſt, error utinam finiatur.* Et lib. I. contra Julianum cap. 4. *Cui Eccleſiæ* (Romanæ) *Præſidentem B. Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit Vir ille ſanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes, & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia.* Cur autem B. Innocentius aliud non poterat Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod omnes tenebant Eccleſiæ? Quia nimirum portæ inferi non poſſunt prævalere adverſus Petri Sedem, ut inquit idem Doctor in Pſalm. contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit, videte, ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

Si quando ergo S. ille Doctor Concilium plenarium poſt judicium Papæ neceſſarium eſſe dicit, neceſſitatem illam refert, non ad veritatem rei definitæ, quaſi omnino & indubitate certa non ſit; ſed ad convincendam errantium pertinaciam, ſupremum Pontificis Tribunal non ita venerantium, quando ſolus judicat, quam dum cæteri omnes Epiſcopi conſentiunt. Neque ullibi comparat Auguſtinus Romanum Pontificem cum Concilio Oecumenico, a quo ipſe abſit; ſed Pontificem ſine Concilio cum Pontifice in Concilio. Licet autem infallibile ſit Pontificis ſine Concilio Oecumenico judicium in cauſis fidei; clarius tamen apparet ejus judicii æquitas, cauſa coram omnibus Epiſcopis agitata, & ab omnibus prolata ſententia; maxime cum de facto eſt quæſtio vel principalis, vel acceſſoria. Quia etiam unius, quantæcunque ſit dignitatis, judicium eſſe infallibile, ſupra humanam rationem eſt, nec niſi

ſide ac traditione ſciri poteſt. Quod autem ſententia Epiſcoporum ex toto orbe congregatorum, nec minus merito, quam numero commendabilium veritatem attingat, etiamſi fides non doceret, ratio ſuaderet humana. Ideo Concilium generale quandoque pertinaciſſimis hominibus erat proponendum, quod ſi recuſarent, rei a nemine non haberentur. Tales erant inter alios Donatiſtæ, contra quos diſputabat Auguſtinus Tract. de Bapt. l. 2. cap. 18. qui locus præcipue pro Conciliis contra Romanum Pontificem allegatur. Illi namque neque S. Melchiadis Papæ, neque judicii Arelatenſis judicio aquieverant. Quamobrem nullum ſupererat, ad quod vocari poſſent Tribunal, præter Concilium Oecumenicum; non quod neceſſarium eſſet ad certitudinem ſententiæ, ut notavit idem S. Doctor epiſt. 162. ſed ut inexcuſabilis appareret illorum contumacia, & ab Eccleſia diſceſſio: *Datum eſt aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum; non quia jam neceſſe erat, ſed ut omnimode tanta impudentia cohiberetur.*

V. *Probatur 4to* ipſius Eccleſiæ Gallicanæ, nec non Univerſitatis Pariſienſis ac Doctorum illius particularium authoritate, Papæ judicium in cauſis fidei eſſe irreformabile.

Certum imprimis eſt ante deplorandum illud ſchiſma, quod ſub finem ſæculi XIV. Eccleſiam divexare cœpit, nullum Concilium, ſive Oecumenicum, ſive particulare, nullum Theologum, nullum Catholicum inventum eſſe, qui aperte doceret Pontificum ex cathedra loquentium definitiones fidei errori eſſe obnoxias, ipſosque Pontifices Conciliis etiam Oecumenicis ſubjectos; ſed quot quot de Pontificum Romanorum authoritate tractaverunt, eam ſupremam & infallibilem eſſe teſtati ſunt ſemper. Imo uſque ad annum 1682. quo nempe infauſta illa & authoritati Pontificiæ infeſta Galliæ Epiſcoporum declaratio lucem aſpexit; nullibi hac de re fortio-

tiora & apertiora teſtimonia edita fuere, quam in ipſa Gallicana Eccleſia; adeo ut mirum cuilibet videri debeat, qui Conventus illius Antiſtites antiquam ſuæ Eccleſiæ, & Majorum ſuorum doctrinam abjicere voluerint, quo unius pene Gerſonii opinionem toti Galliæ obtruderent. Sed univerſo Clero Gallicano tribui illico non debet, quod geſtum eſt ab Epiſcopis Pariſiis congregatis. Non enim Conventus ille Concilium Nationale erat, nec ii, ex quibus conſtabat, aliorum procurationem ad definiendas eas quæſtiones acceperant. Imo admodum odioſa cæteris fere omnibus in Gallia, ſicut & in univerſis aliis nationibus viſa eſt declaratio illorum Epiſcoporum.

Jam a primis ſæculis ſanctam Sedem ab Epiſcopis Gallicanis innumeris fuiſſe relationibus conſultam, ejusque reſponſa veluti decretoria ſuſcepta, atque morem illum nunquam non viguiſſe, ipſe S. Leo teſtatur epiſt. 89. Et ex iis ſatis conſtat, quæ ſuperioribus Capitibus retulimus. Sed ne quis putet ſequentibus temporibus defeciſſe fidem ac religionem illius Cleri, adducenda ſunt illuſtriora diverſorum temporum exempla, ex quibus & aliis perpetuæ traditionis ſeries contexi poſſet.

Hincmarus Remenſis Antiſtes, cæteroquin ad extollendam nimium Pontificis authoritatem non adeo proclivis, illuſtre teſtimonium hac in parte reddit S. Sedi in Præf. Opuſ. de Divortio Lotharii & Gerbergæ Reginæ: *De omnibus*, inquit, *dubiis, vel obſcuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogma pertinent, S. Romana Eccleſia, ut omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, nutrix & doctrix, eſt conſulenda, & ejus ſalubria monita ſunt tenenda.*

Ivo Carnotenſis epiſt. 8. ad Richerium Senonenſem Archi-Epiſcopum, eum qui Eccleſiæ Romanæ non concordat, hæ-

hæreticum declarat: *Hujus judiciis & Conſtitutionibus obviare plane eſt hæreticæ pravitatis notam incurrere.*

S. Bernardus præclarum illud ſæculi XII. Sydus epiſtol. 190. ſcribens nomine omnium Galliæ Epiſcoporum ad Innocentium Papam II. de erroribus Abaelardi, ſic illum alloquitur: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, & præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poteſt fides ſentire defectum: hæc quippe prærogativa Sedis; cui enim alteri aliquando dictum: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c.*

Jacobus Cardinalis Vitriacus in hiſt. Orient. cap. 45. an. 1230. *Patet ergo*, inquit, *cum ſuper hanc petram, pro qua Dominus rogavit, ut non deficeret fides ejus, poſt Chriſtum ædificata ſit & fundata Chriſti Eccleſia, quod omnes qui ab Eccleſia Romana recedunt, abſque fundamento ædificent, & ab eo, qui a Domino Cephas appellatus eſt, ſeparati acephali, & monſtruoſi homines merito ſunt appellandi.*

Quæ eſſet Eccleſiæ Pariſienſis de judicio ſummi Pontificis in fidei quæſtionibus decidendis, ſententia an. 1324. declaravit Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, quando de conſilio Decani & Capituli ſuæ Cathedralis Eccleſiæ, item Guillelmi Archi-Epiſcopi Viennenſis Theologiæ Profeſſoris, viginti trium in Theologia Doctorum, & triginta novem Facultatis Pariſienſis Baccalaureorum hæc de Romana Sede pronuntiavit: *Nos igitur attendentes cum eis* (Decano, Capitulo &c.) *quod ſacro-ſancta Romana Eccleſia fidelium omnium Mater & Magiſtra in firmiſſima Petri Chriſti Vicarii Confeſſione fundata, ad quam velut ad univerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum.*

Ga-

Gabriel Albaſpineus Aurelianenſis Epiſcopus in hæc verba Tertulliani, *Epiſcopus Epiſcoporum* lib. de Pudicit. *Quacunque igitur*, inquit, *ratione aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, illis tamen temporibus penes eum poteſtatem fuiſſe de rebus fidei judicia peremptoria ferre, & totius orbis Epiſcopos monere atque docere, quis non agnoſcit?*

Petrus de Marca Archi-Epiſcopus Toloſanus in quodam M. S. quod Stephanus Balutius in compendio ejus vitæ libris de Concordia præfixo, aſſerit ultimum eſſe Archi-Præſulis opus, paulo ante mortem ab ipſo confectum, infallibile Papæ in fidei quæſtionibus judicium ita defendit, ut opinionem contrariam antiquorum Doctorum Pariſienſium (Gerſonium & alios quosdam paucos innuebat) ab Eccleſia tolerari tantum aſſeruerit; cæterum tunc ipſiusmet Univerſitatis, & aliarum omnium Doctores pro infallibili Papæ judicio ſtare.

Non Epiſcopi ſingulares tantum, ſed ut olim Concilia, ita poſterioribus temporibus Conventus & Comitia Cleri Gallicani privilegium iſtud S. Sedis agnoverunt & venerata ſunt. Celeberrimus Conventus Melodunenſis anno 1579. inter alias Conſtitutiones, articulo 1. qui eſt de fidei Catholicæ profeſſione, hæc decrevit: *Operam dabunt ii, quibus hæc cura demandata eſt, Epiſcopi ſcilicet, & eorum Vicarii, ut in omnibus Synodis omnes & ſinguli aperta profeſſione eam fidem pronuntient, quam S. Romana Eccleſia Magiſtra, columna, & firmamentum veritatis profitetur & colit. Ad hanc enim propter ſuam principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.*

Anno 1612. a Provinciarum Senonenſis & Aquenſis Epiſcopis damnatus eſt Richerii Univerſitatis Pariſienſis Syndici liber *de Eccleſiaſtica & politica poteſtate*, quem anno præcedenti ediderat adverſus Theſim Pariſiis propoſitam, in qua infallibilitas Papæ in fidei quæſtionibus propugnabatur. Ipſe Riche-

cherius auctoritate Regia & Decreto Facultatis depoſitus fuit a Syndicatu, quem gerebat, atque etiam Regis juſſu, nec non urgente Cardinali Richeleo, libellum ſuum retractare, & Sedis Apoſtolicæ infallibilitatem agnoſcere coactus fuit. Sic autem habet ipſius Declaratio: *Proteſtor & declaro, me ſemper voluiſſe, & etiamnum velle libellum præfatum, & quascunque ejus propoſitiones, earumque interpretationes, omnemque meam doctrinam Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, & S. Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjicere, quam Matrem & Magiſtram Eccleſiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoſco.*

Anno 1625. Clerus Gallicanus congregatus, in Monitis ad Archi-Epiſcopos & Epiſcopos Galliæ articulo 137. hæc tradit: *Venerabuntur etiam S. Patrem noſtrum Papam, Eccleſiæ univerſalis Caput viſibile, Dei in terris Vicarium, B. Petri Succeſſorem, a quo Apoſtolatus & Epiſcopatus ſumpſerunt exordium, ac ſuper quem Chriſtus fundavit Eccleſiam, illi Claves Cœli tradens, cum infallibilitate fidei, quam ſine miraculo immotam in ejus Succeſſoribus perſeveraſſe uſque in hodiernam diem cernimus.*

Anno 1650. iterum Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus congregatus, hæc inter alia ad Innocentium X. Papam ſcribit: *Scimus ubi Caput Eccleſiæ, ubi totius fidei arcem, totius & diſciplinæ Metropolim eſſe; eoque convenitur a nobis libentius, quo in Præſulum Primatis ſinu Præſules, ſi quando illis dolet, maxime a vulneribus Eccleſiæ, juſtiſſimas querelas ſuas deponere par eſt.*

Anno 1651. Gallicani Epiſcopi in epiſt. quam ad eundem Innocentium X. ſcripſerunt, & in qua ab ipſo poſtularunt, ut quinque Janſenii propoſitiones expenderet, ac perſpicuam & certam de unaquaque ſententiam ferret, ſic loquuntur: *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre, ſolemnis*

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ mos eſt, quam fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro ſuo jure poſtulat - - - - Experta eſt nuper Beatitudo veſtra, quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini Capitis errore profligando valuerit authoritas: Continuo ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem venti & mare obedierunt.

Denique anno 1653. Triginta Galliæ Epiſcopi in epiſtola, qua eidem Innocentio X. gratulantur de ipſius adverſus quinque Janſenii propoſitiones Conſtitutione, hiſce eum alloquuntur: *Excitatæ in Belgio contentiones, flagrabant etiam in Galiis, & latiſſimum incendium per univerſas Eccleſiæ partes minabantur, ni peſti graſſanti & certiſſimam perniciem allaturæ obſtitiſſet Beatitudinis Veſtræ indefeſſum ſtudium, & ex alto petita poteſtas, quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat - - - - Innocentio X. cujus ore Petrus locutus eſt, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc divinam Lauream gratulati, ſacros inter Eccleſiæ Faſtos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam ab eo editam lubentes ex animo reponemus.*

Neque pauciora, aut minus illuſtriora nobis in hanc rem ſuppetunt Univerſitatis Pariſienſis teſtimonia. Ut cætera omittamus, anno 1387. univerſa Facultas Theologica hiſce per ſuos Legatos allocuta eſt Clementem VII. quem velut legitimum Pontificem ſequebatur. *Pro veſtris humilibus filiis Univerſitatis prædictæ & pro nobis eorum nuntiis, qui ſuis hac in parte obſequimur mandatis, corde & ore unanimiter proteſtamur, quod quidquid hactenus hac in cauſa per eos* (Doctores Pariſienſes) *peractum eſt, totum correctioni & judicio Sedis Apoſtolicæ, & ſedentis in ea ſummi Pontificis, humiliter ſubmittimus, dicentes cum B. Hieronymo 24. Quæſt. 1. Hæc eſt fides, quam in Eccleſia Catholica didicimus, in qua ſi minus perite aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari petimus a te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Non ignoramus*

enim, ſed firmiſſime tenemus, quod ſancta Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri, ſuper quam eodem Hieronymo teſte fundata eſt Eccleſia - - - - & ſicut dicit Cyprianus - - - - de qua Sede in perſona Petri Apoſtoli in ea ſedentis dictum eſt: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hæc eſt igitur, ad quam determinatio fidei & approbatio veritatis Catholicæ ac hæreticæ impietatis deteſtatio maxime pertinet.

Adeo erat certa Univerſitati illi de Papæ infallibilitate ſententia, ut ante id tempus nullus ejus Facultatis Doctor ab ea receſſerit; & poſtea licet occaſione ſchiſmatis inde nonnulli declinaverint, nunquam tamen ab ipſis Univerſitatis incunabulis uſque ad poſtremas contentiones defuerunt Doctores, qui eam ſequerentur. De antiquis teſtatur generatim Andreas Duvalius Academiæ Pariſienſis Alumnus ac Theologiæ Profeſſor in libro de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate anno 1614. in lucem emiſſo, & a duobus aliis Doctoribus approbato. Hæc ſunt ejus verba: *Velint nolint Adverſarii, liquido conſtat, veteres Eccleſiæ Gallicanæ Proceres hanc in ſummis Pontificibus infallibilitatem ſemper agnoviſſe, Chriſtique Domini Orationem in Petro non ſtetiſſe, ſed ad ejus Succeſſores certiſſime tranſiiſſe; eosque, qui hanc veritatem impugnare coacti ſunt, a ducentis aut circiter annis, quibus in Eccleſiam horrenda ſchiſmata irruerunt, cæpiſſe.*

Et antiquum hunc uſum nondum immutaſſe Univerſitatem, neque mutare ſuadentibus obtemperandum duxiſſe, teſtatur idem Duvalius: *Laudabilis*, inquit, *in Academia Pariſienſi viget conſuetudo, qua Baccalaurei de Quæſtionibus Theologicis ſolemniter reſponſuri proteſtationes præmittunt, ſe nolle quidquam contra decreta ſanctæ Matris Eccleſiæ, nec non ſanctæ Sedis Apoſtolicæ & Romanæ aſſerere, aut defendere, & ſi quid in æſtu diſputationis adverſus ejusmodi decreta illis exciderit,*

rit, vel ignorantiæ, vel immemoriæ, vel linguæ præcipitio attribuendum velle.

Quis credat, Epiſcopos & Doctores modernos, cæterumque Clerum Gallicanum, recentiorum Comitiorum declarationem, paucorum quorundam ſuffragiis munitam, potius amplexuros, quam antiquorum, quorum luculentiſſima teſtimonia retulimus, veſtigiis inhæſuros? Quis ſuſpicetur, Eccleſiam Gallicanam adeo eſſe immutatam, ut Majorum ſuorum doctrinam publica declaratione everſam velit? Quis non exiſtimet, cæteros Regni Epiſcopos, & inferioris Ordinis Eccleſiaſticos Viros & Doctores gloriæ ab Eccleſia Gallicana, ob ſummam erga S. Sedem reverentiam & obedientiam merito comparatæ participes fieri malle, quam maculæ a Pariſienſibus Comitiis contractæ? Illis nempe Comitiis, ad quæ (prout ipſe Vicarius generalis Diœceſis Apamienſis objiciebat) ii duntaxat electi fuerant, quorum ſuffragia erant obnoxia; ii vero excluſi, qui metuebantur, ne libere pro Eccleſiæ juribus vota ſua depromerent. Quibus qui aderant, omni procuratione caruerunt, quæ utique ad res tam arduas ſpecialiſſima requirebatur. Ubi Epiſcoporum conſenſus vel propoſitis præmiis, vel intentatis pœnis, extortus fuerat. Ejusmodi inquam Comitiorum declarationi, neglecta totius Eccleſiæ authoritate ſtandum judicabunt? An Laicorum, non tam tuendis libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quam extollendæ Jurisdictioni ſæculari, oppreſſa vel depreſſa Eccleſiaſtica, intentorum deſideriis obſequi, quam avitam erga Romanam Eccleſiam pietatem, & fidem colere, ac retinere laudabilius ducent, ac coram Deo ſecurius?

VI. *Probatur* 5*to* irreformabile Romani Pontificis in quæſtionibus fidei judicium ex praxi uſuque Eccleſiæ, & generali in ea Doctorum omnium conſenſu. Eccleſiæ imprimis conſtantem morem uſumque ex multis capitibus colligere licet.

 Pri-

Primo, quod in hiſtoria Eccleſiaſtica, ſacris Conciliis, & Patrum Commentariis ejusmodi loquendi modi paſſim occurrant, qui hanc, de qua agimus, infallibilitatem oſtendunt, quales ſunt: *Quod Romana Sedes ſit fidei fundamentum: quod omnium fidelium & Eccleſiarum ſit Mater & Magiſtra: quod quæ illa damnat, omnes damnent; quæ approbat, omnes approbent: quod ſemper ejus doctrinam omnis Catholica Chriſti Eccleſia, univerſales Synodi, ſanctique Patres fuerint ſecuti.* Hæc & alia ejusmodi legenti ubique occurrunt; nec intelligi omnino poſſunt, niſi de doctrina plane infallibili, & ab omni errore aliena.

Secundo, quod qui aliquid a Romana Sede definitum non reciperent, ſchiſmatici ſemper habiti fuerint; quod manifeſto argumento eſt, Romanæ Sedis in rebus fidei ſententias certiſſimas eſſe: nec enim ſchiſmaticus aut hæreticus eſt, niſi qui certæ compertæque veritati ſe opponit. Teſtes hujus veritatis habemus, Pelagium Papam, & apud illum Auguſtinum in Can. *Schiſma* 24. q. 1. S. Cyrillum Alexandrinum epiſt. ad Cœleſtinum Papam: S. Hieroymum epiſt. ad Damaſum; & alios.

Tertio, quoties antiquitus aliqua fidei dubitatio exoriebatur, Patres, ut ab hæreticis ſe certa nota diſtinguerent, certique ipſi eſſent veritatis, ſe id credere profitebantur, quod crederet Sedes Petri, ſuamque fidem ſe iſtius ſubmittere; quod omnino ſupponit Romanæ Sedis doctrinam veram omnino eſſe, & erroris incapacem: ſecus enim ſancti illi Patres, anchoris, quibus tenebantur, velut perditis, fluctuaſſent potius, quam credidiſſent. Rei hujus teſtimonium præbet S. Ambroſius epiſt. 11. ad Ageruchiam. S. Baſilius epiſt. 77. Ruffinus in Symboli explanatione. Theodoretus L. 5. hiſt. cap. 2. & præter alios plurimos, Joſephus Patriarcha Conſtantinop. in Chirographo, quod jam moriens ſcripſit, & in

fi-

fidei ſuæ monumentum reliquit, ut habetur Seſſ. ult. circa finem Concilii Florentini.

Quarto, Multæ hæreſes a ſolo Romano Pontifice extra Concilium damnatæ ſunt, extinctæque. Neque apud Catholicos, nata hæreſi aliqua, quæ Eccleſiam turbaſſet, dubitandi diſputandique finis erat, quam pronuntiata a ſummo Pontifice ſententia: tunc vero, dato velut ſigno, finis inter Catholicos certandi erat, & hæreſis conclamata. Quod evidens ſignum eſt, perſuaſum fuiſſe fidelibus, ſententias Romani Pontificis in quæſtionibus fidei certiſſimas eſſe, nec errori obnoxias.

Sic in cauſa Baptiſmi hæreticorum eminuit authoritas Stephani; in cauſa Mæchorum Zephirini; in cauſa Donatiſtarum pronuntiavit præ cæteris Melchiades; in cauſa Athanaſii Julius; in cauſa Arianæ hæreſeos Romani Pontifices Occidentem in fide retinuerunt, Orientem ad fidem revocarunt; in cauſa Macedonii judicium ante alios tulit Damaſus. Jovinianum unus Siricius confodit. Origenem primus Anaſtaſius I. toto orbe hæreticum proſecutus eſt. Pelagium, præ Conciliis Africanis, Pontifices Romani, Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cœleſtinus, Sixtus confecere, teſte Auguſtino & Proſpero. Innocentii authoritatem tanti feciſſe vel ipſe Pelagius videri voluit, ut in fine libelli, quem ad Innocentium tranſmiſit, quique Succeſſori ejus Zozimo redditus eſt, dicat: *Hæc eſt fides &c. in qua ſi minus perite aut parum caute aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri fidem, & Sedem tenes.* Priſcillianiſtarum inſana figmenta Romana potiſſimum Sedes compreſſit. Neſtorium primus quidem impetivit S. Cyrillus, nunquam tamen ante Cœleſtini Papæ ſententiam auſus eſt illum pro hæretico habere, ut patet ex ejusdem Cyrilli ad Cœleſt. epiſt. quæ habetur Tom. 1. Concil. Et licet deinde Cœleſtinus in eadem Neſtorii cauſa Concilium

Digitized by Google

lium generale indixerit, id tamen ſolum fecit, ut turbæ in Eccleſia natæ ſopirentur, atque ut Neſtorii fautoribus, quos plurimos habebat & præpotentes, omnis calumniandi tergiverſandique occaſio tolleretur. Unde & Cœleſtino Neſtorium, uti & Leoni Eutycheten damnanti Epheſina & Chalcedonenſis Synodi nihil fere aliud quam ſubſcribere ſe teſtificatæ ſunt.

Denique ut innumera pene alia hujusce generis exempla & teſtimonia omittamus, hæreſis Janſenii, ejusque propoſitiones in eo ſenſu, quem verba exhibent, anno 1652. & 1656. ab Innocentio & Alexandro Papa, ut hæreticæ damnatæ ſunt, & ut tales a Gallis proſcriptæ. Imo ex Regis Chriſtianiſſimi, & Epiſcoporum Galliæ deſiderio, Alexander VII. decrevit, ut univerſus Ordo Eccleſiaſticus huic profeſſioni cum juramento ſubſcriberet: *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 31. *Maji anno* 1635. *& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ die* 16. *Octobr. anno* 1656. *ſummorum Pontificum me ſubjicio; & quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen* Auguſtinus, *excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Agnovit ergo Gallia, totusque Ordo Eccleſiaſticus, tam certam eſſe Pontificis Romani ſententiam, ut quæ ille damnat, & pro hæreticis habet, damnari debeant, haberique pro talibus, & damnationis ſententia juramento confirmari: quod fieri non poſſet, ſi damnatio certa & indubia non eſſet; nemo enim jurare poteſt, propoſitionem aliquam damnabilem, aut hæreticam eſſe, niſi certo id credat, alioquin juramentum exponeret periculo falſi.

Poſtremo his omnibus adde generalem in Eccleſia Doctorum omnium conſenſum. Nam præter Concilia & Patres in-

Digitized by Google

innumera alia Scholæ Theologorum teſtimonia in favorem ſupremæ & infallibilis authoritatis Pontificiæ produci hic poſſent. Jam ſupra notavimus, Petrum de Marca teſtari, eam ſententiam omnibus Univerſitatibus fuiſſe communem, contrariam autem, quam paucis quibusdam Pariſienſibus (puta Gerſonio, & ejus coætaneis) tribuit, ſolum ab Eccleſia tolerari. Et Theophilus Rainaudus in Opuſc. inſcripto αὐτὸς ἔφα, demonſtrat, tot, tantosque Doctores ex omni natione, ex omni facultate, ex omni ordine exſtitiſſe, qui eandem illam ſententiam propugnarunt, ut ad eam toti Eccleſiæ adſcribendam nihil omnino deſiderari poſſit; atque adeo doctrina de infallibili Romani Pontificis judicio in quæſtionibus fidei, illam ipſam conditionem habere videatur, qua cum Gallicani Præſules judicium illud irreformabile eſſe profitentur; cum nempe Eccleſiæ univerſæ conſenſus acceſſerit.

VII. *Probatur 6to* Romani Pontificis infallibilitas rationibus & momentis Theologicis. Quamvis enim ſufficere poſſet, infallibilitatem hanc ex ſacris Litteris, ex Conciliorum Patrumque teſtimoniis, ipſoque perpetuo Eccleſiæ uſu demonſtraſſe: quia tamen Deus, qui eſt prima & ſumma omnium ratio, nihil potuit aut ſine ratione, aut rationi diſſentaneum efficere; & homo Chriſtianus, quamvis fide duci debeat, hanc ipſam tamen fidem tanto pronius amplectitur, quanto magis ratione, nativo velut pondere, in illam rapitur; argumenta etiam & rationes naturales expendere oportet Theologum, quibus ea, de qua hic eſt ſermo, infallibilitas perſuadeatur. Ex plurimis, quæ a ſententiæ, quam propugnamus, Aſſertoribus proferri ſolent, pauca duntaxat eligimus, quibus videlicet ea omnia, quæ circa celebrem hanc quæſtionem diſputavimus hactenus, in epitomem veluti quandam contrahantur.

Digitized by Google

Prima igitur *ratio* eſt : quia negata Romani Pontificis in rebus fidei decidendis infallibilitate, nequidem ipſis Conciliis, eorumque decretis certa & indubitata authoritas & fides conſtat : Concilia enim, niſi ſint generalia & legitima, nihil in fide ſtatuere poſſunt. At legitima & univerſalia eſſe unde conſtabit ? Non quia Papa ea confirmat, teſtaturque legitima eſſe ; quia ſecundum te errare poteſt Papa, & tum maxime, cum facti quæſtio vertitur, qualis eſt iſta, an Concilium fuerit generale & legitimum. Non etiam quia Eccleſia recipit : non enim tenetur Eccleſia recipere Concilium, niſi conſtet univerſale fuiſſe & legitimum. At quis hoc dixit Eccleſiæ, & cui tuto Eccleſia credere poterit, ſi Papæ teſtimonium lubricum ſit & caſui expoſitum ? Vides eadem ratione præcipitari Concilium, qua nimium attollitur. Accedit, quod ſi Papa errare poſſit, Concilium non poſſit ; non oportebit acta Concilii a Papa confirmari, ſed potius acta Pontificis a Concilio confirmanda erunt ; quod tamen eſt contra expreſſiſſimam doctrinam ſanctorum Patrum, & perpetuam Eccleſiæ praxim. Et quamvis Adverſarii omnes vires exerant, ut argumentum iſtud infiment; actum tamen eos agere vel exinde liquet, quod nuſquam demonſtrent, aliquas Conciliorum ſanctiones vel ſemel in Eccleſia robur obtinuiſſe, quibus prius non acceſſiſſet ſummorum Pontificum conſenſus & authoritas. Econtra nos abunde oſtendimus, Eccleſiam nullas Synodorum etiam generalium ſanctiones unquam ſuſcepiſſe, niſi quas ſummi Pontifices confirmaſſent ; horum vero conſtitutiones in fidei & morum quæſtionibus emanatas abſque ulla cunctatione, pronoque animo ſemper amplexam fuiſſe Eccleſiam, iiſque ſolos Hæreticos pertinaciter reſtitiſſe.

Secunda ratio. In quæſtionibus Theologicis, præſertim iis, quæ quoquo modo fidem, jusque Divinum ſpectare videntur,

tur, potius Antiquitati adhærendum eſt, & Novitatas debet eſſe ſuſpecta. At nemo negare auſit, opinionem, qua infallibilis Romanorum Pontificum authoritas impugnatur, novam eſſe, atque primum ab Alliaco, & Gerſone, occaſione diuturni illius & ſæpe jam nominati ſchiſmatis, in orbem Catholicum invectam. Id quod nec ipſe Gerſonius diffitetur, ſic enim loquitur de Poteſt. Eccleſ. Conſid. 12. *Ante celebrationem ſacro-ſanctæ hujus Conſtantienſis Synodi, ſic occupaverat mentes plurimorum iſta traditio* (nempe quod Papa ſit infallibilis, & ſupra Concilium) *ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus; hujus rei ſignum accipe, quia poſt declarationem, & quod urgentius eſt, determinationem ejusdem ſanctæ Synodi inveniuntur, qui talia paſſim aſſerere non paveant.* Patet ergo Adverſariorum opinionem per 1400. annos in Eccleſia incognitam fuiſſe, primumque diri ſchiſmatis occaſione invectam a Gerſone, paucisque aliis, atque ideo novum velut figmentum rejiciendam: noſtram vero ejusmodi eſſe, quam non modo omnium antecedentium ſæculorum Doctores, ſed moderno etiam tempore, dum a ſolis Gallis, iisque non omnibus, impugnatur, cæteri omnes totius Catholici Orbis Præſules, Univerſitates, & Academiæ, Religioſi Ordines, Theologi denique omnes tuentur. Dixi, nec ab omnibus Gallis ſententiam hanc impugnari. Enimvero quam plures etiam nunc in Galliarum Regno inveniuntur Epiſcopi, Doctores Pariſienſes, Religioſi Ordines integri, qui eam velut indubitatam amplectuntur. Hæc certe totius eſt Societatis JESU doctrina. Eandem cum D. Thoma tuetur Ordo Dominicanorum, & alii quaſi certatim: quamvis privatus aliquis, ſuo magis quam Eccleſiæ commodo addictus, a Majorum ac Fratrum ſuorum ſemita interdum recedat.

Quid quod anno 1705. cum Clerus Gallicanus in acceptatione Bullæ Pontificiæ *Vineam Domini Sabaoth*, declaraſſet, Conſtitutiones ſummorum Pontificum tum demum univerſam obligare Eccleſiam, cum a corpore Paſtorum fuerint acceptatæ, quæ acceptatio per viam judicii fieret; indeque commotus Clemens XI. Regi Ludovico XIV. reſcribens conqueſtus eſſet, Gallicanos Epiſcopos cœtum feciſſe, non tam ut ipſius Conſtitutionem reciperent, quam ut ſanctæ Sedis authoritatem anguſtis limitibus coarctarent; poſtea Cardinalis de Noailles, qui conventui illi præſederat, aliique ſex Archi-Epiſcopi, & quinque Epiſcopi, qui ibidem præcipuas partes impleverant, Regis juſſu correxerunt, quæ durius forte adverſus Pontificiam authoritatem edixerant, adeo ut Pontifex contentus eſſe poſſet; data deinde omnium nomine ab ipſo Cardinali ad Pontificem epiſtola, qua memorati Conventus effata ad eum ſenſum trahebantur, ut quæ adverſus infallibilem Romani Pontificis authoritatem expreſſa fuerant, omnino retractata viderentur.

Tertia ratio. Sententiam illam, quæ ab Aſſertoribus ſuis non niſi argumentis mere negativis defenditur, merito improbandam cenſemus. Enim vero, ut opinio Theologica fidem mereatur, non modo argumentis a ratione petitis, ſed vel maxime Scripturæ ſacræ, Conciliorum, Patrumque monumentis roboretur, neceſſe eſt. At vero Adverſarii noſtri in opinione ſua tuenda in eo duntaxat toti ſunt, ut ſacræ Scripturæ, Conciliorum & Patrum teſtimonia, quæ contra ipſos proferuntur, vel miſere detruncent, & in alienum exoticumque ſenſum detorqueant, vel omnino reticeant. Cumque propria opinio poſitivis rationibus & authoritatibus probanda ipſis eſſet, ea duntaxat proferunt, quæ ad rem ſuam minime faciunt. Tales ſunt e. g. illi Scripturæ textus, quos non minus ad cæteros Apoſtolos, quam ad Petrum pertinere volunt;

nem-

Digitized by Google

nempe: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum* ad Epheſ. 2. v. 20. *Fundamenta duodecim ſunt nomina Apoſtolorum.* Apoc. 21. v. 14. *Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI* Actor. 20. v. 28. Quid enim quæſo hæc, & quæcunque ejusmodi alia Scripturæ teſtimonia ad infirmandam ſummi Pontificis infallibilitatem? Quis neſcit, aliter dici fundamentum ædificii Eccleſiaſtici Petrum, aliter Apoſtolos cæteros: hi enim ſunt fundamentum ratione doctrinæ & prædicationis; Petrus autem eſt fundamentum non ſolum ratione doctrinæ, quam ſicut cæteri prædicavit, ſed etiam ratione jurisdictionis ordinariæ, quam loco Chriſti fundamenti primarii exercuit in Eccleſia, eam gubernando, & in doctrina Evangelica fratres ſuos continendo & confirmando. Et quidem, ſi non obſtante, quod cæteri Apoſtoli fundamenta vocentur non minus ac Petrus, adhuc ſubſiſtit in Petro ſingularis prærogativa primatus, non ſolum ordinis, ſed & jurisdictionis, ut omnes Catholici admittunt; cur non ſubſiſtet etiam ſpecialis prærogativa infallibilitatis? Spiritus Sanctus poſuit Apoſtolos regere Eccleſiam Dei, id veriſſimum eſt: ſed non ſingulis tribuit authoritatem ſupremi Capitis in Eccleſiam univerſalem, alias rueret in Petro ejusdem ſupremi Capitis & Paſtoris dignitas, quam Adverſarii ſupponunt. Poſuit ergo ſingulos regere Eccleſias particulares, quas ut Epiſcopi fundabant; vel ſi ſermo ſit de tota Eccleſia, poſuit eos regere authoritate extraordinaria, quam ſinguli ut Apoſtoli habebant, ad prædicandum Evangelium per orbem univerſum, non ad eam ſupremo jure gubernandam. Accedit, quod ſi Epiſcopos cum Apoſtolis comparemus, cum iſti infallibiles fuerint in docendo, etiam ſingillatim ſumpti; ſequeretur Epiſcopos non ſolum conciliariter congregatos eſſe infallibiles, ſed unumquemque illorum; quod nullus unquam admiſit. Nihil ergo hæc omnia juvant adverſarios: ſed ut poſitivum quidpiam adverſus infallibilita-

tem Pontificis probare valeant, neceſſe omnino videtur, ut proferant teſtimonia Scripturæ, aut Patrum, quibus abſolute contineatur, aut unde congrue deduci poſſit, ſummos Pontifices in iis, quæ fide credenda Eccleſiæ proponunt, errori eſſe obnoxios; quod cum nuſquam præſtiterint hactenus, merito repellendi videntur ut Novatores, qui nulla Veterum fulti authoritate, ut Gallicanorum Præſulum an. 1682. indignationem evitarent, imbellem & recens natam opinionem tueri velint.

Reſpondetur ad argumenta Adverſariorum.

VIII. *Objiciunt* 1*mo*, Ea omnia, quæ pro Pontificis infallibilitate adducta ſunt hactenus Scripturæ, Conciliorum, Patrum, cæterorumque Doctorum, præſertim Gallicanorum teſtimonia, aliam, quam quæ a nobis adhibita eſt, Eccleſiæ ſenſui magis conformem, interpretationem admittere; qua poſita, ruit omne Pontificiæ infallibilitatis firmamentum. Vel enim, inquiunt, ſermo eſt in Conciliis, Patribus &c. de Eccleſia Romana, & Sede Apoſtolica; vel de Romano Epiſcopo, ſummoque Pontifice.

Si de Sede Apoſtolica ſit ſermo, diſtinguendum eſt inter eam, & inter ſummum Pontificem; inter Cathedram Petri, & in ea ſedentem Petri Succeſſorem; inter Romanam Eccleſiam, & eidem præſidentem Romanum Epiſcopum; inter fidem, quam hæc Eccleſia profitetur, & eam, quam ipſius Pontifex prædicat: illam in fide immotam pronuntiant Concilia, Patres, Doctores omnes; iſtum vero, fallibilem & errori obnoxium, tuto & ſalva eorum authoritate dici poteſt. Ita poſt Launojum & alios, Benignus Boſſuet, in Defenſione Declar. Cler. Gall. part. 2. l. 15. cap. 6. ubi hæc habet: *SS. Patres ab ipſa Chriſtianitatis origine, dum quærunt illud immo-*

tum

tum in fide, quod Eccleſiæ principali, Romanæ ſcilicet, ineſſe neceſſe ſit; non Romanum Pontificem Doctorem publicum, quem a Romano Pontifice homine ſingulari, atque ut peccatis, ita erroribus obnoxio, ſecernendum cogitent - - - - ſed ipſam Romanam Eccleſiam, ac Romanam fidem, ipſam Petri Cathedram, ac Sedem Apoſtolicam uno ore commemorant.

Cum vero de ipſius Pontificis in cauſa fidei authoritate loquuntur Concilia, Patres &c. ſenſus eſt, Papæ judicium in fidei quæſtionibus irreformabile eſſe, quando Eccleſiæ conſenſus acceſſit, non vero ante conſenſum & acceptationem. Ita Epiſcopi Gallicani in ſua Declaratione Propoſ. IV. *In fidei quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis eſſe partes, ejusque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.*

Reſp. ad 1mum: Diſcrimen illud, quod aſtruunt Adverſarii, inter Apoſtolicam Sedem, & in ea ſedentem Romanum Pontificem, ſi etiam admittatur, tantum abeſt, ut Papæ auctoritatem extenuet, ut eam potius plurimum commendet. Cum enim, ut ipſe Boſſuetius fatetur lib. cit. c. 5. Romana Eccleſia pro ſui Pontificis dignitate, & quia hic ſpecialiori modo illius Caput eſt, in fide immobilis ſit, ſequitur, eam, quam ipſa habet infallibilitatem, non niſi ſuo debere Epiſcopo, a quo nempe privilegium iſtud, velut a Capite in cætera membra derivatur. *Propter illam Orationem Chriſti: Ego rogavi pro te &c.* inquit Joannes Dartis Regius in Academia Pariſienſi Profeſſor, L. de Benef. Sect. 1. cap. 3. *omnes colligunt, Romanam Eccleſiam non poſſe errare.* Cum ergo Oratio Chriſti pro ſolo Petro facta ſit, hinc patet, ejusdem Orationis effectum ad Eccleſiam Romanam non niſi per ipſum ac ejus Succeſſores derivari.

Cæterum diſcrimen iſtud, eo ſaltem ſenſu, quem illi affingunt Adverſarii, nullum eſſe contendimus. Non diffite-

temur quidem, diſtinguendum eſſe quoad aliqua inter Apoſtolicam Sedem, & in ea ſedentem Romanum Epiſcopum; quatenus nempe deficiente Pontifice, non etiam propterea deficit aut perit Sedes Apoſtolica ſeu Romana Eccleſia, aut a fide neceſſario abrumpitur; nec privilegia huic Sedi annexa extinguuntur, aut incompoſitis Papæ alicujus moribus imminuuntur. At de his nunc non eſt quæſtio, ſed de infallibilitate activa judicii & doctrinæ: an videlicet ſummus Pontifex, cum ex Cathedra pronuntiat, & ut Papa Eccleſiam univerſam docet, errare poſſit, Sede ipſa ſeu Eccleſia Romana non errante? Num in hoc reponendum ſit diſcrimen illud Sedem Apoſtolicam inter, & in ea ſedentem Romanum Pontificem? Aſſerit id Meldenſis Epiſcopus cum aliis quibusdam ſuæ Nationis Theologis. Nos vero cum cæteris omnibus conſtanter negamus. Melchior Canus celebris ſæculi XVI. Scriptor, diſtinctionem iſtam jam ſua ætate natam, velut abſurdam rejiciens, ita de ea diſſerit de Loc. Theol. cap. 8. *Theologi nonnulli, minime mali illi quidem, ſed non ſatis acuti, quoquo modo poſſunt, tergiverſantur. Romanam quippe Eccleſiam a Romano Pontifice diſcernunt; ajuntque, hunc in fide errare poſſe, illam non poſſe. Sic ſibi videntur omnia propemodum argumenta diluere. Verum ſi de errore in fidei judicio, atque Decreto loquimur, ut vere loquimur, nullum ego diſcrimen inter Sedem Apoſtolicam, & Apoſtolicæ Sedi inſidentem invenio. Primum, quoniam cum ad Sedem Apoſtolicam accedimus, fidei oracula poſtulaturi, non ſingulos Romanæ Eccleſiæ fideles interrogamus, nec Eccleſiam ipſam Romanam in Concilium cogimus, ſed Pontificis maximi judicium quærimus. Rurſum, quoniam non Romanus populus eſt, qui univerſam Eccleſiam docet ea, quæ ad fidem attinent, ſed Romanus Epiſcopus; nec poteſtas judicandi, paſcendi, in populo Romano eſt, ſed in Romano Paſtore, Vicario JESU Chriſti; Concilia quoque non exigunt confirmationem & robur ab ipſa Romana plebe,*

ſed

Digitized by Google

ſed a plebis Romanæ Antiſtite. Præterea privilegium firmitatis Petro fuit peculiariter datum: Ego, inquit, rogavi pro te &c. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c. Quocirca ſi veræ Theologiæ rationem ſequimur, in Petro & Succeſſoribus primum firmam & certam doctrinam aſſerimus, mox vero in Eccleſia Romana, cujus Petrus cum Succeſſoribus & Caput & fundamentum eſt. Atque etiam animadverto, quod ſicut omnibus ſimul Epiſcopis docentibus errorem, neceſſe eſſet totam Eccleſiam in errore verſari; ita ſi Paſtor Eccleſiæ Romanæ errorem fidei contrarium decerneret, oves quoque errante Paſtore diſpergerentur. Hæc Canus, quæ etſi paulo prolixiora ſint, nihilominus referre placuit; quia rem totam ita abſolvunt, ut nihil eis addi poſſe videatur.

IX. *Reſp. ad 2dum:* Infallibilitatem Pontificiam perperam ab Adverſariis reſtringi ad Eccleſiæ conſenſum & acceptationem: hujus namque reſtrictionis falſitas ex multis convinci poteſt.

Primo. Si Papæ judicium ante Eccleſiæ univerſæ aſſenſum non eſt infallibile; neſcio, quæ ſit illa Decretorum Pontificiorum vis in omnes & ſingulas Eccleſias, quæ præcipuæ Pontificis partes, quas ipſi attribuunt Antiſtites Gallicani. Nam Decreta condere, doctrinamque proferre, quæ tunc primum ſit certa & extra ſuſpicionem erroris, cum ab Eccleſia recipitur, non eſt ſolius Romani Pontificis prærogativa, ſed cujuslibet Epiſcopi, imo privati Doctoris, cujus ſententia aliqua, ſi ab Eccleſia recipiatur, evadit utique certa & dubii expers, privilegio nempe non ipſius Doctoris, ſed Eccleſiæ, quæ errorem in fide recipere non poteſt. Ne igitur inanis ſit authoritas Beato Petro collata, cum in præmium ſuæ fidei conſtitutus eſt Eccleſiæ fundamentum; ne confirmandis fratribus inutilis fuerit Chriſti pro ejus fide oratio; ne illius curæ commiſſum ſit Chriſti ovile abſque certa di-

ſcretione paſcuorum, quæ ovibus proficua aut perniciosa futura ſint; neve tranſeunte ad ejus Succeſſores officio, non tranſiiſſe quoque authoritatem dicamus; ut in fidei quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis eſſe partes ex vero aſſerere liceat, ejusque Decreta ab omnibus & ſingulis Eccleſiis tuto recipi poſſint; affirmandum videtur, Eccleſiam ſummi Pontificis judicio ideo conſentire, quia eſt infallibile, & illa non niſi certæ veritati aſſentire poteſt; non vero illud judicium ideo eſſe infallibile, quia Eccleſia ei conſentit. Prius enim eſt rem eſſe certam, quam Eccleſiam ei conſentire. Summus Pontifex eſt omnium fidelium Doctor, atque adeo ſuſcipienda eſt ejus doctrina, quia certa eſt; non autem ſolum certa eſt, quia ſuſcipitur. Ille quidem Eccleſiæ conſenſus ſignum eſt certitudinis judicii, ſed non eſt ejus cauſa, cum illam potius ſupponat.

Secundo. Ex univerſæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſerie conſtat, Eccleſias omnes, omnique tempore in dubiis circa fidem recurriſſe ad Apoſtolicam Sedem, & ejus reſponſa tanquam oracula ſuſcepiſſe, idque ſpeciatim de Gallicana teſtatur ſanctus Leo epiſt. 89. cujus verba ſupra retulimus. Et hæc regula eſt ab univerſa Eccleſia recepta, cauſas fidei ad ſanctam Sedem eſſe referendas; hanc tradidit S. Innocentius I. in Reſcripto ad Milevitanum Concilium; hanc renovarunt plures alii Pontifices, & executi ſunt Antiſtites, præſertim, ut diximus, Gallicani. Abſurdum autem eſſet dicere, conſultum fuiſſe Romanum Pontificem tanquam Juriſperitum, aut Doctorem aliquem privatum, cujus ſententiæ ſtare, vel ulteriori examini eam ſubjicere liberum eſſet conſulentibus. E contra in omnibus fere hujusmodi conſultationibus expreſſa fit mentio permanentis in Eccleſia Romana, & in ejus Pontifice indeficientis fidei Petri.

Ter-

Digitized by Google

Tertio. Cum dicis, a Pontifice definita non eſſe certa, ſed conſenſu Eccleſiæ certa fieri, quid tu intelligis nomine Eccleſiæ? Concilium generale? at jam oſtendimus trecentis & ultra annis graviſſimas hæreſes ſine ullo generali Concilio damnatas eſſe. Nemo etiam ignorat quanta ſit hodie, imo ſemper fuerit congregandarum generalium Synodorum difficultas. An intelligis nomine Eccleſiæ univerſam fidelium & Paſtorum per orbem diffuſorum ſocietatem? ergo nunquam me Pontificis definita obſtringent, quia nunquam conſtare mihi poteſt omnes in ea conſenſiſſe: unde enim tibi certo innotuit, e. g. Alexandro Pontifici Eccleſias omnes particulares ſubſcripſiſſe, cum Janſenium damnavit? imo qui potuerunt omnes per univerſum orbem conſentire, re non ad omnes perlata, nulloque Conventu habito, nunquam capitibus collatis? Quod ſi nomine Eccleſiæ majorem fidelium aut Eccleſiarum particularium partem intelligis, de eadem redibit quæſtio, quomodo conſtare tibi poſſit, majorem illarum partem in damnationem Janſenii conſenſiſſe? Fruſtra igitur exigis Eccleſiæ univerſæ conſenſum ad hoc, ut definitiones & decreta Pontificum in rebus fidei certa & infallibilia habeantur.

Quarto. Si judicium Papæ infallibile non ſit, niſi eidem accedat conſenſus totius Eccleſiæ, non ea amplius conſiſtet Sedis Apoſtolicæ infallibilis authoritas, quam ei ex ipſorum gallorum mente aſſeruimus: neque enim ipſius Sedis Apoſtolicæ conſenſus ſufficiet, aut judicium erit irreformabile; ſed errare & emendari poterit Pontifex, etiam dum una cum Sede Apoſtolica, & conſulta ac conſentiente Eccleſia Romana aliquid in cauſa fidei definiverit. Si iſtud admittunt Adverſarii, cur ergo tanto apparatu nobis Eccleſiæ Romanæ, Sediſque Apoſtolicæ infallibilitatem inculcare adlaborant? Cur, quoties authoritate & teſtimoniis Conciliorum, Patrum, integrarum Eccleſiarum, ac inprimis Gallicanæ, uno ore Sedem

Apoſtolicam, Romanamque Eccleſiam infallibilem omnino prædicantium, premuntur, illico confugiunt ad imbellem illam diſtinctionem inter Romanum Pontificem, & Romanam Eccleſiam, quando Eccleſia iſta, æque ac ipſe Pontifex, errori obnoxia eſt, nec niſi ab univerſalis Eccleſiæ conſenſu infallibilitatem recipit? Sed doctorem Sorbonicum & Regium ac emeritum Profeſſorem, Honoratum Tournelium ea ſuper re differentem audiamus. Is, quamvis Romani Pontificis infallibilitati adverſetur, poſtquam Tract. de Eccleſ. Tom. 2. q. 5. art. 3. Launoii & aliorum diſtinctionem illam Sedem Apoſtolicam inter & in ea ſedentem Romanum Pontificem adſtruentium, ſententiam retulit, hæc addit: *Optandum ſane foret, totam iſtam ſalebroſam controverſiam hac via & ratione componi poſſe; ſed noſtro quidem judicio difficile omnino eſt id aſſequi, ſtante declaratione Cleri Gallicani - - - - & certe Romanus Pontifex, ubi de fide ac moribus pronuntiat, vel ſequitur doctrinam ac fidem Sedis ſuæ Apoſtolicæ, quam accurate, & ut oportet conſuluit; vel non ſequitur. Si prius, agit ut Pontifex, nec ipſius judicium diſtingui debet a judicio & ſententia ſuæ Sedis, quæ ore ipſius loquitur. Si poſterius, non agit haud dubie ut Pontifex, nec Eccleſiæ ſuæ nomine, cujus ſenſum non ſequitur; ſed agit ut ſingularis & privatus Doctor, qui omnium Theologorum judicio errori obnoxius eſt. Jam vero ſi ſemel ſtatuas, Romanæ Sedis ac cum ea pronuntiantis Romani Pontificis judicium certum eſſe ac infallibile; irreformabile quoque debet agnoſci ex ſolo Sedis Apoſtolicæ conſenſu: attamen declarat Clerus Gallicanus, judicium illud irreformabile non eſſe, niſi acceſſerit Eccleſiæ conſenſus. Igitur præter conſenſum Eccleſiæ particularis Romanæ, Clerus Gallicanus exigit, ut aliarum etiam Eccleſiarum conſenſus accedat. Ergo ante illum conſenſum non judicat eſſe irreformabile primæ Sedis judicium. Quippe ſi tale judicaret, haud dubie pronis animis ſine ulla hæſitatione ac deli-*

Digitized by Google

beratione omnia & ſingula primæ Sedis de fide ac moribus decreta ſtatim apud nos excipienda forent, ut decet excipere decreta, quæ ab authoritate infallibili dimanare dignoſcuntur. Conſenſus ergo Epiſcoporum, qui ſubſequi debet, neceſſarius foret, non liber, nec impune poſſet recuſari. Hactenus Tournelius: unde manifeſtum fit ex celebris hujus Sorbonici Doctoris ſententia, abſurde quosdam Gallicanos Theologos diſcrimen quærere Sedem Apoſtolicam inter, & in ea ſedentem Romanum Epiſcopum; vel certe ad hujus infallibilitatem Eccleſiæ totius conſenſum non ſine contradictione exigere.

Quinto. Si judicium Papæ ſit infallibile, quod ei Eccleſiæ conſenſus accedat; quærimus, quotus quantusque Epiſcoporum, qui latum a Papa in fidei quæſtionibus judicium approbent, numerus requiratur ad hoc, ut hujusmodi Pontificiæ definitioni Eccleſiæ conſenſus acceſſiſſe cenſeatur, ſicque fiat irreformabilis? Nam Gallicani Antiſtites in quarta ſuæ Declarationis propoſitione ſimpliciter aſſeruere, *irreformabile non eſſe judicium ſummi Pontificis, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit*, neque addere voluere *univerſalis*, etiamſi id a nonnullis poſtulatum fuerit; non alia forſan de cauſa, quam ut verbis illis ambiguis, & quæ æque ad Eccleſiam univerſalem ac illius partem dumtaxat inflectere liceret, Gallia ſe tutari, & qua data occaſione, ubi nempe commodum, rebusque ſuis conducere videretur, vel ad Eccleſiam univerſalem, vel ad particulares quasdam ſolum ea trahere poſſet. Sed noſtrum non eſt perſcrutari, quid ad eam ambiguitatem Gallicanos Præſules impulerit.

Illud adnotaſſe ſufficiet, binas circumferri in Gallia opiniones, circa conſenſum Epiſcoporum, quo Papæ decretum irreformabile fit. Una, quæ vult ſufficere aliquarum dumtaxat Eccleſiarum ſeu Epiſcoporum aſſenſionem; altera vero quæ totius Eccleſiæ, omniumque, aut quaſi omnium conſen-

ſum, ſeu ſuffragiorum, ut ajunt, *unanimitatem*, vel ſaltem *quaſi unanimitatem* expoſcit. Nondum tamen ſive qui primam, ſive qui alteram opinionem tuentur, ſat clare hactenus deſinivere, quot reipſa & quantarum Eccleſiarum ſeu Epiſcoporum conſenſus requiratur, quo Romanæ Sedis judicium in fidei quæſtionibus irreformabile evadat; quod omnino definiendum foret, ut ſic ſublata ambiguitate verborum, omnibusque altercationibus via præcluſa, ſciret unusquisque, quanto Eccleſiarum & Epiſcoporum numero Romanus Pontifex infallibilitatem ſuam debeat.

Sed de numero iſto parum hic credo ſolicitos fore Adverſarios noſtros, ultroque Romani Pontificis judicium velut irreformabile ſuſcepturos, dummodo conſentientibus Francis Præſulibus Gallicana Eccleſia jungeretur: hujus enim conſenſu deficiente, fruſtra reliquas obtendas Eccleſias; tum neque *quaſi unanimitas* Epiſcoporum valebit. Scilicet reliqui totius Chriſtiani Orbis Epiſcopi, vel ob præconceptam infallibilitatis ſententiam, vel ob defectum libertatis Eccleſiarum ſuarum, examinandæ Pontificiæ poteſtati non ſatis comparati videntur; id ſolis conceſſum eſt Gallicanis Theologis, utpote qui nullo partium ſtudio, ſed ſolius veritatis amore regantur, nec non ſpeciali libertatis prærogativa gaudeant. Ita nempe illi ſibi blandiuntur, atque adeo ſoli, & in propria cauſa judices eſſe vellent.

X. *Objiciunt 2do* Conciliorum Oecumenicoum neceſſitatem, quam ipſi ſummi Pontifices agnoverunt, omnemque propterea curam & ſolicitudinem in ejusmodi Conventibus promovendis adhibuere. Ipſi præterea non raro faſſi ſunt, ſe Conciliorum Canonibus ſubjectos eſſe. Sic Julius I. in epiſt. ad Orientales: *Id vero*, inquit, *ad Synodi & Epiſcoporum, qui in Nicæna Synodo fuere, contumeliam vergeret, ſi quæ illi tanto ſtudio & cura veluti Deo præſente egiſſent, a nobis*

bis ut vana & futilia abrogarentur . . . . Nos omnia ſecundum Canones facimus.

Zozimus in epiſt. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis & Narbonenſis. *Contra Patrum ſtatuta*, ait, *concedere aliquid vel mutare, ne hujus quidem Sedis poteſt auctoritas.*

Cœleſtinus I. in epiſtola ad Epiſcopos Illyrici: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; ſimus ſubjecti Canonibus, cum Canonum præcepta ſervamus.*

Gelaſius in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: *Synodi*, inquit, *conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi Sedem oportere, quam primam.*

Felix III. epiſt. 15. *Apoſtolica Sedes executrix eſt Concilii Chalcedonenſis.*

Plurima ejusmodi alia Pontificum teſtimonia congerunt hic Adverſarii, ex quibus inferunt, eos propria faſſione nec infallibiles eſſe, nec Conciliis ſuperiores, imo inferiores ac ſubjectos.

Reſp. Conciliorum præſertim generalium maximam eſſe utilitatem, nemo inficiatur, ut jam alias inculcavimus. Neceſſaria etiam illa eſſe ad frangendam hæreticorum pertinaciam, extinguenda ſchiſmata, leges ab Eccleſia latas executioni dandas, plurima confirmant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ exempla: an autem ad certitudinem judicii omnino iis opus ſit, quæſtio eſt, & affirmantibus incumbit onus probandi. Ex ſummorum Pontificum ad congreganda Concilia conſenſu vel etiam cura & ſolicitudine minime colligitur illa neceſſitas. Cum enim ſummi Pontificis infallibilitas fundata non ſit in revelationibus Propheticis, ſed diligentem diſquiſitionem, ac propoſitæ quæſtionis diſcuſſionem expoſcat, ad id autem neceſſarium ſit Scripturas, & Traditiones ſcrutari, Eccleſiarum con-

conſuetudines expendere, Epiſcopos doctosque Viros in conſilium adhibere; nulla eſt convenientior aſſequendæ veritatis ratio, quam ſi totius Chriſtiani Orbis Epiſcoporum judicium requiratur, ac ſingularum Eccleſiarum traditiones, & ſingulorum Paſtorum ſententiæ inter ſe conferantur. Itaque cum commode fieri poteſt, non eſt prætermittenda ea inveſtigandæ veritatis via, quam ſuo exemplo primus Pontifex Petrus præmonſtravit.

Objecta Pontificum teſtimonia quod attinet, ea ſingillatim hoc loco expendere non vacat. Univerſim autem reſpondemus, ſummos Pontifices vel loqui de Canonibus, & ſtatutis, in fide ſeu jure Divino aut naturæ fundatis, quibus derogare utique fas non eſt Pontificibus, uti nec ipſi Eccleſiæ: hic enim cum Apoſtolo fatentur Pontifices, *ſe nihil poſſe contra veritatem*. Vel ſi alicubi ipſis ſermo fuit de Canonibus ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus; id eo ſenſu intelligi debet, quod illi derogare, aut in illis diſpenſare non poſſint, niſi vel ipſius Eccleſiæ neceſſitas aut utilitas, ſeu temporum aut perſonarum ratio id exegerit: tum namque hanc poteſtatem in ſummis Pontificibus ultro agnovere ipſamet Oecumenica Concilia, ut videre eſt Act. 1. Synodi 8. in qua recitata fuit, & a Patribus comprobata Adriani Papæ II. epiſtola ad Baſilium Imperatorem, ubi inter alia hæc loquitur Pontifex: *Neceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine convenimur, ſic Canonum paternorum decreta librare, & retro Præſulum, deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum fieri poteſt temperemus.*

Neque ex eo, quod ſummi Pontifices Canones Conciliorum ſumma veneratione proſecuti ſint, neque religioni ſibi duxerint eos contemnere aut tranſgredi, inferre licet, Ponti-

tifices ſe Canonibus ſubjectos profeſſos eſſe. Ipſa namque Concilia Oecumenica non minorem venerationem teſtata ſunt erga Synodos anteriores, quam ſummi Pontifices erga ſacros Canones. Sic Concilium Epheſinum & Chalcedonenſe Synodi Nicænæ & Conſtantinopolitanæ fidei formulas retulerunt, ac declararunt, nihil ſe in iisdem immutare, aut tangere poſſe. Id ipſum præſtitere ſequentes Oecumenicæ Synodi atque ſub anathematis pœna inhibuerunt, ne quiſquam iis vel minimum quid adderet demeretque. Præterea cum ſacri Canones ab ipſismet ſummis Pontificibus, qui Conciliis illis, in quibus a ſapientiſſimis & piiſſimis Epiſcopis, Spiritus Sancti inſtinctu, propoſiti fuerunt, per ſe, vel per ſuos Legatos præſederunt, conditi fuerint, non poterant non ingenti eosdem veneratione proſequi. Cumque Romanorum Pontificum ſemper fuerit curare, ut ſacræ iſtæ leges in omnibus totius orbis Eccleſiis promulgarentur & obſervarentur; fas profecto ipſis non erat easdem non obſervare: imo ad id omnino tenebantur, quoad ea videlicet, quæ juris Divini aut naturæ erant, non ſecus ac tota Eccleſia. At hoc minime oberat, quin in hujusmodi Eccleſiæ Canonibus diſpenſare, imo etiam eos abrogare poſſent, cum nempe neceſſitas, aut utilitas, aut alia gravis ratio id expetere videretur.

XI. *Objiciunt 3tio.* Complurium Romanorum Pontificum diverſos in rebus fidei errores.

Et *Primo* quidem percelebre olim fuit apud Theologos, Pontificiæ infallibilitatati infenſos, argumentum, deſumptum ex epiſt. ad Galatas cap. 2. ubi teſtatur S. Paulus, a ſe fuiſſe reprehenſum S. Petrum, *eo quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii.* Ex quo inferebant memorati Theologi, Petrum erraſſe in fide, multo proinde magis ipſius Succeſſores errori obnoxios eſſe.

Secundo, proferebant etiam exemplum Zephyrini, quem ementitis a Montano vaticiniis ac miraculis captum eidem communicaſſe, teſtatur Tertullianus lib. adverſus Praxeam cap. 11.

Tertio, S. Stephanum conatus eſt Launojus non minus quam S. Cyprianum in errore, circa Baptiſma hæreticorum, verſatum oſtendere: quia ſcilicet ſicut iſte nullorum, ſic ille omnium hæreticorum Baptiſma probabat, modo Chriſti Baptiſma eſſet. Quod evincere nititur ex S. Auguſtino, qui in lib. de unico Bapt. cap. 14. aſſerit, quod *Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat.* S. vero Cyprianus, inquit Launojus, epiſt. ad Tubajanum ſcribit, Marcionem non baptizaſſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ex quibus concludit, S. Auguſtinum Romano Pontifici indeficientis judicii privilegium nuſquam adſcripſiſſe, nec illum pro ſupremo, vel ultimo controverſiarum fidei judice habuiſſe. Quippe judex talis nuſquam errare debet, Stephanum autem hac in re erraſſe Auguſtinus ſignificat, cum dicit, eum decreviſſe, ut Baptiſmus in nullo iteraretur, proinde nec in illo, in quo ſine invocatione Patris, & Filii, & Spiritus S. conſecratus fuiſſet.

Quarto, Liberii etiam exemplum commemorat Launojus, qui teſte Athanaſio in epiſt. ad Solitarios Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſe dicitur.

Quinto, Zozimum Pelagianam Cœleſtii fidei profeſſionem approbaſſe, illiusque libellum Catholicum dixiſſe, probare quidam contendunt ex S. Auguſtino lib. 2. ad Bonif.

Sexto: Gelaſius I. Papa, in lib. contra Eutychen, docuiſſe perhibetur, in Sacramento Euchariſtiæ una cum carne Chriſti etiam ſubſtantiam panis poſt conſecrationem durare:

Digitized by Google

re: ex quo errore argumentum contra Eutychen deducit, ut quemadmodum poſt conſecrationem utraque ſubſtantia inconfuſa perſeverat, ita poſt Incarnationem. Verba Gelaſii ſunt: *Certe Sacramenta, quæ ſumimus, Corporis & Sanguinis Chriſti, divina res eſt; propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ; & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia ſeu natura panis & vini.*

Septimo: Producitur Honorius I. quo inter B. Petri ſucceſſores nullus crebrioribus telis impetitur, tum ab hæreticis, tum ab iis Catholicis, qui non errandi privilegium Romano Pontifici denegant. Honorius ergo Monotheliſmi poſtulatur, eamque hæreſim docuiſſe dicitur in duabus epiſtolis ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum; propter quod damnatus eſt in ſexta generali Synodo ſub Agathone Papa.

Octavo: Complures alii Pontificum errores objiciuntur, ut Gregorii II. qui in Epiſt ad Bonifacium, quæ habetur Tom. 3. Concil. ob infirmitatem uxoris Marito aliam ducere permittit. Stephani VII. & Sergii III. qui Formoſi Papæ factas ordinationes velut nullas, & omnino irritas repetierunt. Nicolai I. docentis Baptiſmum in nomine Chriſti ſine trium Perſonarum expreſſione valere. Cœleſtini III. de quo teſtatur Innocentius III. eum ſenſiſſe, Matrimonium diſſolvi altero Conjugum in hæreſin labente. Idem Innocentius docuit, legem veterem necdum plene eſſe abrogatam. Alexandri III. aliorumque quorundam admittentium, poſſe matrimonium ratum alio matrimonio conſummato dirimi. Joannis XXII. negantis animas Beatorum ante reſurrectionem Deum viſuras, teſte Gerſone ſerm. de Paſchat. aliiſque.

Nono: Denique producit Launojus, Dupinus, & ex iis etiam Meldenſis Epiſcopus, exempla quædam recentiora,

ut Hadriani VI. Julii II. Sixti V. quorum primus, cum adhuc Doctor Lovanienſis eſſet, docuerit, Pontificem etiam in iis, quæ fidem tangunt, errare poſſe; quam ſententiam non revocavit factus Pontifex. Alter definivit *ſimoniam veram, atque indubitatam hæreſim eſſe, & Papam ſimoniace electum non hæreticum modo, ſed & hæreſiarcham eſſe.* Tertius apud Launojum ita habet: *Illud ſane certum, atque exploratum eſſe volumus, noſtros hos labores, ac vigilias eo nunquam ſpectaſſe, ut nova editio in lucem exeat, ſed ut vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præſcripto emendatiſſima, priſtinæque ſuæ puritati, qualis primum ab ipſius interpretis manu, ſtyloque prodierat, quoad ejus fieri poteſt, reſtituta imprimatur.* Quibus addit Lounojus: *Verba hæc virum ſibi præſidentem, & de Bibliorum emendatione perfectiſſima ſecurum objiciunt. At neque Bibliorum editio, neque Sixti Diploma ſuppreſſa eſſent, niſi Sixtus erraſſet.*

Reſp. Hæc omnia, & plura ejusmodi alia, quæ producuntur exempla, non aliunde quam ab Hæreticis mutuata eſſe. Hos namque conſtat, antiqua Eccleſiæ monumenta diligentiſſime pervolviſſe, ut adverſus Catholicam fidem, ſpeciatim vero adverſus dignitatem, & authoritatem Romani Pontificis, argumenta depromerent; qua diligentia quadraginta Pontificibus errorem affinxerunt. At mirum profecto videri debet, Scriptores Catholicos, veritatis, ut ſibi videbantur ſtudio (quod nempe Pontificum aliquorum innocentia, & in fide firmitas, vel propter defectum, vel propter obſcuritatem antiquorum monumentorum non itá evdentibus argumentis oſtendi poſſet) ſed fortaſſe verius averſo a ſummi Pontificis poteſtate animo, quod de nonnullis ſine temeritatis nota affirmare licet, a partibus hæreticorum ſtare maluiſſe, eorumque ſententiam hac in re confirmare, quam pium erga S. Sedem aliorum Catholicorum affectum imi-

Google

imitari, qui ſupremos ejus Paſtores ab hæreſis accuſatione ſtrenue vindicarunt; alii quidem unum aliquem, alii plures, alii omnes. Ex horum itaque mente, ut ſingulis, quæ objecta ſunt, quam breviſſime fieri poteſt, reſpondeamus.

Primum, quod de D. Petro dicitur, nullius eſſe roboris, ex ipſis etiam Adverſariis nunc plerique fatentur. Nam Græci Patres, & cum iis S. Hieronymus epiſt. 89. ad Auguſtinum, nullum in Petro errorem agnoſcunt, ſed omnia ex compoſito, ſimulateque, non ſerio inter Petrum, Paulumque acta fuiſſe cenſent, ut Judæos juxta, ac Gentiles lucrarentur. Ita Origenes, Apollinaris, Euſebius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Caſſianus &c. Hi omnes Petrum excuſant, eumque ſimulato tantum a Paulo reprehenſum dicunt; alioquin multo majori reprehenſione Paulum dignum fore, qui legales ceremonias multo frequentius, quam ipſe Petrus adhibuit. Nam ut a Judæis gratiam iniret, Timotheum patre gentili natum circumcidit Actor. 16. Caput Nazaræorum more totondit Act. 18. Hieroſolymis cum Judæis ſe purificavit Act. 21. Quomodo ergo in Petro reprehendere auſus fuiſſet, quæ toties uſurpavit ipſe? Cum igitur oporteat aut Petrum, aut Paulum in culpam vocari; Petrum ſi juſte correptus eſt, Paulum ſi injuſte corripuit; cur non potius, inquiunt, Petrum Apoſtolorum Principem abſolvamus? Imo utrumque abſolvemus, ſi nec Petrum erraſſe dicamus, nec Paulum ſerio objurgaſſe, ſed in ſpeciem, & ſimulato. Latini autem Patres erraſſe Petrum fatentur, ſed non in doctrina, aut in ipſa rei ſubſtantia (nec enim uſum Legalium neceſſarium credebat, cum ipſe in Concilio Hieroſolymitano contrarium paulo ante definiviſſet) ſed in modo & ratione agendi minus cauta, perſonarumque, quibuscum agebat, infirmitati non ſatis ac-

 com-

commodata. Si ergo erravit, non doctrinæ fuit error, ſed exempli, & facti, de quo non contendimus.

Ad *Secundum* ex Zephyrino reſpondemus, Tertullianum Montaniſtam fuiſſe, ſuſpectam proinde in hoc eſſe ipſius fidem, præſertim cum præter Tertullianum nemo alius id ſcribat. Deinde ex Euſebio l. 5. cap. 3. conſtat, Montaniſtas priusquam in hæreſim incidiſſent, viros fuiſſe inſigni pietate, miraculis, & vaticiniis claros, adeo ut in hæreſim etiam prolapſi multis & ſanctis viris impoſuerint, ipſique Tertulliano omnium ea tempeſtate præſtantiſſimo, ut quos fuerat acerrime inſectatus, eos poſtea & defenderit, & coluerit, ſpecie videlicet miraculorum, & ſeveritatis, quam profitebantur, deceptus. Quid ergo mirum, ſi eadem pietatis larva Zephyrino illuſum fuerit? qui tamen rei veritatem edoctus, communionem cum iis, pacemque continuo abrupit. Nihil ergo, quod fidei adverſaretur, docuit Zephyrinus, ſed mendacio deceptus eſt.

Ad *Tertium*. S. Auguſtinus in eo ipſo loco, quem Launojus refert, non dicit, S. Stephanum cenſuiſſe, valere Baptiſmum in ſolius Chriſti nomine, ſine expreſſa invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis collatum; ſed *quod Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat.* Quinam autem eſt *Baptiſmus Chriſti*, niſi quem Chriſtus inſtituit, & cujus formam præſcripſit? Quin imo S. Stephanus ſtatuerat ut nihil innovaretur: atqui certiſſimum eſt, Baptiſmum cum invocatione Trinitatis conferri ſolitum; hæc enim eſt antiquitas, quam retentam fuiſſe, ſtudio præſertim S. Stephani, docet Vincentius Lirinenſis. Id etiam conſtat ex Euſebio, qui Lib. 67. Hiſt. Eccles. cap. 3. S. Stephani conſilium exprimit his verbis: *Verum Stephanus nihil adverſus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, graviſſime id tulit;* ſcilicet quod rebaptizaren-

rentur ii, qui ab hæreticis baptizati fuiſſent, juxta traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, ſecundum quam expreſſe invocanda erat ſanctiſſima Trinitas. Si quando igitur S. Stephanus de Baptiſmo loquens Chriſti mentionem fecerat, ſolum intendit aſſerere, Baptiſmum a Chriſto inſtitutum, ac juxta formam ab eo præſcriptam, & in ejus nomine collatum, ab ipſo virtutem habere, a quocunque conferretur; Nec *quærendum eſſe*, ut refert Firmilianus in Epiſt. ad S. Cyprianum, *quis eſſet ille qui baptizaſſet, eo quod qui baptizatus eſſet, gratiam conſequi potuiſſet invocata Trinitate.* Nunquam autem S. Stephanus docuit, Baptiſmum per ſolam invocationem Chriſti valere, abſque invocatione trium Perſonarum; nec id de eo ullibi ſcripſit Cyprianus: neque etiam tradidit, Marcionis Baptiſma eo tantum fieri modo ſolitum, ut ex ejus approbatione illa Stephani opinio colligi poſſet. Cæterum non poteſt S. Stephanus erroris argui, niſi ejusdem erroris conſcius ac reus agatur S. Auguſtinus, cujus tamen teſtimonio Stephani errorem probare nititur Launojus. Nam S. ille Doctor propugnavit adverſus S. Cyprianum baptiſmum in nomine Chriſti collatum, quem S. Stephanus adverſus eundem defenderat, ut legere eſt in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas. Præcipue autem Lib. 4. c. 10. epiſt ad Jubajanum, *Aliud*, inquit, *eſt eos, qui intus in Eccleſia ſunt, de nomine Chriſti loqui: aliud eos qui foris ſunt, & contra Eccleſiam faciunt, in nomine Chriſti baptizare.* Lib. autem 5. c. 13. S. Stephani mentem & exponit, & confirmat his verbis: *Stephanus non propterea communicavit hæreticis, quia baptiſma Chriſti, quod in eorum perverſitate integrum manſiſſe cognovit, improbare non auſus eſt.*

Ad *Quartum*, quod ex Liberio ducitur, haud difficilis eſt reſponſio. Tota namque Liberii culpa hæc fuit, quod

quod pœnarum, exiliique tædio primæ fidei formulæ Sirmii ab Arianis editæ ſubſcripſerit, quæ licet vocem *conſubſtantialis* ſilentio premeret, fuit plane Catholica, in qua Photini hæreſes damnabantur, filius ejusdem cum Patre ſubſtantiæ dicebatur, quam ipſe S. Hilarius exponens, Catholicam eſſe fatetur. Et Liberius in literis, quas ad Orientis Epiſcopos dedit, ſe ideo cum Urſatio, & Valente communicaſſe dicit, quod eorum fidem agnoviſſet eſſe Catholicam. Imo Auguſtinus ipſe adverſus Paſcentium Arianum agens, ſe illius fidei ſubſcripturum ſpondet, ſi nihil aliud Catholicæ veritati contrarium inveniat, quam quod vocem *conſubſtantialis* omittat Epiſt. 174. & tamen hanc ſolam Liberius omitti paſſus eſt. Cum ergo formula Sirmienſis, cui ſubſcripſit Pontifex, nullam hæreſim profeſſa fuerit, & Epiſcopi, quibuscum communicavit, id ipſum credere dicerent, quod in illa continebatur, ex quo tandem capite Liberium hæreſis accuſes?

Sed, inquiunt, Athanaſii condemnationi aſſenſus eſt Pontifex, cujus cauſa adeo cum fide conjuncta fuit, ut idem videretur eſſe, Athanaſium condemnare, & fidem prodere: omitti inſuper paſſus eſt vocem *Conſubſtantialis*, quæ teſſera Catholicorum erat.

Peccavit in eo quidem, non diffitemur, Liberius, ſed extra naufragium fidei; privatus ille error fuit, & perſonalis, non Pontificia authoritate definitus, aut Eccleſiæ ad credendum propoſitus. Sed eam quoque maculam exterſit, erroremque ſuum brevi correxit, cum reſciſſis, damnatisque Ariminenſis Concilii Actis, Sede iterum pulſus, ærumnisque confectus, in ſepulchris delituit, multisque propterea encomiis a SS. Patribus laudatus eſt. Vid. Sozomen. l. 4. c. 10.

Ad *Quintum* reſponſio habetur ex S. Auguſtino in eo ipſo loco, qui opponitur. Conceptis enim verbis ait S.

hic Doctor: *Quænam tandem Epiſtola venerandæ memoriæ Papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, ſine ullo vitio peccati originalis hominem naſci* (quod præcipuum erat Cœleſtianæ fidei profeſſionis caput) *nusquam prorſus hoc dixit, nusquam omnino conſcripſit. Sed cum hoc Cœleſtius in ſuo Libello poſuiſſet inter illa, de quibus ſe adhuc dubitare & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acerrimi ingenii, qui profecto ſi corrigeretur, plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea Libellus ejus Catholicus dictus eſt, quia & hoc cacatholicæ mentis eſt, ſi qua forte aliter ſapit, quam veritas exigit, non ea certiſſime definire, ſed detecta & demonſtrata reſpuere.* Ex quibus S. Doctoris verbis patet, Adverſarios, qui Zozimum erroris accuſant, vel non legiſſe eo loco S. Auguſtinum, vel malæ fidei fuiſſe.

Ad *Sextum* reſpondemus, ex rebus admodum incertis ac dubiis argumentum deduci: eſt enim incertiſſimum, Gelaſium Papam illius libri auctorem eſſe; imo graviſſimorum Doctorum authoritas certum facit, eum auctorem non eſſe. Videantur de hoc argumento Baronius, Bellarminus de Romano Pontifice l. 9. c. 10. Canus de loc. Theol. l. 6. c. ult. Spondanus, Perronius, Sirmondus, aliique.

Verum, ſi etiam concederetur, librum illum, & errorem in eo contentum Gelaſii eſſe, nihil propterea adverſus noſtram aſſertionem evincitur. Neque enim omnia, quæ Pontifices libris ſuis inſerunt, ad fidei dogma pertinere volunt: poſſunt illi multa dicere & ſcribere ut privati Doctore, quæ ex omnium ſententia errorem admittunt. In eo ſolum caſu Pontificum doctrina nullo errore fædari poteſt, ut jam ſæpe monuimus, cum Eccleſiam e Cathedra docent, hoc eſt, cum quæſtione aliqua inter Chriſtianos exorta, rebus omnibus mature diſcuſſis, ſententiam pronuntiant,

de-

Digitized by Google

declarantque aliquid ad fidem pertinere, & Chriſti fidelibus, quid eos credere neceſſario oporteat, cum apparatu, & Pontificia authoritate mandant: hæc enim ſolennis, authoritativa ad univerſalem Eccleſiam directa declaratio, eſt actio ſoli Pontifici propria, in quam, ut docuimus, error cadere non poteſt; quod de illa circa Euchariſtiam doctrina Gelaſio adſcripta verum non eſt.

Ad *Septimum*, Honcrii videlicet exemplum, quod præ cæteris famoſum eſt, & velut invictum argumentum ubique ab adverſariis circumfertur, reſponſionis loco, ſatis erit obſervare, in deſenſionem Honorii integra volumina conſcripta jam eſſe, & Catholicos pleroſque eundem ab hæreſi vindicare; quanquam fateantur, ſuo ſilentio, & intempeſtiva diſſimulatione errori impenſius illum faviſſe. Certe Anno 1723. teſte Petitdidier, in ipſis Cleri Gallicani Comitiis publicis Theſibus Honorius ab hæreſi liberatus fuit.

Hoc fatemur, a ſexta Synodo generali perſtrictum, ac damnatum fuiſſe. Qua vero præciſe de cauſa, controvertitur. S. Maximus Honorio coætaneus, & partis eorum, quæ refert, oculatus teſtis, atque adeo veritatis bene conſcius, id errore facti contigiſſe arbitratur, nempe ex male reddita in græcum ſermonem, quæ latine ſcripta fuerat, Honorii epiſtola, ſive fraude, ſive inſcitia aliquorum Græculorum id obtigerit. *Veriſimile eſt*, ait Maximus Tomo dogmat. ad Marinum Presbyt. in Opuſc. Theol. *eos mentiri ac ſubdere, quod ille in ſuis ſermonibus non ſcripſit; hocque moliri adverſarios, ut opinioni ſuæ, quæ plane non optima ſit, ex Viri litteris velamentum quærant, quas contra ejus mentem male interpretantur.* Unam ſcilicet dixit Honorius in Chriſto voluntatem, *quia a Deitate aſſumpta eſt natura noſtra, non culpa* (ſunt verba Honorii) *hoc eſt*, ait S. Maximus, *non ex peccato... Hoc enim ſolum ſpectat, ut vitiatam & libidinoſam, non ut* na-

naturalem voluntatem a Salvatore eliminaret. Atque hunc verum ac genuinum eſſe Honorii ſenſum oſtendit tum ex Abbate Anaſtaſio, quem *Virum* appellat, *ſi quis alius, divinâ virtute ac prudentia ornatum;* tum ex Amanuenſi, cujus opera uſus erat Honorius, ut ſuam ad Sergium epiſtolam exararet, nempe Joanne Abbate, Viro pariter ſanctiſſimo, & de mendacio minime ſuſpecto; quem affirmaſſe ait, Honorium in ea epiſtola *nullo modo per numerum unius prorſus voluntatis mentionem feciſſe, licet hoc nunc ab eis confictum ſit, qui epiſtolam græce reddiderunt. At neque ullo modo abolendam ſeu excludendam cenſuiſſe naturalem Salvatoris, qua homo eſt, voluntatem; ſed eam dumtaxat, quæ noſtra eſt, atque vitii labem habet, penitus eliminaſſe, ac ſuſtuliſſe.*

Et in Diſputatione cum Pyrrho reſpondens objectioni, quam Pyrrhus ex Honorii epiſtola formabat, vult legitimum illius ſenſum ab eo exquirendum eſſe, qui Honorii juſſu epiſtolam illam adornavit: *quis*, inquit, *fide dignus iſtiusmodi epiſtolæ interpres? is, qui eam ex perſona ſcripſit, cum & adhuc vitæ ſuperſtes ſit, ac cum aliis ſuis virtutibus, pietatis dogmatibus omnem Occidentem illuſtrat; an ii, qui Conſtantinopoli loquuntur, quod in mentem venit?* hunc ergo ſcilicet ſupra nominatum Abbatem Joannem Honorii Amanuenſem, ex perſona Joannis Papæ ad Conſtantinum Imperatorem de epiſtola illa ſcribentem, ita locutum eſſe teſtatur: *Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus, & humanitatis, ſed humanitatis dumtaxat. Cum enim Sergius ſcripſiſſet, quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, reſpondit: unam voluntatem diximus Chriſtum habuiſſe, non duas contrarias voluntates, carnis ſcilicet, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantum, quæ naturaliter ejus humanitatem inſigniret.* Nihil certe

te ad vindicandum ab errore Honorium aptius, nihil ad ſanam epiſtolæ ipſius interpretationem illuſtrius proferri poteſt.

Sed quidquid ſit de cauſa Honorii Pontificis, ſive Monothelitarum errori conſenſerit, ſive ſilentio tantum faverit, quod nos nunc uberius & ex propoſito non examinamus; certum eſt, nihil illum ex cathedra definiiſſe, quod hæreſim ſapiat: cum epiſtolæ, quas ad Sergium dedit, privatæ fuerint, nihilque decidant, & nec unam voluntatem in Chriſto, nec duas dici velit, ſed duas naturas cum propriis operationibus; quod plane non eſt decidere, ſed rem in ſuſpenſo relinquere. Imo aperte ſignificat Honorius in hac ipſa ad Sergium epiſtola, controverſiam hanc nondum ſatis examinatam ac liquido definitam omitti debere; *non oportet*, inquit, *hæc ad dogmata Eccleſiaſtica retorquere, quæ neque Synodales apices ſuper hæc examinantes, neque authoritates Canonicæ viſæ ſunt explanaſſe, ut unam vel duas energias aliquis præſumat Chriſti Dei prædicare, quas neque Evangelicæ vel Apoſtolicæ literæ, neque Synodalis examinatio ſuper his habita viſæ ſunt terminaſſe.* Qui ſic loquitur, ex cathedra procul dubio non pronuntiat. Et vero in ipſa Synodo ſexta generali lectæ ſunt duæ Agathonis Epiſtolæ, omnium Patrum ſuffragio probatæ, in quibus Agatho aſſerit, *Apoſtolicam Eccleſiam a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam aberraſſe, nec hæreticis novitatibus depravatam ſucculuiſſe.* Et poſt relata Chriſti verba: *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, ait, *omnes Petri Succeſſores Apoſtolicos Pontifices fratres ſuos in fide confirmaſſe, idque omnibus perſpectum eſſe.* Quomodo cohærent iſta cum damnatione Honorii tanquam Hæretici in eadem ſexta Synodo? neceſſe eſt alterutrum eſſe falſum, aut teſtimonium Agathonis in gratiam ſummorum Pontificum editum, aut ſententiam Synodi contra Honorium: hæc ſane conciliari non poſſunt,

Digitized by Google

ſunt, niſi dicamus, Agathonem locutum eſſe de Pontificibus ex chatedra pronuntiantibus, quorum nullus ad hæc uſque ſua tempora ſic erraverat; Synodum vero damnaſſe Honorium, quod tanquam privatus errorem in epiſtola græce reddita contentum docuiſſet.

Ad *Octavum* reſpondemus, ea omnia, quæ de his Pontificibus proferuntur, nihil facere ad præſentem quæſtionem. Gregorii II. reſponſum non fuit Decretum definitivum & ſententiale, ſed privatim dumtaxat Pontifex Bonifacio Moguntino Epiſcopo reſcripſerat, poſſe virum, cujus mulier infirmitate correpta non poſſet eidem cohabitare, alii nubere. Sed miſſa hac reſponſione, oſtendunt alii, Gregorium locutum fuiſſe de impotentia perpetua, orta ex infirmitate mulieris, & quidem antecedente matrimonium; quæ impotentia utique dirimit matrimonium.

Stephanus VII. & Sergius III. errarunt, non errore juris, ſed facti; malo exemplo, non falſa doctrina: neque enim definierunt Ordines ſacros collatos ab Epiſcopo degradato (qualis erat Formoſus ante ſuum Pontificatum) eſſe nullos; ſed tantum voluerunt, factas ab eo ordinationes repeti ex privatis odiis erga Formoſum. In quo graviſſime peccarunt, præſertim Stephanus, qui barbara crudelitate etiam exhumari juſſit corpus ſepultum Formoſi, & contumeliis affectum in Tyberim projici. Audiatur Baronius ad annum Chr. 397. *furore*, inquit, *percitus homo*, *non quod jure liceret*, *ſed quod exæſtuans rabies ſuaſit*, *implevit*. *Non enim fuit error in fide*, *ſed violenta tyrannis in facto. Unde non auderem Stephanum inter Pontifices Romanos numerare*, *niſi id factum a Majoribus inveniſſem*, *utpote tanto indignum nomine qui primus & ſolus nefando & inaudito ſacrilegio Petri Sedem adeo deturpavit.* An dicemus, talem Pontificem prærequiſitis omnibus de jure conditionibus definitionem ex cathedra edidiſſe? apage commentum.

Nicolaus I. nihil definivit de forma Baptiſmi, ſed ſolum de Miniſtro: de hoc enim ſolo interrogatus fuit; num videlicet Baptiſmus a Pagano, vel Judæo collatus, ſit validus & verum Sacramentum. Ad quod cum reſpondiſſet affirmative, incidenter ſolum addidit, *ſive in nomine totius Trinitatis, ſive tantum in nomine Chriſti conferatur.* Non omnia aut.m, quæ quomodocunque definitioni fidei adduntur, ad fidem æque pertinere, jam alias monuimus. Præterquam quod intelligere potuerit Pontifex, validum eſſe Baptiſmum in nomine ſolius Chriſti expreſſe, & in nomine Trinitatis ſolum implicite collatum; quæ ſententia fuit olim S. Ambroſii, Bedæ & D. Bernardi; & quamvis falſa & nunc practice ſit improbabilis, non eſt tamen hæretica, quia nullibi ut talis damnata.

Cœleſtinus III. ſi de matrimonio ita ſenſit, ut refertur, male ſenſit. At num etiam definivit, ſic ab omnibus credendum? minime gentium. Certe Innocentius III. eam Cœleſtini ſententiam referens, dicit, Prædeceſſorem ſuum ita *ſenſiſſe*, ſe tamen *non credere*, quod matrimonium diſſolvatur per alterutrius conjugis lapſum in hæreſim. Ex quibus colligitur, neutrum ex his Pontificibus hac de re aliquid definiviſſe, ſed ſolum privatam ſuam opinionem propoſuiſſe. Eadem eſt reſponſio ad alios ejusmodi errores, qui cæteris Pontificibus tribuuntur.

Quod de Joanne XXII. commemoratur, quaſi docuerit, animas defunctorum, quibus nihil luendum ſupereſt, non ſtatim admitti ad claram & intuitivam Dei viſionem, vel ex eo ſufficienter refutatum manet, quod ut ipſe hic Pontifex Epiſtola ad Philippum Francorum Regem teſtatur, hanc ſuam opinionem, non ut dogma fidei univerſæ Eccleſiæ ad creden-

dendum propoſitum protulerit, ſed eam virorum eruditorum diſceptationi permiſerit, ut ſcilicet in aperto veritas diſcuſſa poneretur. Solenni proin Diplomate profeſſus eſt, *ſe credere, quod animæ purgatæ, ſeparatæ a Corporibus, ſint in Cœlo cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ, & videant Deum facie ad faciem &c.* Quod ſi ex eo, quia memorata Declaratione Joannes ſua ſcripta vel dicta circa hanc quæſtionem determinationi Eccleſiæ ſubmittit, quis arguat, illum cenſuiſſe, Pontificum etiam circa fidem pronuntiata ab Eccleſia in examen vocari poſſe; non repugnabimus quoad ea nempe, quæ Pontifices tanquam privati Doctores proferunt, prout ſe feciſſe declarat Joannes; non vero circa ea, quæ velut ſupremi Eccleſiæ Paſtores ac publici Doctores definiunt.

Denique quæ poſtremo loco proferuntur exempla non plus probant, quam quod de aliis hucuſque demonſtratum eſt.

Non ignoramus Hadrianum VI. cum adhuc Doctor Lovanienſis eſſet, docuiſſe, Romanæ Eccleſiæ Pontificem etiam in iis, quæ fidem tangunt, errare poſſe. Sed quid ad propoſitum noſtrum facit id, quod privatus Doctor, & antequam de Pontificatu vel ipſe, vel alius quiſquam pro eo cogitavit, contra communem omnium ſententiam aſſeruerit? At Pontifex factus ſententiam non retractavit. Quid inde? Tot, tamque gravibus negotiis & curis diſtentus fuit per illud tempus, aliunde ſatis breve quo Eccleſiæ clavum tenuit (neque enim ejus Pontificatus ultra annum & octo menſes eſt protractus) ut mirum non ſit, eum de corrigendis Commentariis ſcholaſticis minime cogitaſſe. Sed etſi priſtinam in Pontificatu retinuiſſet ſententiam, num idcirco cauſa cecidimus? An privata Pontificis opinio ſolemnis definitionis loco habenda eſſet? An ſolum in deneganda ſibi infallibilitate infallibilis exiſtimandus eſt Pontifex?

Ju-

Julius II. in ea Conſtitutione, quam ſine dubio intelligunt Adverſarii, quæque incipit: *Cum tam Divino &c.* nihil definit de Simonia: eſt ſolum illius Conſtitutionis ſcopus impedire, ne ſummus Pontifex ſimoniace eligatur. Ea occaſione §. 1. Simoniæ meminit, non definiens Simoniam eſſe hæreſim, ſed eam illo nomine notans, quo in jure Canonico paſſim inſignitur. Neque etiam definit, Papam ſimoniace electum hoc ipſo fore Hæreſiarcham, ſed eisdem pœnis plectendum, quibus ſi Hæreſiarcha exiſteret. Pontifex per ſimoniam electus, *non Apoſtolicus*, inquit, *ſed Apoſtaticus & tanquam Simoniacus & Hæreſiarcha, & ad prædicta omnia & ſingula perpetuo inhabilis habeatur, & ſit.* Verbum iſtud *ſit* patet referri debere ad verbum *inhabilis*, non autem ad verbum *Hæreſiarcha.* Voces autem *tanquam* & *habeatur*, aperte declarant, Julium nihil hic definire circa hæreſim Papæ Simoniaci, niſi forte definitionem appelles, ſimplicem nuncupationem in jure uſitatam: ſicut non definit, Pontificem ſimoniace electum fore Magum, Ethnicum, & Publicanum, licet §. 3. velit eum ut *Magum*, *Ethnicum*, & *Publicanum evitari.*

Sixtus V. nuſquam dicit ſe *de Bibliorum emendatione perfectiſſima ſecurum effectum*, quamvis declaret eo labores ipſius omnes & vigilias ſpectaſſe. Neque enim ſemper qui ad aliquem ſcopum collimaſſe ſe affirmat, confidit etiam ſe eum attigiſſe. Quin ſi etiam Sixtus declaraſſet, ſe Bibliorum emendationem perfectiſſimam aſſecutum, id de fidei certitudine nullatenus intelligi deberet, ſed tantum de morali, quæ poſt adhibitam omnem diligentiam haberi poteſt. Neque enim aliter accipienda ſunt verba illa: *quoad ejus fieri poteſt*, quam ut indicent id cum abſoluta ſecuritate affirmari non poſſe. Sed inquit Launojus, *Neque Bibliorum editio, neque Sixti diploma ſuppreſſa eſſent, niſi Sixtus erraſſet.* Quaſi vero er-

error ſola ſupprimendorum Actorum cauſa ſit. Emendaverat Sixtus V. editionem vulgatam, peritiſſimorum Virorum opera ad id uſus: emendationem illam, quamvis admodum utilem, ad perfectiorem ſtatum ſive repertis novis Codicibus, ſive adhibita aliorum doctiſſimorum Virorum opera, perduci poſſe animadvertens Clemens VIII. editionem Sixti non ſuppreſſit, ſed eam perficiendam, priusquam publicaretur, curavit. Quamobrem in lucem deinde fuit emiſſa, præfixis, & Sixti, & Clementis nominibus, ut videre eſt in variis editionibus ſubinde factis.

Hæc igitur omnia nihilo meliorem faciunt Adverſariorum cauſam. Errores namque, quos Pontificibus attribuunt, vel nulli ſunt, vel ſolius facti, vel certe perſonales, privatique. In iis ergo & quibuscunque ejusmodi aliis habenda eſt ſemper ante oculos ea regula, quam jam ſæpius inculcavimus, ſcilicet Pontificis Romani in fidei materia definitiones tunc eſſe certas & infallibiles, cum quæſtione aliqua ad Sedem Apoſtolicam delata, eaque mature diſcuſſa, cauſæque meritis examinatis, Pontifex ſententiam pronuntiat, neque ad unam alteramve, ſed ad totam & univerſalem Eccleſiam illam dirigit, obligatque fideles, ut ita credant; non quidem quod ipſa Pontificis ſententia ſit cauſa & ratio credendi, ſed tantum applicatio certa & inerrabilis divinæ revelationis, cui fides noſtra ſoli & unice innititur.

Sed *inquies:* Pontifex etiam ut Pontifex in quæſtionibus facti errare poteſt; ergo etiam poterit in quæſtionibus juris, in fidei decretis, & generalibus morum præceptis. Multa quippe ad fidem pertinentia in facto conſiſtunt. Imo in omnibus fidei definitionibus non aliter ſummus Pontifex infallibiliter a Deo dirigitur, quam ſi omnem aut ſaltem neceſſariam diligentiam rei examinandæ impendat. At vero ea diligentia eſt facti, multisque erroribus obnoxia. Quid ſi enim

rem non ſatis perpenderit? non doctiores, rerumque peritiores, aut non ſufficiente numero ad conſilium vocaverit? non audierit, quæ in contrarium opponebantur? &c. Hæc omnia ſunt facti, erroremque admittunt: ergo etiam fidei morumque decreta, quæ ab illis pendent.

Reſp. Quæſtiones facti eſſe duplicis generis: aliæ enim ſunt facta vel a Deo per Scripturas & Traditiones revelata, vel ſaltem cum revelatis neceſſario connexa. In hæc error nullus cadit; cum repugnet Deum in re quacunque ſeu facti ſeu juris errore aliquo capi, aut falſum dicere. Ad eadem hæc facta pertinet diligentia illa neceſſaria, quam in controverſiis fidei decidendis in Romano Pontifice deſideramus: cum enim voluerit Deus Eccleſiam non errare, voluit etiam nihil ei deeſſe, quod vitando errori neceſſarium eſt. Ad ipſius igitur providentiam ſpectat curare, ne ſententiæ fidei a Pontifice latæ, quas ratas haberi fixasque voluit, ſint temerariæ, cæcoque impetu, & abſque conſilio profuſæ.

In iis vero quæſtionibus facti, quæ nec a Deo revelatæ ſunt, nec cum revelatis neceſſario connexæ, quæque ex teſtimonio & informatione hominum pendent, fieri poteſt, ut & Concilia, & Pontifices errent. Cum enim fides Divina teſtimonio & Verbo Dei nitatur, & vox Papæ ſit vox hominis, non Dei, non poteſt ille, quæ nec implicite nec explicite revelata ſunt, pro fidei dogmatibus proponere: quæ vero ſunt facti, revelata non ſunt, & ideo errori obnoxia.

Inſtabis: Tot circumſtantiis, additisque limitationibus & conditionibus circumſcribitur Pontificum infallibilitas, ut ea multominus pertinere ad perſonam Pontificis videatur, quam pendere a conſilio Virorum Doctorum, quo utitur; a circumſpectione, qua materias ſubjectas examinat; a Scripturis & Traditionibus, quas conſulit; a ſapientia, doctrina-

na, & maturitate judicii, quibus pollet: hoc modo quilibet privatus Doctor ad infallibilitatem aſpirare poſſet, fultus doctrina, prudentia, conſilio tum proprio, tum alieno; qui ad interrogata nunquam reſponderet, niſi diu matureque circumſpecta quæſtione, adhibitis in conſilium Viris doctiſſimis, & accurate diſcuſſis Scriptura, Traditione, Patribus &c.

Reſp. Nos infallibilitatem Papæ non aliis profecto circumſtantiis, limitationibus, & conditionibus circumſcribere, quam quibus ipſa Conciliorum Oecumenicorum infallibilitas circumſcribitur; adeo ut argumentum iſtud æque Concilia feriat, ac Papam. Certe Conciliorum ſicut & Pontificum infallibilitas nullo pacto fundata eſt in revelationibus, aut inſpirationibus Propheticis, ſed ſupponit quæſtionis occurrentis diligens examen, Scripturæ ac Traditionis diſcuſſionem, ad quod omnes illæ limitationes & conditiones, quas Pontificiæ infallibilitati appoſuimus, reducuntur: contendimus nempe, Pontificem in definiendis fidei ac morum controverſiis teneri ea omnia implere, quæ Concilium ipſum, cum definit, obſervat. Quod ſi hoc Conciliorum infallibilitati non obeſt, profecto neque Pontificum infallibilitati officiet. Adductum Doctoris privati exemplum vel ex eo hic non valet, quod Papæ infallibilitas, non ab iis circumſtantiis & conditionibus, quæ definitionem ex Chriſti voluntate neceſſario præcedunt, pendeat; ſed a gratia & aſſiſtentia Spiritus S. quæ, vi promiſſionum ejusdem Servatoris noſtri, definienti Papæ ſemper adeſt.

Ad extremum huc etiam pertinet vulgatum illud: ad fidem non pertinere, num Papa ſit infallibilis; contrariam ſententiam probabilem manere; illam proinde tuto amplecti, docere, & ſi res ferat, exercere etiam quemlibet poſſe. Ad quod reſpondemus, ſententiæ alicujus probabilitatem ex duobus capitibus æſtimari; ex rationum videlicet gravitate ac

momentis, & ex docentium authoritate. Utrumque, ſi libet, expende, Adverſariorum argumenta cum illis confer, quæ in oppoſitum urgent. Compara Scripturas cum Scripturis; Concilia cum Conciliis, Patres cum Patribus, rationes cum rationibus; revoca etiam in animum Patrum Doctorumque eruditione non minus quam ſanctitate florentium cenſuras, quibus ſententiam illam configunt; & tecum reputa, an aliqua probabilitatis ſpecies illi amplius remaneat. Nihil circa infallibilitatem Pontificiam adhuc ab Eccleſia expreſſe definitum fatemur: ſed ſperamus fore, ut data occaſione ipſa pro nobis ſententiam dictura ſit. Interea dum Papam eſſe infallibilem tuemur, aſſertionemque noſtram tanta authoritate, tantoque rationum pondere ſolidamus, Eccleſiæ definitioni velut præludimus.

DISSERTATIO III.

De Neceſſitate Fidei.

Fidei neceſſitas conſiderari poteſt vel ſecundum actum ejus internum, quo quis nempe interius credit, & aſſentitur Deo revelanti: vel ſecundum actum externum, quo quis ore aut opere fidem exterius profitetur. Utrumque hunc actum deſignavit Apoſtolus ad Romanos c. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* De utriusque neceſſitate, expoſita antea breviter eorundem natura & proprietatibus, ſeorſim diſſeremus.

SE-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

De Actu interno Fidei, ejusque neceſſitate.

CAPUT I.

Interioris Fidei actus natura & proprietates exponuntur.

PRæter ea, quæ de fide univerſim tota prima Diſſertatione proſecuti ſumus, & quæ internum potiſſimum fidei actum ſpectant, nonnulla adhuc ſuperſunt examinanda, quæ hoc Capite ſtrictim, per certa quædam quæſita & reſponſa abſolvemus. Igitur,

I. QUæres 1mo. Quid ſit internus fidei actus? & quænam ad illum prærequiſita?

Reſp. ad 1mum. Actus fidei interior eſt firmus mentis aſſenſus, qui, divina gratia auxiliante, præbetur rebus a Deo revelatis, propter ipſius Dei revelantis authoritatem: nam actu credere idem eſt ac aſſentiri, & credere per fidem divinam eſt credere veritates a Deo revelatas, propter revelantis authoritatem; quod utique jam abunde explicuimus, cum diximus ſubjectam fidei materiam eſſe omnes, ac ſolas veritates a Deo revelatas; motivum vero, ſeu objectum ejus *formale*, ſummam Dei in loquendo veracitatem.

Reſp. ad 2dum. Tres vulgo numerantur actus neceſſario prærequiſiti, ut mens firmum præbeat aſſenſum rei revelatæ. Primus eſt judicium, quo mens, ponderatis motivis credibilitatis, certo judicat, omnino credibilia eſſe, quæ dicuntur. Ejusmodi judicium ad actum fidei prærequiri, ex eo maxime colligitur, quod voluntas non poſſit legitime imperare intellectui, ut alicui veritati aſſentiatur, niſi præceſſerit re-

rectum judicium de illius credibilitate ; quod quidem oritur, ut alibi demonſtratum eſt, ex evidentia argumentorum, ſeu motivorum credibilitatis. Unde patet judicium iſtud eſſe mere naturale : quia ejus objectum eſt evidentia credibilitatis, quæ naturalis eſt ordinis, formaturque per viam naturalem, examinando videlicet credibilitatis motiva, quæ totidem ſunt argumenta, ex penu rationis naturalis deprompta, ut ex ſingulorum conſideratione colligere eſt.

Secundus actus eſt alterum judicium, quo mens non ſolum judicat rem eſſe credibilem, ſed decernit hic & nunc eſſe credendam. Quemadmodum ad eliciendos actus aliarum virtutum, puta miſericordiæ, ſatis non eſt, quod mens judicet laudabile eſſe opem ferre proximo indigenti ; ſed inſuper requiritur, ut decernat eidem eſſe opitulandum. Atque hoc judicium cenſeri debet ſupernaturale ; cum inde exurgat pia voluntatis motio, & credulitatis affectus, qui ex mox dicendis eſt omnino ſupernaturalis. Nam ut habet Concilium Arauſicanum II. Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem vitæ æternæ pertinet, cogitare, ut expedit, vel eligere poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus S. hæretico fallitur ſpiritu.*

Tertius demum eſt actus voluntatis, qui dicitur pia affectio, & credulitatis affectus, quo voluntas imperat intellectui, ut firmum veritati revelatæ & ſufficienter propoſitæ aſſenſum præbeat: nam ex S. Auguſtino lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 5. *Credere, vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ.* Et ratio eſt, quod veritas propoſita quantumcunque credibilis appareat, maneat ſemper obſcura & inevidens, ſaltem ut eſt revelata ; nec proinde mentem neceſſario determinat ad credendum, quemadmodum concluſio, quæ evidenter deducitur ex principio per ſe noto, per ſui evidentiam intellectum cogit ad aſſenſum. Hanc porro piam vo-

voluntatis affectionem eſſe ſupernaturale Dei donum, patet aliunde. Actus quippe ordinis naturalis non poteſt per ſe movere ad actum ſupernaturalem; repugnat enim, ut natura ſuis viribus moveat ad actum ſuperantem vires naturæ. Atqui prævius credulitatis affectus movet ad actum fidei ſupernaturalem: eſt ergo & ipſe ſupernaturalis. Ipſa certe Scriptura, Concilia, & Patres diſerte, & abſque omni reſtrictione voluntatem credendi dicunt eſſe donum Dei, ſuperans naturæ vires, & procedens ex auxilio Divino ſupernaturali. Sic ad Philip. 1. dicitur: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, ut in eum credatis;* adeoque etiam ut credere velitis. Et c. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere.* Hinc Concilium Arauſicanum II. Can. 5. ſic ſtatuit: *Si quis ipſum credulitatis affectum non per gratiæ donum, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.* Patres denique unanimiter contra Semipelagianos docent, ut in Tract. de Gratia Salvat. oſtendimus, initium ſalutis non eſſe a nobis: igitur etiam pius credendi affectus, quod eſt ipſum initium fidei, atque adeo initium actus ſalutaris non eſt ex nobis.

II. Q*Uær. 2do.* Utrum actus fidei ſit ſupra omnia certus?

Adverte, triplicem vulgo diſtingui certitudinem; ſcilicet certitudinem objecti, motivi ſeu medii, & ſubjecti. Certitudo objecti eſt firma & conſtans veritas, ſeu potius neceſſitas rei, quæ aliter ſe habere non poteſt. Certitudo medii ſeu motivi eſt vis rationum & momentorum, per quæ objectum cognoſcitur. Certitudo ſubjecti eſt firma mentis adhæſio objecto ſuo. Quæ quidem poſtrema certitudo ſola, vere & proprie loquendo, hoc nomine donari meretur: quia certitudo objecti non tam certitudo eſt, ut dixi, quam neceſſitas rei; objectumque rectius dicitur neceſſarium & immutabile, quam certum: quemad-

admodum & mediis ſeu rationibus, quæ uſurpantur ad aliquid cognoſcendum aut perſuadendum, minus proprie tribuitur certitudinis nomen: quia generatim loquendo ſolus dicitur proprie certus, qui certo aliquid cognoſcit, ita ut certitudo ſe teneat ex parte cognoſcentis. Verum quia loquendum eſt, ut multi, hæc ſtatuimus circa triplicem illam certitudinem.

Primo: Aſſenſus fidei non eſt certior quolibet alio ſcientiæ naturalis aſſenſu, ſi ſermo ſit de certitudine objectiva; quia fides & ſcientia ſæpe idem habent objectum, adeoque eandem objecti certitudinem. Sic exiſtentia Dei, & immortalitas animæ rationalis ſunt utrobique certa in ſe, hoc eſt, neceſſaria & immutabilia, ſeu cum a Philoſopho demonſtrative cognoſcuntur, ſeu cum a Chriſtiano fide divina creduntur. Igitur actus fidei non eſt certior actu ſcientiæ naturalis, ſi agatur de certitudine objecti.

Secundo: Aſſenſus fidei divinæ eſt certior certitudine medii aſſenſu cujuslibet ſcientiæ. Siquidem certitudo medii petitur ex rationibus & momentis, quæ determinant intellectum ad aſſentiendum veritatibus propoſitis. Atqui momenta hæc multo efficaciora ſunt illis, quæ determinant ad aſſentiendum veritatibus Philoſophicis: nam momenta fidei divinæ ſunt ſumma in loquendo veracitas, & authoritas Eccleſiæ teſtificantis, illas fidei veritates reipſa fuiſſe a Deo revelatas. Sed ejusmodi momenta ſunt ad perſuadendum multo fortiora, quam evidentia ipſa, quæ eſt ratio motiva, determinans intellectum ad aſſentiendum veritatibus ſcientiarum naturalium. Ut enim nos docet experientia, falluntur perſæpe homines etiam in iis, quæ apparent evidentiſſima; quodque uni videtur evidens, alteri eſt inevidens & obſcurum. Igitur, ſi ſermo ſit de certitudine motivi & medii, actus fidei divinæ certior eſt actu quolibet ſcientiæ naturalis: quia tanta eſt vis motivi, propter quod aſſentimur veritatibus a Deo

reve-

revelatis, ut minus poſſibile ſit de illis dubitare, quam de aliis quibuscunque naturali lumine cognitis.

Tertio. Aſſenſus fidei ex parte ſubjecti quandoque per accidens, & defectu ipſius ſubjecti minus certus eſt, quam actus ſcientiæ naturalis: ſiquidem non raro contingit, ut cum aliqua dubitatione & mentis hæſitatione, ſaltem quæ præcedat aſſenſum, eliciantur actus fidei; nimirum propter obſcuritatem vel ſublimitatem myſteriorum, quæ credenda proponuntur, vel propter difficultatem expendendi motiva credibilitatis; unde fit, ut dubitationem ſaltem involuntariam admittat aſſenſus fidei divinæ, quam non admittit aſſenſus, qui præbetur veritatibus ſcientiarum naturalium, & præſertim principiis lumine naturæ notis. Sed id, ut dixi, contingit per accidens, & defectu ipſius ſubjecti, hoc eſt hominis credentis: reipſa autem aſſenſus fidei certior eſt quocunque alio aſſenſu etiam ex parte ſubjecti. Quia illud reipſa & ſimpliciter loquendo certius eſt etiam certitudine ſubjecti, cui ſubjectum per fidem ita firmiter adhæret, ut paratum ſit renuntiare cuilibet evidentiæ, quæ videri poſſet oppoſita aſſenſui jam dato. Atqui fidelis ita firmiter adhæret rebus revelatis propter primam veritatem infinite credibilem, ut paratus ſit renuntiare cuilibet in contrarium rationis judicio; quia in ipſis terminis repugnat, primam veritatem eſſe falſitatem. Unde S. Auguſtinus lib. 7. Confeſ. c. 10. *Facilius*, inquit, *dubitarem vivere me, quam non eſſe veritatem, quæ per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicitur.*

III. QUær. 3tio. Quomodo, & in quid reſolvatur actus fidei divinæ?

Reſp. Quæſtio hæc, quam de fidei reſolutione & analyſi omnes Scholaſtici pertractant, ſi a controverſiis, quæ

inter nos, hæreticosque verſantur, quæve jam ſuperioribus Diſſertationibus complanatæ ſunt, abſtrahamus, contentioſa videtur circa verba altercatio, & præmiſſa rei ſatis apertæ definitione ac diſtinctione, facile expedienda. Quid enim aliud eſt reſolvere actum fidei, quam illum reducere in ſua principia, hoc eſt, in ea, quæ ad illum producendum concurrunt. Unde cum varia varie ad actus fidei productionem concurrant, perſpicuum remanet, eum varie reſolvi poſſe. Reſolvitur ergo fides in motiva credibilitatis, tanquam in præviam quandam diſpoſitionem, quæ neceſſaria eſt, ut certus ſim de veritate revelationis divinæ, ne imprudenter & levi corde iis, quæ mihi proponuntur, aſſentiar: reſolvitur in auctoritatem Divini teſtimonii, tanquam in motivum, ſeu objectum fidei *formale*, cujus cauſa præſtitus aſſenſus redditur præ omni alio firmus ac ſtabilis: reſolvitur in Divinam revelationem, tanquam in medium, per quod ea, quæ credenda ſunt, Eccleſiæ innoteſcunt: reſolvitur in auctoritatem Eccleſiæ, tanquam in cauſam proponentem, ſeu tanquam in vivum judicem, ad quem ſpectat de fidei quæſtionibus ſententiam pronuntiare: reſolvitur denique in certas quaſdam notas & characteres, quibus velut efficaciſſimis motivis inducor ad credendum, Eccleſiam hanc, ſive Congregationem fidelium ſub Romano Pontifice Chriſti cultum ac legem profitentium divinitus inſtitutam, & in doctrina ac morum inſtitutione immaculatam, propter promiſſam ſibi Divini Spiritus aſſiſtentiam, quam gravi qualibet controverſia emergente ſuppliciter invocat, tenere dijudicandorum regulam invariabilem, Scripturam nempe Divinam, & Apoſtolicas traditiones. Atque ita ſcholaſtica diſputatio de reſolutione fidei, quæ alioqui videtur implexa, inter Catholicos nullo negotio dirimitur, ſi hæc accurate diſtinguantur: motiva credendi, objectum, ut ajunt, *formale*, Judex credenda proponens, & regula, ſive criterium ab ipſo judice adhibendum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Neceſſitate actus interioris fidei.

I. Extra omne dubium eſt, in adultis requiri fidem internam; cum ſcribat Apoſtolus ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam:* & ad Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO:* cum inſuper hæc fides neceſſaria ſit ad juſtificationem, ut definit Synodus Tridentina Seſſ. 6. cap. 6. & 8. & nos demonſtravimus in Tract. de Gratia Part. 2. de Juſtific. quæ certe de fide exterius tantum expreſſa intelligi non poſſunt; quoniam Apoſtolus præcipit fidem *cordis*; Tridentina Synodus fidem, qua *libere*, animoque *movemur in Deum credentes, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt:* neque Deus attendit ſermonem oris, ſed voluntatis affectum.

Atque hæc quidem fides continua in nobis eſſe deberet, ſi non actu, ſaltem virtute: quemadmodum enim Philoſophus in omnibus rectam rationem tenetur conſulere, & ad prudentiæ leges cunctos actus ſuos componere; ita Chriſtianus ſtudeat neceſſe eſt omnes greſſus ſuos ad lumen fidei dirigere, & cunctas actiones in Dei cultum, ac in finem ultimum referre; *Nam juſtus ex fide vivit*, ait Apoſt. ad Gal. 3. Fides igitur excitari in nobis debet actuum frequentatione. Sed peculiaris eſt obligatio certis quibusdam temporibus ejusmodi actus eliciendi: cum nempe gravis pulſat adverſus fidem tentatio: dum urget præceptum, quod impleri non poteſt ſine actibus fidei, ut cum Sacramenta quædam recipiuntur, maxime Euchariſtia: dum quis pervenit ad uſum rationis, quo tempore ad Deum ſe ſe tenetur convertere: denique in articulo mortis, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ, juxta quam Paſtores tum maxime ſolent exigere actus fidei, ſpei, & charitatis. Quapropter non ſolum proſcripta eſt ab Alexandro VIII. propoſitio illa: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur eli-*

elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium: ſed etiam iſtam damnavit Innocentius XI. *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.*

Igitur de hac interna fide quæritur in præſenti, qualisnam in adultis eſſe debeat? Utrum videlicet implicita ſufficiat, qua quis univerſim credit omne id, quod Eccleſia fidelibus credendum proponit: an vero teneantur omnes aliqua fidei noſtræ Myſteria explicite & diſtincte credere; & quænam illa ſint? Quanta item ſit obligatio & neceſſitas illa credendi? Pro cujus quæſtionis reſolutione revocandum eſt in memoriam, duplicem hoc loco a Theologis diſtingui neceſſitatem, nempe medii, & præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, quod ita neceſſarium eſt, ut ſine illo quacunque de cauſa omiſſo ſalus obtineri nullatenus poſſit: quo modo Baptiſmus Chriſti in nova lege neceſſarius eſt in re, vel in voto ſuſceptus. Illud autem dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod ea ſolum ratione neceſſarium eſt, quia præceptum eſt: unde ſi poſſibile eſſe deſinat, deſinit etiam eſſe neceſſarium, atque adeo tunc ſolum obligat, cum obtemperandi facultas ſuppetit; ut Sacramentalis Confeſſio, Euchariſtiæ Communio &c. Hac diſtinctione poſita, tribus aſſertionibus quæſtio univerſa abſolvetur.

ASSERTIO PRIMA.

Fides explicita DEI, non ſolum ut exiſtentis, ſed etiam ut Remuneratoris ſupernaturalis, fuit quovis tempore neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.

II. Conſtat ex Scriptura. Nam Apoſtolus laudato ſæpius cap. 11. ad Hebr. cum dicit, *Sine fide impoſſibile eſſe placere DEO*, neceſſitatem medii perſpicue denotat. Quæ autem ſit illa fides, explicat ſequentibus verbis: *Credere enim*

oporr-

Digitized by Google

oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Ubi ſermo eſt de fide explicita, qua Deus ut exiſtens creditur ut Deus, ideoque ut primum rerum omnium principium; & ut remunerator ſupernaturalis alterius vitæ: quia ſola hæc remuneratio promiſſa eſt a Deo, & de hac Apoſtolum loqui, exponunt omnes Doctores. Id ipſum ex contextu aperte colligitur, ut bene ponderavit Canus L. 22. de loc. Theol. cap. 4. Quia propterea dixit Paulus, hanc fidem eſſe *ſubſtantiam rerum ſperandarum*, quæ ſine dubio ſunt ſupernaturalia bona: dixit etiam eſſe *argumentum non apparentium*, non tantum oculis corporeis, ſed etiam mentis inveſtigationi, juxta illud: *Oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparavit diligentibus ſe.* Deinde in diſcurſu illius capitis 11. docet Paulus, Sanctos per fidem contempſiſſe bona temporalia, meliores expectantes repromiſſiones; & ideo etiam ait deceſſiſſe non acceptis repromiſſionibus, quia non in hac, ſed in altera cœleſti vita illas ſperabant: ergo cum dicit neceſſarium eſſe, credere Deum remuneratorem, de ſupernaturali remuneratione loquitur.

ASSERTIO SECUNDA.

Fides explicita Myſterii SS. Trinitatis & Incarnationis Chriſti probabilius non eſt neceſſaria neceſſitate medii in re; quamvis neceſſaria ſit in re, vel in voto, ſicut Baptiſmus.

III. PRob. 1mo. Tam gravis neceſſitas adſtrui non debet, niſi fundata ſit in Scripturis, Conciliis, aut Patribus. Sed in nullo horum habet ſufficiens fundamentum. Teſtimonia namque Scripturæ vel Patrum, quæ adducuntur, congrue exponi poſſunt de neceſſitate medii in re, vel in voto, contento nimirum in voluntate credendi omnia, quæ Deus ad noſtram ſalutem revelavit: vel de neceſſitate fidei impli-

Digitized by Google

plicitæ eorundem Myſteriorum, contentæ tum in fide Dei ut remuneratoris ſupernaturalis, adeoque etiam Salvatoris; tum in fide omnium a Deo revelatorum: præſertim cum Apoſtolus loquens de fide tanquam medio neceſſario ad juſtificationem & ſalutem, præciſe dicat, *credere oportere accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, nulla facta mentione Trinitatis, aut Chriſti Salvatoris.

Secundo. Homo inſtructus fide ſupernaturali Dei juſtificatoris & remuneratoris, invincibiliter ignorans Trinitatem, & Incarnationem, poteſt converti ad Deum per actum contritionis, illumque ſuper omnia diligere; ita namque inſtructus habet ſufficientem cognitionem, qua ejus voluntas ad ejusmodi actus eliciendos dirigatur. Ergo etiam poterit juſtificari; tales enim actus, ut diximus in Tract. de Grat. ſanctific. ſunt ultimæ diſpoſitiones ad juſtificationem.

Reſpondent aliqui, in Lege nova ſtatuiſſe Deum, non dare tali homini auxilium neceſſarium ad juſtificationem & dilectionem Dei ſuper omnia, donec de Myſteriis SS. Trinitatis, aut Incarnationis non fuerit explicite inſtructus.

Sed hoc, præterquam quod abſque omni fundamento aſſeratur, non videtur præſenti ſtatui legis novæ, quæ eſt lex gratiæ, conveniens: quia hac ratione ſtatus hujus gratia reſtringitur atque minuitur; ſi enim ante Chriſti adventum dabatur auxilium illud homini ſic credenti, veroſimile non eſt nunc non dari, ſed differri, etiamſi homo ille impedimentum non ponat ex parte ſua, ſed potius faciat quod in ſe eſt juxta fidem, quam habet. Deinde non ſolum non eſt hæc lex, ſeu hoc propoſitum Dei non dandi tale auxilium pro eo tempore, non ſolum, inquam, non eſt conveniens huic ſtatui gratiæ; ſed etiam non eſt conſentaneum bonitati Dei, nec promiſſionibus ejus. Quia ſicut Deus non poteſt eſſe author peccati, nec denegare homini auxilium neceſſarium ad non com-

mit-

mittendum peccatum; ita non poteſt eſſe author, ut homo pro aliquo tempore maneat in ſtatu peccati, nec illi denegare auxilium neceſſarium ad mutandum talem ſtatum, ſi id per hominem non ſteterit. Unde eſt receptum dogma, peccatores in hac vita ſemper & quovis tempore juſtificari poſſe, quantum eſt ex parte Dei: nam qui dixit, *in quacunque hora peccator ingemuerit*, ſupponit certe poſſe ingemiſcere, ſi velit: & qui dixit, *convertimini ad me*, ſupponit eos poſſe id facere, neque ex parte Dei deeſſe auxilium; cum alibi dicat, *Ego ſum ad oſtium, & pulſo.* Ergo dici non debet, in eo caſu non poſſe hominem converti, quia nondum Deus vult illum convertere. Maxime vero urget hæc ratio, ſi reſtringamus illud tempus ad caſum neceſſitatis, & periculi mortis. Nam contingere poteſt, ut hic argumentatur Suarez, qui hanc noſtram aſſertionem ſolide propugnat Diſput. XII. Sect. 4. fieri, inquam, poſſet, ut Cathecumenus e. g. qui poſtquam audiit, Deum eſſe, & ſupernaturalem remuneratorem eſſe, atque id etiam credidit, & attritionem de peccatis elicuit, nondum tamen inſtructus de Myſterio Trinitatis & Incarnationis, quia ſucceſſive inſtruitur; ſubito in morbum incidat, & defectum ſenſuum: talis plane debet baptizari; ergo debet ſalutem poſſe conſequi abſque explicita reali fide in Chriſtum, ſecus enim eſſet quodammodo conſtitutus extra ſtatum ſalutis, quod attenta ſuavitate divinæ providentiæ admitti non poteſt.

Tertio. Si quis in ſolitudine, aut inter infideles, ad quos Myſteriorum illorum prædicatio nunquam pervenit, educatus, cum uſum rationis attigerit, ejusdem ductum ſequatur, legem naturalem obſervet, faciatque quod in ſe eſt: homo iſtiusmodi illuminabitur, ut agnoſcat Deum ſupernaturalem remuneratorem; cur igitur non poſſit etiam abſque fide reali & explicita de Trinitate & Incarnatione, qua in-

vin-

vincibiliter deſtitutus eſt, Deum ſuper omnia diligere, & ſalvari? Eadem eſt ratio hominis cæci, ſurdi, & muti a nativitate, aut ita rudis & hebetis, ut incapax omnino videatur ad ea Myſteria percipienda.

Reſpondent, eum, qui facit, quod in ſe eſt, in quocunque eventu accipere gratiam illuſtrationis ſupernaturalis, per quam poſſit explicite credere Trinitatis & Incarnationis Myſterium; ſicut accipit gratiam fidei in Deum ſupernaturalem remuneratorem: quod nempe hoc ſit privilegium ſtatus novæ Legis, vel certe conſequenter neceſſarium ſit juxta ejus inſtitutionem.

Verum hoc, ut hic rurſus Suarez, inprimis non dicitur cum ſufficiente fundamento, quia ejus neceſſitas non probatur; neque oſtendi poteſt, ubi Deus tantam gratiam promiſerit, ſe videlicet in ejuſmodi eventibus, qui frequentiores eſſe poſſunt, modo adeo extraordinario & miraculoſo proceſſurum. Deinde magnum eſt diſcrimen inter gratiam fidei de Deo remuneratore ſupernaturali, & inter gratiam fidei de Deo uno & trino, ac Verbi Incarnatione: eſt enim in eo ſtatu & occaſione multo facilius, hominem illum elevari ad cogitationem & fidem unius Dei, etiam ut authoris gratiæ & ſupernaturalis remuneratoris, quam illuminari circa Myſterium Trinitatis & Incarnationis: hoc enim poſterius haberi non poteſt, niſi via prorſus extraordinaria & miraculoſa; veroſimile autem non eſt, Deum in hac Lege, & in hoc tempore viam ſalutis coarctaſſe ad tam miraculoſum providentiæ modum. Præterea, fides in Deum eſt de ſe & quaſi ex rei natura neceſſaria ad juſtificationem; quia ſine illa non poteſt homo converti ad Deum, ſicut oportet, ut juſtificetur: fides autem explicita Trinitatis & Incarnationis, ſi neceſſaria eſt, ſolum id habet ex ordinatione Dei & poſitivo jure divino; & ideo multo certius eſt, facientem quod eſt

Digitized by Google

eſt in ſe, & non ponentem impedimentum, illuminari a Deo quoad ſupernaturalem cognitionem ipſius Dei, quam circa explicitam cognitionem Trinitatis & Incarnationis: nam in iis, quæ ſolum ſunt neceſſaria ex inſtitutione divina, & jure poſitivo, non ſolet Deus etiam in caſu neceſſitatis adhibere extraordinariam providentiam, ut impleantur, & in re ipſa applicentur; ſed deſiderium, aut votum eorum ſufficit, ut patet in Confeſſione, & Baptiſmo.

Quarto denique, qui nihil audivit de lege Evangelii, eamque invincibiliter ignorat, æquiparari poteſt illi, qui ante promulgationem legis Evangelicæ vixerat. At iſte ſola fide implicita Trinitatis & Incarnationis ſalvari poterat. Ergo & is poterit, qui nihil audivit: eo vel maxime, quod cum lex gratiæ ſuavior ſit Lege Moſaica, ſi ad illam ſat erat fides implicita dictorum Myſteriorum, cur non ad iſtam?

Nihilominus dici poteſt, fidem implicitam Trinitatis & Incarnationis per ſe loquendo eſſe medium neceſſarium ad ſalutem omnibus & ſingulis in ſtatu legis Evangelicæ, quamvis non ſemper neceſſaria ſit in re, ſed vel in re, vel in voto: quia id ſine quo per ſe loquendo non obtinetur ſalus, abſolute dici poteſt medium neceſſarium; etiamſi in aliquo caſu, in quo ejusmodi medium reipſa applicari nequit, per votum ſeu deſiderium ſuppleatur. Neque dicas, neceſſitatem hujusmodi non excedere neceſſitatem meri præcepti. Quia hæc fides non tantum eſt neceſſaria eo modo, quo alia præcepta affirmativa, quæ ſolum obligant in tempore præſcripto per præceptum, & ſolum ut ita dicam propter honeſtatem actus præcepti: ſed eſt neceſſaria per ſe, propter ipſam juſtitiam & ſalutem. Unde quando contigerit juſtificari hominem ante illam, tenetur poſtea, cum primum poteſt, explicite credere, ut ſuppleat, quod in juſtificatione defecit. Ratio eſt, quam ſupra dedimus: cum enim medium eſt vel-

ut de intrinſeca ratione juſtificationis, tunc ejus neceſſitas eſt in re ipſa; cum vero eſt additum ex inſtitutione, tunc neceſſitas medii intelligenda eſt in re, vel in voto. Fides autem explicita in præſenti ſtatu eſt ſolum neceſſaria ex peculiari inſtitutione: ergo recte intelligitur, ut de ſe neceſſaria ſit in re, in caſu vero neceſſitatis ſufficiat in voto. Quod confirmari poteſt exemplo jam adducto Confeſſionis aut Baptiſmi. Nam utriusque neceſſitas, ſcilicet fidei hujus, & Confeſſionis vel Baptiſmi, eſt ex inſtitutione divina: ergo ſicut Confeſſio aut Baptiſmus neceſſarius eſt in re vel in voto, ita etiam hæc fides, de qua eſt ſermo in præſenti.

Reſpondetur ad Objecta.

IV. OBjic. 1mo complura Scripturæ teſtimonia, quibus inculcatur neceſſitas fidei in Chriſtum, tanquam medii neceſſarii ad ſalutem. Fidei item Evangelicæ, quæ utique continet fidem explicitam Trinitatis & Incarnationis. Sic Marci ult. dixit Chriſtus ad Apoſtolos: *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur:* Et Joan. 3. dicitur: *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat.* Rurſus ibidem v. 18. *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt.* Et cap. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Similiter Apoſtolus ad Rom. 3. v. 22. *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* Et ad Galat. 2. v. 16. *Non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Denique Actor. 4. v. 12. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

His addunt authoritatem Concilii Tridentini, quod Seſſ. VI. cap. 6. deſcribens ordinem juſtificationis, dicit juſtificari

ri homines *credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud inprimis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU.*

Confirmant ex ſymbolo Athanaſii, in quo poſt explicatum præprimis Myſterium Trinitatis & Incarnationis, ad extremum ſubjungitur: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quisque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.*

Reſp. ex adductis Scripturæ teſtimoniis quædam ſupponere prædicationem fidei, atque de iis intelligenda eſſe, qui eam audierunt: ut cum Chriſtus dixit, *prædicate Evangelium &c.* & poſtea ſubdidit, *qui non crediderit &c.* aperte loquitur de non credente poſt auditum Evangelium: huic nempe neceſſariam eſſe in re fidem Evangelicam, atque adeo fidem explicitam Trinitatis & Incarnationis, ita ut ſi eam poſt auditum Evangelium non habuerit, ſit damnandus propter defectum hujus fidei conſequenter culpabilem: non vero eandem fidem neceſſariam in re eſſe omnibus, etiam illis, qui Evangelium non audierunt, ita ut damnandi ſint, tametſi fidei hujus defectus inculpabilis fuerit. Alia vero Scripturæ teſtimonia, quæ ad omnes directa ſunt, vel intelligi debent de ipſomet Chriſto, probantque neceſſitatem & virtutem redemptionis reſpectu omnium, ut eſt illud: *Non eſt aliud nomen datum hominibus &c.* Vel loquuntur de fide ex meritis Chriſti, ſine qua non proſunt opera legis; ut cum dicitur, non juſtificari hominem ex operibus legis, *niſi per fidem JESU Chriſti.* Vel de fide implicita in Chriſtum; quatenus Deus eſt remunerator per media ſibi placita, inter quæ præcipuum eſt Chriſtus, tanquam auctor, & cauſa meritoria omnis remunerationis. Vel denique accipienda ſunt de neceſſitate unionis ad Chriſtum per fidem, & probant abſolutam neceſſitatem fidei quoad ſubſtantiam, quoad modum autem fidei explicitæ neceſſitatem in re, vel in voto.

Digitized by Google

Concilium Tridentinum loco cit. non agit de iis ſolum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ſed de communi & ordinario modo ſe diſponendi ad juſtificationem: proinde non omnia, quæ ibi exprimuntur, poſtulat ut ſimpliciter neceſſaria, præſertim in re ipſa: alias ſimpliciter etiam neceſſarium eſſet, timere juſtitiam divinam, conſiderare Dei miſericordiam &c.

Neque plus probant verba adducta ex ſymbolo Athanaſii: nullus enim unquam docuit, quod fides explicita omnium articulorum in eo ſymbolo contentorum, aut etiam Trinitatis & Incarnationis tam explicite, quam ibidem proponitur, ſit neceſſaria neceſſitate medii. Intelligenda ſunt ergo verba illa, quod ſalvus eſſe non poſſit, qui ea omnia ſaltem implicite non crediderit, aut eorum aliquid negaverit. Nam fideliter credit, firmiterque tenet fidem Catholicam, qui omnia ipſius Myſteria credit implicite, cum nondum poſſit explicite; item qui ea credit explicite in voto, cum nondum poſſit in re.

V. *Objic. 2do.* SS. Patres diſerte exigunt fidem explicitam de Chriſto: paſſim enim dicunt, Sanctos in Chriſtum ſperantes & ipſum expectantes, ſalvandos eſſe; omnes ex fide Chriſti juſtificari; ſine fide Evangelii nihil ſufficere; neminem, etiam ante Chriſtum, ſine fide in illum, coronam Martyrii conſecutum fuiſſe &c.

Præprimis autem ea ſententia tribuitur SS. Bernardo & Thomæ. Prior enim in illa Scripturæ verba: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, ita commentatur epiſt. 77. *Caute & vigilanter non repetiit* (Chriſtus) *qui vero baptizatus non fuerit; ſed tantum, qui vero non crediderit, condemnabitur. Innuens ſolam interdum ſufficere fidem ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil.*

Ex

Unde arguunt Adverſarii, ex mente D. Bernardi fidem Evangelicam includentem fidem explicitam Trinitatis & Incarnationis, eſſe magis neceſſariam ad ſalutem, quam Baptiſmum; qui cum ſit medium neceſſarium in re, vel in voto, ſequitur prædictam fidem eſſe neceſſariam in re.

Angelicus autem Doctor in 3. Diſt. 21. Q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. in Corp. ait: *Poſt adventum Chriſti, quia jam Myſterium Redemptionis impletum eſt, & corporaliter, & viſibiliter, & prædicatum, omnes tenentur ad explicite credendum: & ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus ei revelaret, niſi ex ſua culpa remaneret.* Et Q. 14. de verit. a. 11. *Tempore vero gratiæ omnes de Trinitate & Redemptore tenentur explicitam fidem habere.* Similiter ad 1. docet eum, qui in ſylvis enutritus eſſet, & ex parte ſua impedimentum non poneret, ſed ductum naturæ ſequeretur; ſi alium inſtructorem non haberet, vel per internam revelationem, vel alio extraordinario modo de neceſſariis inſtruendum. Ergo ex mente Doctoris Angelici fides explicita Trinitatis & Incarnationis eſt neceſſaria neceſſitate medii, & quidem in re; nam alioquin non foret neceſſe, ut ſi quis inſtructorem non haberet, Deus ei revelaret, aut alio extraordinario & prodigioſo modo de iis Myſteriis inſtrueretur.

Reſp. Omnes illos SS. Patrum loquendi modos ſufficienter non probare quod Adverſarii contendunt. Nam convenienter admodum exponi poſſunt vel de neceſſitate non negandi Chriſtum, aut Sanctiſſimam Trinitatem; vel de fide ex meritis Chriſti; vel de fide implicita, ſeu in voto; vel de neceſſitate non reſpectu cujusque fidelis, ſed tantum reſpectu Eccleſiæ, ad cujus conſervationem medium neceſſarium eſt fides explicita in Chriſtum.

S. Bernardus intelligendus eſt de non credente poſt auditum Evangelium, cui abſque dubio fides explicita Trinitatis & Incarnationis eſt neceſſaria in re; cum fides ſit in ejus poteſtate, & conſequenter omiſſio ipſi reputatur ad culpam: Baptiſmus vero eſt neceſſarius in re vel in voto, cum Baptiſmum ſuſcipere non ſit ſemper in ejus poteſtate.

Doctor Angelicus eo ipſo quod dicat omnes teneri ad explicite credendum, videtur innuere duntaxat neceſſitatem præcepti. Et cum in caſu deficientis inſtructionis ordinariæ recurrat ad privatam Dei revelationem, vel ad modum inſtruendi extraordinarium & prodigioſum; vel inde inferri poteſt, fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis non eſſe neceſſariam neceſſitate medii in re; quia credibile non videtur, quod Deus, *qui omnes homines vult ſalvos fieri* 1. ad Timoth. 2. voluerit illam fidem eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem, quæ multis hominibus, ſecluſo miraculo, eſt impoſſibilis. Ratio autem ſic exponendi Doctorem Angelicum eſt, quod dubia ipſius hac in re ſit mens, cum alio loco oppoſitum docere videatur. Nam 3. part. Q. 69. Art. 4. ad 2. de Cornelio Centurione ait: *Ante Baptiſmum Cornelius & alii ſimiles conſequuntur gratiam per fidem Chriſti, & deſiderium Baptiſmi implicite vel explicite.*

VI. *Objic.* 3*tio*. In lege gratiæ, & poſt ſufficientem Evangelii promulgationem amplius aliquid exigitur, quam in lege Naturæ & in lege ſcripta. Ergo cum in hac neceſſaria fuerit neceſſitate medii fides ſaltem implicita Chriſti venturi; in illa neceſſaria erit neceſſitate medii fides explicita Chriſti præſentis; cum in lege gratiæ & poſt ſufficientem Evangelii promulgationem debeat haberi perfectior fides Chriſti Redemptoris, quam in lege Naturæ & in lege ſcripta, ut patet ex ipſa legis gratiæ perfectione.

Et

Et ſane niſi hoc admittatur, ſequitur non ſolum in hoc ſtatu legis gratiæ fideles perfectius non credere, verum etiam fidem Trinitatis & Incarnationis iis non eſſe magis neceſſariam, quam fidem aliorum Myſteriorum: cum omnium Myſteriorum implicita fides ſit neceſſaria in re, quia neceſſaria eſt fides, qua credo quidquid credit Eccleſia; & eorundem Myſteriorum fides explicita ſit neceſſaria in re vel in voto, quia neceſſaria eſt ſaltem voluntas credendi explicite omnia, ad quæ explicite credenda quilibet fidelium obſtringitur; qualia ſunt omnia, quæ ſymbolo Apoſtolorum continentur.

Reſp. Neg. Conſ. Si ſermo ſit de fide explicita in re. Interim perfectior eſt fides in lege gratiæ, quam in lege Naturæ & ſcripta. Quia fides explicita Chriſti in lege gratiæ eſt ex inſtitutione divina medium neceſſarium ad juſtitiam & ſalutem, proinde de ſe quidem medium neceſſarium in re, abſolute vero loquendo in re vel in voto: quemadmodum Baptiſmus in lege gratiæ ex Chriſti inſtitutione eſt medium neceſſarium ad juſtificationem & ſalutem; atque adeo per ſe loquendo medium neceſſarium in re, abſolute vero & relate ad omnes caſus, in re vel in voto.

Ad id, quod additum eſt, reſpondeo falſam eſſe conſecutionem: neceſſitas quippe fidei Trinitatis & Incarnationis ſatis vel ex eo relucet, quod horum duorum Myſteriorum fides explicita ſit diſpoſitio neceſſaria ex divina inſtitutione ad recipiendum Baptiſmum, ut conſtat ex uſu Eccleſiæ, forma Baptiſmi, & Tridentini definitione Seſſ. 6. cap. 6. Proinde ſicut Baptiſmus eſt medium neceſſarium in re vel in voto ad obtinendam juſtificationem & ſalutem; ita ad eandem neceſſaria eſt in re vel in voto fides explicita Trinitatis & Incarnationis; id quod de fide cæterorum omnium Myſteriorum dici non poteſt.

ASSER-

ASSERTIO TERTIA.

Actus internus fidei Divinæ eſt adultis neceſſarius neceſſitate Præcepti graviter obligantis ad credendum explicite non ſolum Deum ut remuneratorem bonorum, Trinitatem item & Incarnationem, ſed & omnia fidei noſtræ myſteria, quæ in ſymbolo Apoſtolorum continentur.

VII. Præceptum fidei internæ univerſim probatur ex illis Scripturæ verbis 1. Joan. 3. *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.* Item ex illis ſupra citatis Marci ult. *Qui non crediderit, condemnabitur;* quæ exprimunt ſaltem neceſſitatem præcepti. Unde proſcripta eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio: *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.* Porro præceptum fidei divinæ duplex eſt; unum affirmativum, alterum negativum. Affirmativum eſt illud, quod obligat nos ad credenda Myſteria fidei; negativum vero, quod obligat ad non diſſentiendum illis, neque de illorum veritate dubitandum. Iſtud complectitur omnes veritates revelatas, & omne tempus; ſemper enim illicitum eſt diſſentiri veritati ſufficienter propoſitæ ut a Deo revelatæ, quæcunque ſit illa veritas. Illud vero, ſcilicet affirmativum, non obligat nos, ut credamus explicite omnes & ſingulas veritates a Deo revelatas, neque ut credamus quolibet tempore, ſed obligat ſolum ad credendum explicite certas quaſdam veritates, & certo quodam tempore.

Ejuſmodi ſunt inprimis exiſtentia Dei ut remuneratoris bonorum. Hujus namque fides explicita, ut jam ſuperius diximus, neceſſaria eſt neceſſitate medii: ergo a fortiori neceſſaria erit neceſſitate præcepti, cum ad ponenda media neceſſaria obligemur præcepto.

Deinde divino præcepto obſtringimur ad credendam explicite Trinitatem & Incarnationem; ea namque omnia te-

ſti-

Digitized by Google

ſtimonia, ex quibus multi probabiliter arguunt, fidem explicitam horum myſteriorum eſſe neceſſariam neceſſitate medii, evincunt ſaltem neceſſitatem præcepti. Id ipſum colligitur ex Decreto Innocentii XI. damnantis ſequentem propoſitionem: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationem Domini noſtri JESU Chriſti.* Ex quo ſequitur, Confeſſariis incumbere, ut pœnitentes ſuos, quos advertunt eſſe valde rudes, & rerum fidei ignaros, de his myſteriis diligenter inſtruant: & eandem hanc obligationem habere Paſtores reſpectu ſuarum ovium, Parentes reſpectu prolium &c. Quamvis enim ſententia, quam hic propugnamus, ſit theorice, ſeu ut ajunt, ſpeculative probabilis, imo nobis probabilior quam oppoſita videatur; in praxi tamen ſequenda eſt oppoſita: quia agitur de juſtificatione & ſalute, quam nihil juvabit ſententiæ noſtræ probabilitas; ſi fides explicita Trinitatis & Incarnationis ſit revera abſolute neceſſaria neceſſitate medii.

Inſuper præcepto obſtringimur ad credenda explicite omnia myſteria, quæ in ſymbolo Apoſtolorum continentur. Id quod probatur ex praxi univerſalis Eccleſiæ, quæ a primis ſæculis hancce ſalutis ſcientiam & fidem a fidelibus exegit, ut patet ex cap. 46. Concilii Laodic. ubi habetur: *baptizandos oportet fidei ſymbolum diſcere*: tum ex rituali Parochorum, ex cujus præſcripto monendi ſunt patrini, ſui officii eſſe, ut curent infantes, quos de ſacro fonte levant, diſcere Symbolum, cum adoleverint: tum ex Catechiſmo Romano, qui ſic habet: *Quæ primum homines tenere debent, illa ſunt, quæ Sancti Apoſtoli divino Spiritu afflati, duodecim ſymboli Articulis diſtinxerunt.* Et ratio eſt: quia ex S. Auguſtino ſerm. 135. de temp. *Symbolum eſt regula fidei noſtræ, brevis & grandis, brevis numero verborum, grandis pondere ſcientiarum.* Quis au-

autem non videt, quemlibet Chriſtianum graviter obligari ad tenendam ſaltem quoad ſubſtantiam ejusmodi regulam fidei ſuæ. Dixi quoad ſubſtantiam, ita ut quilibet intelligat, quid ſingulis articulis credendum proponatur. Nam memoriter tenere Apoſtolorum ſymbolum, & eo ordine quo traditur in Catechiſmis, obligamur dumtaxat præcepto Eccleſiæ. Quamquam & iſtud præceptum non imponat gravem obligationem, ut docet Suarez Diſp. 13. Sect. 5. qui præterea aſſerit Sect. præced. non conſtare ſufficienter de præcepto gravi ſciendi memoriter Orationem Dominicam; etiamſi turpis admodum, & aliquando ratione ſcandali etiam graviter peccaminoſa eſſe poſſit hæc negligentia & ignorantia.

VIII. *Quæres:* An præter myſteria in Symbolo contenta ſint adhuc alia, de quibus explicita fides ab omnibus adultis habenda ſit.

Reſp. Ad ea tantum teneri omnes ex præcepto fidei divinæ. Sed obligari præterea non tam ex præcepto fidei, quam ex præcepto religionis, juſtitiæ, & aliarum virtutum,

Primo ad ea cognoſcenda & credenda, quæ in Decalogo, & præceptis Eccleſiæ continentur, cum eorum obſervantia ad ſalutem ſit neceſſaria, dicente Chriſto Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: ſervari autem non poſſunt, ſi ignorentur.

Secundo, ad ea etiam cognoſcenda & credenda, quæ ad illorum Sacramentorum rationem pertinent, quorum ſuſceptio eſt illis ad ſalutem neceſſaria. Cum enim prima diſpoſitio ad Sacramentum aliquod digne ſuſcipiendum in adultis ſit fides reſpectu illius Sacramenti, quod ſuſcipi debet; ſequitur, obligationem Sacramenti illius ſuſcipiendi neceſſario ſecum ferre obligationem habendæ fidei explicitæ reſpectu illius. Quod & pariformiter dicendum eſt de aliis Sacramentis,

Digitized by Google

tis, ad quæ ſuſcipienda non obligatio, ſed ſola devotio impellit; cum utrobique par ſit ratio.

Tertio denique ad ea omnia & ſingula explicite credenda, quæ ſecundum exigentiam peculiarem cujusque ſtatus & conditionis ad ſalutem conſequendam, juxta divinæ legis præſcriptum neceſſaria ſunt. Et ea ratione in Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ fides haud dubie magis explicita requiritur, quam in aliis, qui eorum curæ ſunt commiſſi: in Sacerdotibus item magis quam in Laicis; quia ſine fide illa & cognitione myſteriorum magis explicita & perfecta, omnibus officii ſui partibus digne, ut par eſt, fungi non poſſunt.

CAPUT III.

In quibus reperiatur Fides?

I. UT præſenti quæſtioni plenius ſatisfiat, repetendum eſt animo, præter fidem actualem, ſeu ipſum aſſenſum, quem divina gratia auxiliante præſtamus veritatibus a Deo revelatis, dari etiam fidem habitualem, quæ ex alibi dictis nihil eſt aliud, quam permanens quædam animæ affectio, vi cujus in aſſenſum fidei facilius prorumpimus & fideles dicimur, tametſi non ſemper a nobis actus fidei eliciatur; ſicut per habitum gratiæ & charitatis juſti, Deoque chari efficimur. Admittendum eſſe ejusmodi habitum fidei conſtat ex celebri illo Apoſtoli teſtimonio 1. ad Corinth. cap. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc.* Quod quidem intelligi non poteſt de actibus tranſitoriis, adeoque intelligi debet de habitibus, qui permanent. Idem pariter colligitur ex Decreto Concilii Viennenſis, tit. de ſumma Trinit. & de fide Cathol. Et ex Concilio Tridentino, quod expreſſe definivit Seſſ. 6. cap. 7. hominem in juſtificatione accipere dona multa, & nominatim *fidem*, *ſpem*, & *charitatem*. Loquitur ibidem

dem Concilium de infantibus æque ac de adultis; ſed reſpectu infantium hoc non poteſt intelligi de actibus fidei, ſpei, & charitatis, quorum ipſi incapaces ſunt: igitur admitti debent virtutum iſtarum habitus. Conſulantur hic ea, quæ diximus in Tract. de Grat. Part. 2. Diſſert. 1. de juſtific. c. 3.

Dum igitur quærunt Theologi, in quonam tanquam in proprio ſubjecto reperiatur fides? Quæſtio potiſſimum procedit de fide habituali: utrum videlicet habitus fidei fuerit in Angelis viatoribus, & in homine innocente? An modo ſit in Beatis, dæmonibus, & animabus damnatis? An denique etiam in peccatoribus remaneat, imo & in hæreticis reperiatur? Ad quæ ſingillatim quidem, ſed breviter reſpondebimus. Itaque

II. *Reſp. ad primum.* In Angelis viatoribus, & in homine innocente vera fuit fides. Ratio eſt 1*mo*: quia cum illa Apoſtoli ſententia ad Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO, credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*; generalis ſit, in nullo omnino viatore exceptionem patitur. Unde S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 1. ſic arguit: *Angelus & homo in ſua prima conditione erant in ſtatu accedendi ad Deum. Ergo fide indigebant.* 2*do*. Ut dicit idem S. Doctor, fuit in Angelis viatoribus, & homine innocente inchoatio quædam beatitudinis, ad quam erant a Deo ordinati. Hæc autem inchoatio conſiſtebat ex parte voluntatis in ſpe & charitate, & ex parte intellectus in fide. Ergo non ſolum ſpem & charitatem, ſed & fidem habuerunt. 3*tio*. Quamvis Angeli ingenita ſibi luce exiſtentiam Dei, multasque illius proprietates cognoverint, non potuerunt tamen ſolius ipſius lucis ope cognoſcere Perſonarum in Divinis Trinitatem, aliaque ejusmodi Myſteria; ergo per revelationem tantum, ac proinde per ſolam fidem myſteriorum illorum cognitionem, dum eſſent in via, conſecuti ſunt. Quod

mul-

Digitized by Google

multo magis locum habet in Adamo innocente: unde S. Ambroſius Lib. 3. epiſt cap. 33. ſic eundem alloquitur: *Agnoſcis te eſſe nudum, quia bona indumenta fidei perdidiſti.*

III. *Reſp. ad 2dum*: Non remanet fides in Beatis, in dæmonibus, & in animabus damnatis. Atque in Beatis quidem non ideo negamus reperiri fidem, quod ex natura rei fides myſteriorum cum clara eorundem viſione ſtare non poſſit: ut enim initio Tractat. diximus, clara & manifeſta objecti viſio reperiri poteſt cum fide de eodem objecto; ſiquidem & fide divina credimus, & per claram demonſtrationem cognoſcimus exiſtentiam Dei, animæ rationalis immortalitatem &c. Sed iſtud ita eſſe videtur, quia fides hæc, quæ in nobis virtus eſt Theologica, Beatis foret omnino ſuperflua; quandoquidem clare vident, quod nos fide tenemus; prætterquam quod fides, cum ex Apoſtolo ſit ſubſtantia rerum ſperandarum, data potiſſimum ſit viatoribus tanquam fundamentum ſpei, quam habent in bona alterius vitæ. Quod non obſcure inſinuatur in ſcripturis, dicente eodem Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 13. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt;* hoc eſt, cum venerit rerum divinarum clara viſio, ceſſabit cognitio imperfecta & obſcura. Unde ita proſequitur: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſcor ex parte, tunc autem cognoſcar, ſicut & cognitus ſum.* Hinc & S. Auguſtinus Lib. 14. de Trinit. cap. 2. *Neque*, inquit, *jam fides erit* (in cœlo) *qua credantur, quæ non videntur; ſed ſpecies, qua videantur, quæ credebantur.*

In Dæmonibus quoque, & in animabus damnatis non eſt fides; imo nec eſſe poteſt. Tum quia repugnat illorum ſtatui & conditioni habere pium affectum ſe ſubmittendi authoritati divinæ, cum habeant voluntatem in malo ob-

obfirmatam ; tum quia carent omni auxilio gratiæ, ſine quo haberi non poteſt aſſenſus ſupernaturalis, quo intellectus firmiter adhæreat alicui veritati præciſe propter veracitatem Dei loquentis.

Neque obſtat illud Jacobi 2. cap. *Credis, quia unus eſt Deus : bene facis ; & Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Hæc enim fides eſt ſolum late & improprie dicta. Quippe cum dæmones, ut ait Eſtius, ingenii ſui ſagacitate, vel argumentorum pondere, aut variis ſignis & miraculis convicti, neceſſario judicant dogmata religionis noſtræ eſſe vera & a Deo revelata, ſuo modo credere, & fidem habere reputantur; ſed fidem improprie dictam, fidem acquiſitam, non infuſam & Chriſtianam, cum nulla ſit in iis humilitas, nulla obedientia, & pia voluntatis obſequentis propenſio ad credendum propter authoritatem Dei revelantis; in quo certe poſita eſt fides ſupernaturalis.

In animabus tamen purgatorii fidei habitus reperitur: quia animæ illæ ſunt adhuc in via ſalutis, & ad patriam tendunt, atque adeo nondum acceperunt id, quod perfectum eſt; & ſic fides, ſeu cognitio obſcura veritatum ſupernaturalium non repugnat illarum ſtatui. Ad hæc primam veritatem revelantem nondum vident clare, & in ſe, proindeque poſſunt aſſenſu libero & obſcuro eidem adhærere. Ergo poſſunt credere fide divina, & ex prævia ejusdem cognitione diligere Deum, & beatitudinem deſiderare.

IV. *Reſp. ad 3tium.* Fides habitualis remanet in peccatoribus; non tamen in infidelibus, & hæreticis.

De peccatoribus fidelibus, hoc eſt iis, qui e ſtatu gratiæ per peccatum mortale, a peccato infidelitatis diverſum exciderunt, certum eſt ex Conc. Trident. quod Seſſ. 6. cap. 15. ſic ait: *Aſſerendum eſt non modo infidelitate, per quam & ipſa fi-*

fides amittitur ; ſed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides , acceptam juſtificationis gratiam amitti. Ex quibus duo habemus : charitatem , ſeu gratiam ſanctificantem amitti per quodlibet peccatum mortale ; habitualem vero fidem per ſolum peccatum infidelitatis. Et ratio eſt, quia in impio, qui in ſtatu peccati mortalis verſatur, poteſt eſſe ſpes de remiſſione peccati, & conſequenda aliquando beatitudine æterna ; ergo poteſt eſſe & fides, cum ſit radix & fundamentum cujuscunque virtutis, imo & reſurrectionis noſtræ ſpiritualis, ac reconciliationis cum Deo. Unde eſt, quod Deus, quamvis hominem propter quodlibet peccatum mortale juſte privare poſſet fide habituali, eam tamen in illo conſervet, quamdiu is vivit, & eſt bene affectus erga veracitatem & revelationem divinam; ſeu quamdiu vivit, & non eſt totaliter averſus a Deo per peccatum infidelitatis.

Ex quo ſponte ſua fluit altera reſponſi pars: videlicet fidem veram in infidelibus & hæreticis non reperiri, quod communiter docent omnes Theologi contra Durandum aſſerentem in 3. Diſt. 23. q. 9. in hæreticis poſſe veram haberi fidem reſpectu articulorum, in quibus non errant. Cui opinioni inprimis adverſatur Concilium Tridentinum loco paulo ante cit. ubi dicitur non ſolum charitatem, ſed etiam fidem habitualem amitti per peccatum infidelitatis. Adverſatur etiam ratio manifeſta : quia habitus fidei datur & conſervatur a Deo in homine ad exercendos actus fidei perfectæ, ſicut habitus charitatis datur & conſervatur a Deo ad diligendum Deum ſuper omnia propter ſe. Atqui homo hæreticus non poteſt exercere actus fidei perfectæ. Ejusmodi namque actus involvunt ex parte voluntatis generalem, plenum, & abſolutum affectum ſe ſubmittendi in omnibus authoritati divinæ, id eſt, credendi quamlibet veritatem firmiſſime propter authoritatem Dei loquentis , quotiescunque proponitur ſuffi-

cien-

Digitized by Google

cienter ad credendum. Homo autem hæreticus, qui vel unam aliquam veritatem revelatam ſufficienter propoſitam non credit, non vult ſe ſubmittere authoritati divinæ, quamvis ſufficienter propoſitæ, ſaltem circa veritatem illam particularem. Ergo non habet ex parte voluntatis generalem illum & abſolutum affectum ſe ſubmittendi in omnibus authoritati divinæ, qui tamen requiritur ad actum fidei perfectæ: ergo actum fidei perfectæ exercere non poteſt.

Accedit, quod aſſenſus, quem ex. gr. Lutheri, aut Calvini aſſecla præbet huic veritati, *Filius in Divinis eſt Patri conſubſtantialis*, non ſit omnino certus. Quamvis enim credat veritatem hanc quia revelata eſt a Deo, non tamen certus eſt, illam fuiſſe a Deo revelatam: ſiquidem hoc novit per medium fallax, & errori obnoxium; novit enim iſtud non aliunde, quam privato judicio, non publica & infallibili Eccleſiæ authoritate fultus; in quo differt a Catholicis, qui non privato judicio & examine, ſed propter Eccleſiæ Catholicæ teſtificantis authoritatem credunt ea omnia fuiſſe a Deo revelata, quæ credenda fidelibus proponuntur; qua quidem infallibili authoritate certi ſunt, quænam ſit Scriptura ſacra a Deo inſpirata, & quinam genuinus ejusdem Scripturæ ſenſus. Ergo aſſenſus, quem nonnullis fidei noſtræ articulis præbent hæretici, non eſt omnino certus, adeoque non eſt verus fidei divinæ actus.

V. *Objic.* In quo remanet fidei habitus, is poteſt verum fidei actum elicere. Sed in hæretico unum dumtaxat aut alterum fidei articulum negante, remanet fidei habitus, quem videlicet infuſum habuit in Baptiſmo. Ergo. *Prob. min.* Generatim loquendo habitus non deſtruitur per unum actum vitii contrarii: ſic in moralibus habitus e. g. temperantiæ non amittitur per unum actum ebrietatis. Ergo nec amittitur fidei habitus infuſus in Baptiſmo per aliquem infidelitatis actum,

quo

Digitized by Google

quo unum aut alterum fidei Catholicæ articulum negat hæreticus.

Reſp. Neg. min. Ad *prob. Diſt. ant.* habitus non deſtruitur per unum actum vitii contrarii, habitus naturalis, *Conc.* habitus ſupernaturalis, *Neg. ant.* & *conſ.* Diſcriminis hujus ratio petenda eſt ex voluntate & ordinatione divina. Voluit nempe Deus, ut qui vel minimum actum his habitibus infuſis contrarium eliceret, ipſo habitu infuſo & ſupernaturali continuo privaretur: ſic per unicum diſperationis actum homo amittit ſpei habitum, & per unicum peccatum mortale deſtruitur charitas: unde mirum non eſt, ſi etiam fides intereat per unicum infidelitatis actum.

Sed *inquies*: Nonne in hæreticis remanet eadem credendi facilitas, eademque immobilis perſuaſio circa ea fidei capita, quæ non rejiciunt, quæ quidem facilitas & firmitas in credendo nec deſtruitur, nec imminuitur per hoc, quod aliis fidei noſtræ articulis diſſentiant. Igitur verus fidei habitus eſt in hæreticis.

Reſp. Diſt. ant. remanet facilitas naturalis, & habitus acquiſitus cum quadam apparente perſuaſione conjunctus, *Conc.* remanet facilitas ſupernaturalis, & habitus fidei infuſus cum vera & firma perſuaſione *Neg. ant.* & *conſ.* In Hæreticis igitur, qui per actum infidelitatis ſupernaturalem fidei habitum amiſerunt, remanet quidem facilitas credendi myſteria, quæ non rejiciunt, ſed illa repetenda eſt ab habitu fidei naturalis & acquiſitæ, aut Majorum inſtitutione, aut conſuetudine, & frequentatis ſæpe ejusmodi actibus: qua fide permanente, etiamſi habitus fidei ſupernaturalis extinctus ſit, Hæretici adeo nonnulla credunt, & tam pertinaci adhæſione, ut pro illis fundere ſanguinem parati ſint, & martyrium affectent: quemadmodum de Donatiſtis ſcribit Auguſtinus in Breviculo, &

in lib. 3. contra Creſconium; nec non Euſebius de Montaniſtis lib. 5. Hierarch. Eccl. cap. 6. quod tamen Balduinus in Hiſtor. Carthag. Collat. recte appellat fatuam *κενοδοξίαν*.

Cæterum etiamſi fidei actus, abſolute loquendo, elici poſſit, cum divinæ gratiæ adjutorio, ab homine fidei habitum non habente; ab Hæretico tamen, qui vel uni tantum articulo diſſentit, eundem nequaquam elici poſſe dicimus. Cum enim in omnibus fidei divinæ actibus idem ſemper ſit medium, eadem ratio determinans intellectum ad credendum, nempe revelatio Dei, cognita per authoritatem Eccleſiæ infallibiliter teſtificantis; Hæreticus negans unum ex articulis a Deo revelatis juxta Eccleſiæ teſtimonium, non poteſt ex eodem motivo alium articulum credere, adeoque fidei actum elicere, præſertim cum non credat, ut jam diximus, ex generali, pleno, & abſoluto affectu ſe ſe in omnibus ſubmittendi authoritati divinæ ſufficienter propoſitæ. Proinde nec habet fidem illam Chriſtianam & perfectam, qua Deo creditur ſuper omnia, qua ſola exhibetur Deo ſupremus cultus authoritati ejus debitus, quæ ſola ad juſtificationem ſufficit, & quæ ſola venit nomine fidei propric talis; ſicut ſola dilectio Dei ſuper omnia venit nomine charitatis.

Si opponas: Diſcipuli, quibus Marci ult. v. 14. exprobravit Dominus *incredulitatem & duritiam cordis*, *quia iis*, *qui viderant eum reſurrexiſſe*, *non crediderunt*; & Thomas, cui Joan. 20. idem Dominus dixit, *noli eſſe incredulus*, *ſed fidelis*, nunquid fidem prorſus amiſerunt?

Reſpondet Lyranus, Diſcipulos, de quibus Marci ult. tunc fuiſſe incredulos, quoniam reſurrectio Domini pluribus argumentis fuerat declarata: niſi dicere velimus increpatos fuiſſe a Domino, quod mulieribus, cæteriſque Reſurrectionis Dominicæ teſtibus credere noluerint. Per incredulitatem autem

Digitized by Google

tem ejusmodi, qua quis fidem præſtare renuit privato homini, myſterium ſibi nondum ſatis exploratum narranti, ſi paratum habeat animum credendi aut Eccleſiæ proponenti, aut Domino revelanti, fides nequaquam amittitur; & hæc fuit incredulitas Thomæ, aliorumque Diſcipulorum, longe diverſa ab Hæreticorum pervicaci incredulitate.

SECTIO SECUNDA.

De exterioris fidei actus neceſſitate.

CAPUT I.

An exterior fidei actus præceptus ſit, & quomodo?

I. Actus exterior fidei eſt externa confeſſio, qua quis ore, vel opere profitetur, ſeu manifeſtat actum internum, quo aſſentitur rebus a Deo revelatis. Externa iſthæc confeſſio ad virtutem fidei pertinet: quia generatim actus externi pertinent ad eas virtutes, ex quarum motivo exercentur. Sed exterior fidei confeſſio ſit ex motivo fidei; confeſſio enim fit ore ad ſalutem, quia corde creditur ad juſtitiam: credimus quippe interius, propter Dei revelantis authoritatem, & hoc ipſum ore ac publice confitemur, ut ſignificemus nos Deo revelanti acquieſcere. Externa igitur confeſſio ad fidei virtutem pertinet, quoties idem cum illa habet motivum, atque adeo juncta eſt cum actu interno, quo cum fit unum quid moraliter, eandemque propterea cum fidei virtute honeſtatem participat.

Dulpex autem intelligitur eſſe præceptum externæ confeſſionis fidei; affirmativum ſcilicet, & negativum. Iſtud prohibet, ne quis unquam fidem neget, nec quicquam agat

exterius, quod veræ fidei adverſetur: illud vero præcipit fidem certis temporibus exterius confiteri. Ut igitur obligationem ex utroque hoc præcepto promanantem intelligamus, neceſſe eſt primum expendere, an, & quando obliget præceptum fidem exterius profitendi? Secundo, utrum liceat aliquando veram fidem negare?

ASSERTIO PRIMA.

Exſtat præceptum graviter obligans, ad fidem exterius aliquando, & certis quibusdam in circumſtantiis profitendam.

II. EXtare ejusmodi præceptum, patet manifeſte ex jam ſæpe relato Scripturæ loco ad Rom. 10. v. 9. & 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum JEſum, & in corde tuo credideris - - - - ſalvus eris; corde enim creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ubi Apoſtolus prioribus verbis utramque fidem, oris & cordis, exigit ad ſalutem: poſterioribus vero eandem neceſſitatem ſtatuit confeſſionis fidei ad ſalutem, ac fidei internæ ad uſtificationem acquirendam: ſed fides interna ex præcepto jneceſſaria eſt ad juſtificationem; ergo fidei confeſſio ex eodem præcepto neceſſaria erit ad ſalutem. Unde S. Auguſtinus lib. de Fide & ſymbolo, cap. 1. *Fides*, inquit, *a nobis duplex officium exigit, cordis & linguæ.* Et ratio eſt, quia nulla eſt vera virtus, quæ in actus externos nunquam erumpit: ſic vera religio ad cultum Deo exterius exhibendum tendit; miſericordia ad ſublevandum pauperem, cujus quis interius miſeretur; fortitudo ad ſubeunda quæcunque pericula, ubi illud recta ratio exigit: nec haberetur religioſus, miſericors, fortis, qui nollet data occaſione Deum exterius colere, miſero opem ferre, mortis periculum ſubire. Ergo ſimiliter, qui habet in corde credulitatis affectum, non quieſcit in aſſenſu interno, veri-

ritatibus a Deo revelatis præſtito, ſed prorumpit in actus exteriores, interno illi affectui & aſſenſui reſpondentes: *Credidi*, inquit Regius Pſaltes Pſal. 115. *propter quod locutus ſum.* Et Apoſtolus 2. ad Corinth. 4. *habentes autem eundem Spiritum fidei - - - & nos credimus*, *propter quod & loquimur.* Accedit, quod exterior iſta fidei confeſſio neceſſaria etiam ſit ad conſervandam Eccleſiæ viſibilis unitatem. Si namque fides, quæ corde geritur, ad aliorum aures & corda voce aliquando & opere non tranſmitteretur, fides non haberetur ex auditu; nec unus poſſet ab alio diſcere, nec alius alium fidem docere, quo tota viſibilis Eccleſiæ fabrica ſubverteretur. *Quomodo* enim, ut ait Paulus ad Rom. 10. v. 14. *credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* ergo quandoque fides ſignis externis eſt manifeſtanda.

Dixi quandoque: quia generatim loquendo hæc eſt ratio & natura præcepti affirmativi, quod non obliget pro omni tempore; quemadmodum vel ipſum præceptum amoris Dei non obligat ad actus amoris ſemper, & quolibet vitæ tempore eliciendos.

III. Præceptum itaque affirmativum profitendi fidem obligat duntaxat duobus in caſibus, ut obſervat D. Thomas Q. 3. art. 2. Nimirum cum per omiſſionem confeſſionis *ſubtraheretur honor debitus Deo*, *aut utilitas proximo impendenda.* Nec immerito: ſiquidem omiſſio confeſſionis in primo caſu vergeret in ſummum Dei contemptum, quem ipſa ratio naturalis vetat, cum Deum toto corde diligere & colere teneamur: in altero autem caſu infringeretur præceptum, quo & proximum noſtrum ſicut nos ipſos diligere jubemur.

Contingere autem poteſt, ut per omiſſionem confeſſionis honor Deo debitus ſubtrahi cenſeatur, cum quis publica authori-

Digitized by Google

tate interrogatus de fide, ſilet. Qui namque eo caſu ſilet, erubeſcit Evangelium, mereturque pœnam, quam Chriſtus ſilentibus comminatus eſt, Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua.* Publica autem authoritate cenſetur quis interrogari, cum interrogatur ab eo, qui eſt in poteſtate publica conſtitutus, ſive privatim id fiat, ſive publice, ſive qui interrogat tyrannus ſit, an legitimus Princeps. Unde merito damnata eſt anno 1679. ab Innocentio XI. hæc propoſitio: *Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei glorioſum conſulo: tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.* Et ratio eſt, quia fidelis tunc exterius confiteri fidem ſuam tenetur, quando vocatur ut teſtis fidei: tunc enim agitur cauſa Chriſti, & fidei; & ſi eam non confiteatur, periclitatur honor Dei & fides ipſa. At tunc præcipue advocatur fidelis ut teſtis in cauſa fidei, quando legitime interrogatur in judicio, & a judice habente authoritatem. Hinc interrogatio facta tempore perſecutionis a tyrannis hanc obligationem regulariter inducebat: quia tunc publico certamine agebatur cauſa Chriſti, & Martyres vocabantur ut teſtes; atque adeo omiſſio confeſſionis cedebat in injuriam fidei, & Dei. Culpandus propterea fuit ille, qui ut refert Euſebius lib. 8. Hiſtor. cap. 3. urgente Diocletiani perſecutione, aliis in conſpectu tormentorum libere confitentibus uſque ad mortem fidem Chriſti, ſolus, quamvis neque ad Idolorum aram acceſſiſſet, neque profanum quidquam attigiſſet, nonnullis tamen ipſum ſacrificaſſe dicentibus, calumniam ſilentio diſſimulans ſe ſurripuit: tenebatur enim aperte negando ſe Idolis ſacrificaſſe, & Chriſtianum ſe confitendo, ſcandalum ab eorum mentibus auferre.

Alter vero caſus, charitatis videlicet proximo impendendæ, obligat nos ad confitendam exterius fidem 1*mo*, cum pruden-

denter judicamus, proximum, qui alioquin in fide vacillat, aperta fidei confeſſione confirmatum iri; quo nimirum in caſu locum habet illa Scripturæ ſententia: *debemus pro fratribus animas ponere.* *2do.* Urget idem præceptum, cum adeſt certitudo moralis aut etiam dubium prudens, quod Hæreticus vel infidelis religioni Catholicæ daturus ſit nomen: ordo nimirum charitatis poſtulat, ut proximi ſalutem æternam propriæ ſaluti temporali præferamus. *3tio.* Idem præceptum quamvis omnes fideles urgeat, urget tamen ſtrictius Eccleſiæ Paſtores & Miniſtros: hi enim, non ſolum charitatis ſed etiam juſtitiæ debito, fratrum ſuorum & ovium Chriſti ſanguine redemptarum ſaluti, cum propriæ vitæ detrimento, conſulere tenentur, juxta illud Chriſti in Evangelio: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.*

ASSERTIO SECUNDA.

Nunquam licitum eſt fidem negare.

IV. Eſt hæc aſſertio contra Baſilidem, cujus ſæculo ſecundo error fuit, perſecutionis tempore fidem impune negari poſſe. Errorem hunc ſæculo tertio adoptarunt Helceſeitæ, quos refert Euſebius Lib. 6. Hiſt. cap. 38. celebrem que effecerunt Priſcillianiſtæ, qui apud S. Auguſtinum de Hæreſ. h. 10. propter occultandas ſuæ ſectæ abominationes & turpitudines, pro dogmate ſtatuerunt, licitum eſſe etiam cum juramento mentiri. Unde vulgatum apud eos erat axioma: *Jura, perjura, ſecretum pandere noli;* quod ultro amplexata eſt ſecta Libertinorum, noſtra hac ætate in Anglia præſertim plurimum dilatata. Hoc idem denique tenent hodie plerique Calviniſtarum & Anabaptiſtarum, duce Georgio David: hi enim, authore Staphylo lib. de Lutheran. concord. exiſtimant, ſibi licere, ſi rogentur, an ſint Anabaptiſtæ, ſe eſſe

eſſe negare: ſufficere ſi ipſimet clam, quid credant, ſciant; palam confiteri non eſſe opus, dicti propterea *Clancularii.*

Sed contra hos omnes pugnat aperte Scriptura, communis Eccleſiæ ſenſus, & ratio manifeſta. Quid poteſt proferri expreſſius Dominica illa ſententia apud Matth. 10. v. 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo:* aut altera Luc. 9. v. 24. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam.* Etiam Apoſtolus in 2. ad Timoth. 11. v. 12. *Si negaverimus*, inquit, *& ille negabit nos.* Quæ omnia univerſim & abſque reſtrictione dicta, intelligenda ſunt pro quolibet caſu, etiam periculo mortis, ut intelliguntur a Patribus, & ab Eccleſia, quæ gravibus pœnis olim ſubjiciebat eos, qui in tyrannorum perſecutionibus, ſeu verbo, ſeu opere fidem negabant ad evitandam mortem; ut conſtat ex tot Conciliis in hac cauſa celebratis, præſertim contra *Libellaticos*, hoc eſt, habentes de facta idolis immolatione chirographum, quod ſæpenumero a Tyrannis ad evitandam mortem pecunia extorquebant, etiam ſcelere non patrato: contra quos ſeveriſſime egit Antiquitas, & graviter ſcripſit Cyprianus lib. de lapſis. Graviter igitur peccant, qui, etiam ex motivo vitandæ mortis aut graviſſimæ perſecutionis, verbo vel facto exterius fidem negant, etiamſi eam corde retineant.

Ratio denique eſt, quia omnis, qui fidem ſuam exterius negat, manifeſtum in re graviſſimi momenti committit mendacium; factis enim negat, quod in mente probat, ac verum eſſe putat: cum ergo quodlibet mendacium iniquum ſit, & veritati contrarium; quale putas flagitium eſſe, cum maxima ſupremi Numinis injuria & Chriſtiani nominis dedecore, aut Chriſti fidem, aut quod perinde eſt, ſe ejus diſcipulum abnegare? Unde conſequitur, Catholicum peccare graviter, ſi neget ſe eſſe Chriſtianum, Romanenſem, Pontifi-

tifi-

Digitized by Google

officium; vel ſi afferat, ſe eſſe Gentilem, Turcam, Judæum, Lutheri aut Calvini aſſeclam &c. Ejusmodi enim locutiones ſunt negationes Chriſti, veræque fidei in Chriſtum.

V. QUæres: An fidem negare cenſeatur, qui fuga ſe proripit, ut declinet perſecutionem?

Reſp. Fugam in perſecutione non eſſe argumentum negationis fidei. Ratio eſt 1*mo*. Quia fugam ejusmodi Chriſtus ipſe probavit apud Matth. cap. 10. v. 23. verbis illis: *Cum perſequentur vos in civitate una, fugite in aliam.* Et quod verbo ſuaſerat, exemplo ſuo ac facto implevit. Sæpe enim fugit & declinavit inſidias Judæorum, ut legitur Matth. 12. poſt ſanatam manum aridam. Joan. 8. Cum tulerunt lapides, ut jacerent in eum. Joan. 11. Poſtquam Lazarum reſuſcitavit, & pluribus aliis in locis.

2*do*. Exemplum Chriſti ſecuti ſunt Apoſtoli, cum metu Judæorum ſe ſe occultarunt: Petrus Act. 12. Herodis carcerem ac mortem ſibi paratam, Angelo oſtium aperiente, evaſit. Paulus artificio uſus, ut fugeret e manu Arethæ Damaſci Præſidis per murum in ſporta demiſſus eſt, ut refert ipſe 2. ad Cor. Quibus exemplis tuetur ſe S. Athanaſius in ſua adverſus Arianos Apologia, multisque probat, non incuſandos eos, qui ad vitandam perſecutionem, fugam quandoque arripiunt. Eadem exempla uſurpat pariter Pontius Diaconus, ut S. Cyprianum, quem ſpecialiter impetebat perſecutio, tueatur.

3*tio*. Qui fugit, fidem profitetur, nedum negat; non enim fugeret, ſi fidem abjurare vellet. Adde, quod fugæ ærumnas perferre gravius aliquando ſit ipſa morte; ideoque fugam arripere non eſt ſemper vilis timoris argumentum. Imo qui manet abſque neceſſitate aut utilitate, culpandus potius eſt; tum quod ex S. Thoma 2. 2. q. 124. art. 1. ad 3. *Non*

debeat homo occaſionem dare alteri injuſte agendi; tum quod ſæpe gravi ſe tentationi exponat; propter quod tanquam præſumptionis reus a SS. Patribus jure ac merito damnatur; tum denique, quod quibuſdam in circumſtantiis prudentia exigat, ut vitam pro grege, & communi Eccleſiæ utilitate conſervemus.

Dixi, qui manet abſque neceſſitate, aut utilitate. Cum namque fidei cauſa & ſalus Chriſtianæ plebis periclitatur, nefas eſt fugam arripere, Paſtoribus præſertim, ad quos cura ovium Chriſti pertinet; & ex quorum fuga timeri poſſit totius gregis diſperſio, aut e contra ejus in fide conſtantia ſperari, ſi Paſtor in perſecutione remaneat, & animam ſuam ponat pro ovibus ſuis. Egregie id commonet, probatque S. Auguſtinus Epiſt. 228. quæ eſt ad Honoratum: *Recoſimus*, inquit, *verba Chriſti dicentis: Cum autem perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam; quis credat ita hoc Dominum fieri voluiſſe, ut neceſſario miniſterio, ſine quo vivere nequeunt, deſerantur greges, quos ſuo ſanguine comparavit? - - - - Faciant ergo ſervi Chriſti, Miniſtri Verbi & Sacramenti ejus, quod præcepit, fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quiſquam a perſecutoribus ſpecialiter quæritur; & ab aliis, qui non ita requiruntur, non deſeritur Eccleſia - - - - Hinc maxime probatur illa charitus, quam Joannes Apoſtolus commendat dicens: Sicuti Chriſtus animam ſuam pro nobis poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere - - - - Quicunque igitur iſto modo fugit, ut Eccleſiæ neceſſarium miniſterium, illo fugiente, non deſit, facit, quod Dominus præcepit, ſive permiſit. Qui autem ſic fugit, ut gregi Chriſti ea, quibus ſpiritualiter vivit, alimenta ſubtrahantur, mercenarius ille eſt, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non eſt ei cura de ovibus.*

Digitized by Google

CAPUT II.

Utrum licitum ſit aliquando falſam Religionem ſimulare.

I. FAlſa Religio diverſis modis ſimulari poteſt: uſurpatione videlicet rituum, ciborum, veſtium, nominum, aliorumque ejusmodi ſignorum externorum, quæ de ſe ordinata ſunt ad falſam Religionem teſtificandam. De his omnibus quæritur in præſenti, utrum ea aliquando adhibere liceat ad diſſimulandam veram fidem, quam quis interius & animo profitetur, & ſimulandam exterius Religionem falſam, mortis aut alterius gravis periculi vitandi cauſa; cum nempe non urget præceptum affirmativum fidem Catholicam profitendi: nam hoc urgente, extra omnem controverſiam eſt, licitum non eſſe, quamcunque ob cauſam, falſam Religionem ſimulare, aut veram diſſimulare. Citatur vulgo hic Adrianus, qui in 4. Sen. q. 1. de Bapt. in reſponſione ad 5. ſenſerit, licitum eſſe extra præfatum caſum non modo fidem ſuam celare, ſed falſam etiam religionem, ipſamque idololatriam calide ſimulare; contra quam ſententiam ſit

ASSERTIO UNICA.

Nunquam fas eſt idololatriam, vel falſam Religionem ſimulare.

II. PRob. inprimis ex Scripturis. Enimvero 2. Machabæorum 6. Eleazarus verbis & exemplo nos docuit ejusmodi ſimulationem licitam non eſſe: hortantibus namque amicis, ut ſimularet ſe veſci carnibus ſacrificii, ſecundum Antiochi Regis mandatum, ita reſpondit: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere; ut multi Adoleſcentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem decipiantur: & per hoc maculam atque execrationem meæ ſenectuti conquiram. Nam etſi in præ-*

ſenti ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. Et capite proxime ſequenti, nempe 7. narratur illuſtre ſeptem fratrum, ob eandem cauſam, martyrium. Apoſtolus quoque in 1. ad Corinth. 10 ait: *Si quis autem dixerit: hoc immolatum eſt idolis; nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conſcientiam, conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.* Ubi non ſolum redarguit eos, qui vere ſunt Idololatræ, & animo colendi dæmonia ejusmodi cibos manducant; ſed & illos omnes, qui exterius quocunque demum animo de infidelium Altaribus participando, falſorum Numinum religionem ſimulant: docet enim non eſſe manducandum cum Idololatris propter conſcientiam, non ipſius quidem manducantis, ſed alterius, hoc eſt præſentium, qui per talem actum ſcandalum ſumere poſſent: quo loquendi modo manifeſte indigitantur ii omnes, de quibus præſens habetur quæſtio, qui videlicet per actum aliquem externum falſam ſimulant religionem. Unde idem Apoſtolus alias etiam ſæpius univerſim pronuntiat, nullam eſſe habendam participationem cum infidelibus. Sic 2. ad Corinth. 6. *Nolite*, inquit, *jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli?* Quod iterum ſcribit ad Epheſ. cap. 5. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.*

Concilia quoque, & Patres, præſertim Irenæus lib. 1. cap. 1. Tertullianus de Idololatria cap. 3. Cyprianus lib. de lapſis, Auguſtinus de bono conjugali cap. 16. damnant ac reprobant veſcentes immolatitias carnes, quamvis illas ſimulate manducaſſent. Nemo neſcit, quanto ſtudio cautum fuerit ab antiquis Conciliis, ne quis etiam ſimulando ſacrificaret Idolis. Severiſſime certe animadvertebat antiqua Eccleſia in eos,

eos, qui ſacrificiis, cibis, aliisque damnatæ ſectæ ritibus, quomodolibet ſe immiſcuerunt, quamvis non ex animo falſam fidem profitendi id feciſſent. Quare S. Leo epiſt. 129. ad Nicetam Aquileenſem cap. 5. purgari jubet ſervos, qui vel metu, vel fame compulſi immolatitia comederant. Quod mandavit etiam Gregorius II. etiamſi ſuper immolatitia ſignum crucis adhiberent; ut conſtat ex epiſt. 2. ejusdem ad Bonifacium.

Corroboratur aſſertio etiam ratione. Nam veritas poſtulat, ut unusquisque talem ſe exhibeat exterius, qualis re ipſa eſt: atque adeo omnis ſimulatio eſt illicita; eſt enim mendacium, ſi non in verbo, ſaltem in facto. Hinc qui falſam religionem ſigno aliquo externo ſimulat, reus fit graviſſimi in cauſa graviſſima mendacii; agit enim præter mentem, & aliter, ut ita dicam loquitur, quam in animo cogitet; quod verum eſt mendacium, lege divina & naturali prohibitum. Accedit, quod ſicut interiorem animum patefaciunt non ſolum verba, ſed etiam cætera ſigna; ita eodem crimine ſe ſe obſtringit, qui verbis orisque confeſſione, & qui moribus, conſuetudine, ritibus tali ratione ſe gerit, ut Chriſtum videatur aut negare, aut erubeſcere.

Hæc tamen omnia intelligenda cenſeo, quando ritus, verba, epulum, veſtimenta, aliaque hujuscemodi ſigna ſuperſtitionem redolent, aut ſunt falſæ ſectæ proteſtativa: ſi namque civilem duntaxat & politicam conſuetudinem præ ſe ferant, poſſunt juſtas & graves ob cauſas licite uſurpari. Neque enim eo caſu falſa ſimulatur religio, aut ullum fidei periculum imminet. Sic e. g. qui neceſſitate coactus templum profanum ingreditur, ac Domino etiam thura Idolis adolenti famulatum exhibet (quod contingere interdum poteſt cuilibet barbarorum mancipio) is, dummodo non prætergrediatur civilis obſequii jura, nullumque exhibeat Idolis cultum, ab

omni culpa immunis eſt. Similiter veſci idolothytis, ſi abſit periculum ſcandali, neque præ ſe ferat pravi animi ſuſpicionem, licitum eſt. *Omne quod in macello venit, manducate*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 25. Secus ſi adſit ſcandalum, aut id jubeat Princeps Idololatra ad conteſtandam religionem ; eo namque caſu fideles imitari oportet fortitudinem Eleazari, & traditam ab Apoſtolo præceptionem: *Si quis autem dixerit : hoc immolatum eſt Idolis, nolite manducare.* Idem afferendum de Judæorum azymis, de conviviis hæreticorum, de fidelium, in horum domo templiſque, conventibus. Eadem quoque regula adhibenda in veſtibus, nominibus, cæteriſque ſignis & rebus, quæ ab infidelibus, aut hæreticis uſurpantur: damnanda enim ſunt omnia ac penitus rejicienda, ſi ſeu ex lege, ſeu ex conſuetudine habeantur tanquam religionis ſigna ; qui enim iis utitur, cenſetur eam religionem profiteri, cujus ſunt inſignia. Contra vero licitum eſt uti infidelium aut hæreticorum indumentis, nominibus, &c. cum ea civilis dumtaxat ſunt muneris, collatæque dignitatis argumentum, aut regionis, nationiſque, non vero religionis indicia. Quemadmodum Tertullianus obſervat in lib. de Idololat. Joſephum apud Ægyptiacos, & Danielem apud Babylonicos, civilis dignitatis ſibi conceſſæ, non vero impiæ Ægyptiorum aut Babylonicorum ſuperſtitionis inſignibus uſos fuiſſe; atque ex eorum exemplo hanc infert concluſionem: *Sic penes nos quoque, fideli, ſi neceſſe fuerit, poterit & pueriliś prætexta concedi, & puerilis ſtola; nativitatis inſignia, non poteſtatis; generis, non honoris; ordinis, non ſuperſtitionis.* Ita Apoſtolici Viri aliquando Perſicis, Indiciſque, cum non poſſint propriis incedere, veſtibus induuntur ; & inter Sinenſes, Miſſionarii nonnulli Mandarinorum inſignibus ornati ſunt.

Ab his pendet gravis illa de Sinenſibus ritibus controverſia, tanta animorum contentione agitata: nam ſi quæ ſint, ab

ab iis gentibus peragi conſueta, quæ vere ſuperſtitioſa non ſunt, nec ſuperſtitionis aut impietatis ſpeciem præ ſe ferant, ſed intra limites civilium & politicorum rituum contineantur, ea omnino non vetari, Pontificiis Conſtitutionibus declaratum eſt.

Reſpondetur ad Objecta.

III. OBjici ſolent 1mo exempla quædam ſimulantium falſam religionem in Veteris Teſtamenti Scripturis laudata. Sic 4. Reg. cap. 5. refertur, quod Eliſæus Propheta conceſſerit Naamano, militiæ Regis Syriæ Principi, ut, Rege adorante Idolum in templo Remmon, poſſet & ipſe cultum Idolo ſimulate exhibere; quod niſi licitum eſſet, Propheta non admiſiſſet.

Jehu quoque 4. Reg. cap. 10. non peccavit ſimulando ſe velle ſacrificare idolo Baal, ut omnes ejus Sacerdotes occideret; nam ob factum laudatur a DEO.

Reſp. Nec Eliſæus conceſſit, nec Naaman petiit ab eo, ut cum Rege adoraret Idolum. Sed cum Regi ab obſequiis eſſet, eique propterea recepto more incumberet, Regem adorantem ſuſtentare, religione motus, an id ſibi liceret, Eliſæum conſuluit, a quo reſponſum obtinuit: *Vade in pace;* hoc eſt, ne anxieris ſuper hoc. Et recte quidem: nam ſi famulus, ſolitus ubicunque locorum obſequium præſtare Domino ſuo pagano aut hæretico, hoc ipſum obſequium eidem præſtet etiam in templo, nullius criminis ſe reum facit; non enim cultum præſtat idolo, ſed famulatum Domino ſuo. Rege igitur in templo Remmon genu flectente, genu flectebat Naaman, ſed magno cum diſcrimine: Rex enim genu flectebat ante idolum, ut adoraret; Naaman vero, ut debitum Regi obſequium præſtaret. Unde genu flexio Regis erat actus re-

religionis, & genu flexio Naaman obſequium civile Regi debitum, & licite præſtitum; quia & ipſi Regi, & aliis adſtantibus ſatis notum erat, Naaman a Gentiliſmo converſum, Judæorum religionem palam profiteri; atque adeo non genu flectere niſi obſequii civilis cauſa, & ad fungendum officio ſuo.

Jehu quod attinet, non probavit Deus ſimulationem ipſius, ſed obedientiam, qua, Deo ita jubente, omnem domum Achab delevit. Ita S. Auguſtinus lib. 2. contra mendacium cap. 2. ubi ait, Jehu non pro illa ſua ſimulatione, *ſed pro obedientia, quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam regni temporalis accepiſſe.*

IV. *Objic. 2do.* Apoſtoli poſt Chriſti mortem ad ſtabiliendos Neophitos, & Judæos ad fidem facilius pertrahendos, uſque ad Evangelii promulgationem, Cæremonias legis Judaicæ jam abrogatas exterius ſimulatorie obſervarunt, quamvis in animo ſentirent, nullam iis amplius ineſſe vim a peccato expiandi. Unde & Paulus 1. ad Corinth. 9. v. 20. de ſe dicebat: *Factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis, qui ſub lege erant, tanquam ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub lege) ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem: iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant - - - Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Igitur Sanctus Paulus licitum ſibi judicabat, cum Judæis ſimulare ſe Judæum, cum Gentilibus gentilem, ut eos lucrifaceret. Ergo ſimulatio in materia fidei & religionis non eſt ſemper illicita; imo aliquando neceſſaria & præcepta eſſe poteſt.

Reſp.

Reſp. Poſt Chriſti mortem quamvis Cæremoniæ legales fuerint *mortuæ*, ut loquuntur Scholaſtici, hoc eſt, non fuerint amplius ad ſalutem æternam neceſſariæ, neque vim habuerint a peccato expiandi; non fuerunt tamen etiam ſtatim *mortiferæ*, ſeu non ſtatim cœperunt eſſe ita noxiæ, ut nefas eſſet illas amplius in uſum aſſumi: ideoque poterant per aliquod tempus vere & abſque ulla ſimulatione ab Apoſtolis, & temporum illorum Chriſtianis obſervari; contra quam ſenſerit S. Hieronymus, inter quem, & S. Auguſtinum, nemo neſcit, graviſſimam ſuper iſto argumento habitam olim fuiſſe contentionem. Sed Auguſtinum ſequuntur nunc omnes, quatenus contendit mortiferam non fuiſſe ſtatim ab ipſa Chriſti morte Judaicarum Cæremoniarum obſervationem, & ſincero animo, non ficto, nec ſimulate easdem obſervaſſe Apoſtolos. At ritus idololatrici, aut alterius cujuscunque falſæ ſectæ de ſe mortiferi & illiciti ſunt. Et ideo, ſicut iſtos Apoſtoli nunquam permiſerunt; & ſicut modo non permitteretur Judæo Neophito, ut ritus Judaicos etiamnum ſervaret: ita nec permitti poterit obſervantia vel ſimulatio rituum ſectæ, quæ vel ſemper fuerit, vel modo ſit mortua ſimul & mortifera. Ad teſtimonium S. Pauli reſpondet Auguſtinus I. contra mendac. cap. 12. Quod enim Apoſtolus ait, omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem, *compatiendo id fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tanquam ille, cui vult ſubvenire - - - Fit tanquam ille, non quia fallit illum, ſed quia ſe cogitat ſicut illum - - - Nam ſi propterea quia dixit*, factus ſum Judæis tanquam Judæus, & iis qui ſub lege erant, tanquam ſub lege, *ideo putandus eſt mendaciter ſuſcepiſſe legis veteris Sacramenta: debuit etiam & Gentium idololatriam ſuſcepiſſe, quia dixit, etiam iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege ſe factum, ut eos lucrifaceret; quod utique non fecit.*

V. *Objic. 3tio.* Simulatio falſæ religionis, ſi fiat ſine omni ſcandalo, quod infirmos offendere poſſit, & extra ca-

ſum præcepti affirmativi, urgentis fidem Catholicam profiteri, nulla prohibetur lege: hoc ipſo enim non eſt contra præceptum charitatis erga proximum, neque contra præceptum fidei affirmativum. Non etiam adverſatur præcepto prohibenti mendacium: qui enim exterius ſimulat ſalſæ religionis cultum, ſerio ſalſam hanc religionem non profitetur; imo eam in corde ſuo deteſtatur, & veram immobiliter conſervat: ut adeo cultus ille non ſit proteſtativus, niſi reſpectu eorum, qui externa duntaxat ſigna ſpectantes, aliter judicant, ac re ipſa eſt & præter ſimulantis intentionem.

Reſp. Simulationem ſalſæ religionis lege naturali & divina eſſe prohibitam; ſiquidem ut ſupra diximus, eſt de genere mendacii: quisquis enim ſalſam religionem aliquo ſigno externo profitetur, fidem Catholicam retinens in corde, *diaboli cultum mentitur in corpore*, ut ait S. Auguſtinus lib. mox citato cap. 2. *quando Dei cultum ſervat in corde.* Serio quidem ſalſam religionem non profitetur, hoc eſt, illam non profitetur in animo & corde, ſed illam profitetur ſerio exterius; proinde etiam negat facto exteriori fidem Chriſti, quem non ſolum interius, ſed exterius profiteri debet, ac tueri; ideoque a vero mendacio excuſari non poteſt: ſubtrahit præterea honorem debitum Deo, & fidem in proximo, quantum in ſe eſt, periclitari facit.

CAPUT III.

De vitiis Fidei oppoſitis.

Vitia fidei oppoſita ſunt, Infidelitas, Hæreſis, Schiſma. De iis fuſe agunt Theologi poſt S. Thomam 2. 2. p. 10. & ſeq. Nos pro temporis, quod ſupereſt, brevitate, præcipuas ſolummodo de ſingulis difficultates attingemus, quarum reſolutio veritatibus quibusdam practicis ſcitu neceſſariis lucem afferre poteſt.

De Infidelitate.

I. INfidelitas univerſim & in genere accepta, eſt defectus, ſeu, ut ajunt, carentia fidei veræ & orthodoxæ: quo ſenſu quisquis ejusmodi fidem non habet, dicitur infidelis; & ita Hæretici, & Judæi cenſentur eſſe infideles. Infidelitas autem in ſpecie & ſenſu magis reſtricto ſumpta, eſt defectus fidei in illis, qui fidem Chriſtianam nunquam ſuſceperunt, qua ratione Gentiles, & Idololatræ dicuntur infideles. Horum infidelitas duplex vulgo diſtinguitur; negativa videlicet, & poſitiva. Infidelitas negativa, eſt defectus fidei in iis, qui de fide nunquam audierunt, quibus nunquam prædicatum eſt Chriſti Evangelium. Poſitiva vero eſt defectus fidei in iis, quibus annuntiatum eſt quidem Evangelium, aut fides ſufficienter propoſita, ſi non ut credant, ſaltem ut teneantur inquirere; & tamen non inquirunt, ſive ex negligentia, ſive ex malitia. De utraque complura in quæſtionem hic veniunt. Et quidem

QUæritur 1mo: An Infidelitas tam negativa, quam poſitiva ſit peccatum?

Reſp. De infidelitate poſitiva certum eſt omnibus Theologis eandem peccatum eſſe. Id namque aperte legitur in Scripturis, Marci 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Joann. 3. *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus eſt.* Rurſus Joan. 15. ubi ipſe Salvator noſter de ſe ita loquitur: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem* (quia veni, & locutus ſum eis, & non crediderunt) *excuſationem non habent de peccato ſuo.* Et ratio eſt, quia infidelitas poſitiva eſt in iis, quibus fides fuit annuntiata, aut ſufficienter propoſita, ut in eam inquirant, id tamen non faciunt ſive ex negligentia, ſive ex malitia: ſed a peccato ejusmodi homi-

Digitized by Google

mines excuſari non poſſunt; peccant enim contra præceptum poſitivum fidei, per totam vitam non profitendo fidem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo: igitur infidelitas poſitiva peccatum eſt.

Infidelitas autem pure negativa, eorum ſcilicet, qui nihil unquam de fide audiverunt, & per quos non ſtetit, quo minus audirent, nullo modo eſt peccatum. Probatur ex mox citatis Chriſti verbis, *ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, &c.* Quo in loco cum Chriſtus (ut exponit S. Auguſtinus Tract. 89. in Joannem, & poſt illum S. Thomas Art. 3.) loquatur de peccato illo, quod Judæi, ejus verbis non credentes commiſerunt, dicatque, quod peccatum illud non commiſiſſent, ſi locutus eis non fuiſſet, ſive per ſe, ſive per Prophetas, & Apoſtolos, ac proinde ſi de illo nihil unquam audiviſſent; conſequens eſt, illos, qui fide carent, eo quod nihil unquam de fide audiverunt, nec audire potuerant, peccato infidelitatis non peccare. Quo etiam pertinent illa Apoſtoli verba ad Rom. cap. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo ergo audient ſine prædicante? . . . ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Fides igitur ſecundum legem ordinariam non alia via ingeneratur, quam per auditum; unde ſequitur, eos fidem habere non poſſe, quibus nunquam annuntiata fuit hæc fides: aliunde vero certum eſt in veris Theologiæ principiis, hominem non peccare in eo, quod cavere non poteſt. Non peccant igitur infideles ſpeciali infidelitatis peccato, quod non credant fidei noſtræ myſteria, de quibus nihil unquam audiverunt. Doctrina hæc rationi maxime conſentanea eſt: quia præceptum credendi non obligat niſi eos, qui poſſunt credere; Deus enim impoſſibilia non jubet. Atqui infideles non poſſunt ſaltem proxime credere fidei noſtræ myſteria, de

qui-

quibus nihil unquam audiverunt : quia hæc myſteria nec per ſe nota ſunt, nec in aliis veritatibus per ſe notis incluſa, ita ut ad eorum notitiam pervenire poſſint infideles quacunque adhibita diligentia : neque enim, ut hic ſupponimus, vel minimam cognitionem habent revelationis divinæ ; quin & nulla ratione induci poſſunt ad inveſtigandum, an ejusmodi veritates fuerint alicubi manifeſtatæ hominibus : igitur infidelitas pure negativa peccatum non eſt.

Obſervat autem S. Thomas citatus Art. 1. quamvis infidelitas illa negativa non habeat rationem peccati, ſed magis pœnæ peccati ; adeoque qui ſic infideles ſunt, non damnentur ob ejusmodi infidelitatem ; eos tamen juſte damnari ob alia peccata, quæ committunt, & quæ ſine fide non remittuntur : quæ tamen ſi non commiſiſſent, ſed potius ſecundum legem naturæ recté vixiſſent, haud dubie Deus illis ſuccurriſſet, & auxilia neceſſaria ad fidem conſequendam tribuiſſet, ſive per ſe immediata aliqua revelatione, ſive per alium hominem, vel Angelum veritates fidei declarando, & gratiam ad aſſenſum illis dandum neceſſariam elargiendo. Conſule inſuper quæ diximus in Tractatu noſtro de Gratia Salvatoris Part. 1. Diſſert. 3. cap. 3.

II. *Objic.* Ex dictis, infideles illi, ſi ſecundum legem naturalem recte viverent, & cum Divinæ gratiæ adjutorio facerent, quod eſt in ſe, eo ipſo impetrarent a DEO prædicationem Evangelii, aliasque gratias ad fidem recipiendam proxime neceſſarias. Ergo ſecundum legem naturalem recte vivendo, & faciendo quod eſt in ſe, poſſunt dictas ſibi gratias impetrare. Igitur, quod eas non impetrent, quodve fide Chriſtiana careant, excuſari in illis a peccato non poteſt.

Reſp. Neg. ultimam conſeq. Quamvis enim inſtrui de Evangelio, & habere auxilia ad fidem Chriſtianam pro-

xime neceſſaria, ſit in infidelium illorum poteſtate, quatenus in eorum poteſtate eſt facere aliquid cum adjutorio gratiæ, per quod infallibiliter impetrarent prædicationem Evangelii, & omnia alia proxime requiſita ad credendum fide Chriſtiana; attamen quod ignorent Evangelium, quodve fide Chriſtiana careant, nullo modo illis voluntarium eſt; quia nec ſciunt, nec ſcire poſſunt, quod in eorum poteſtate ſit, recte utendo ordinariis gratiæ auxiliis, quæ pro tempore & loco accipiunt, inſtrui de Evangelio, & habere fidem Chriſtiam. Unde ignorant illud invincibiliter, & ita ignorantia Evangelii, & infidelitas, quæ illam conſequitur, nullo modo ſunt illis voluntariæ, & ſic peccatum eſſe nequeunt, ſed ſolum ſunt pœna peccati.

Inſt. Infidelitas negativa, cum non ſolum ſit pœna peccati originalis, ſed etiam actualium peccatorum, propter quæ Deus vult infideles illos privari fide neceſſaria ad ſalutem, & itidem gratia, qua poſſent ejusmodi fidem conſequi, non excuſat infideles a peccato, neque eſt ſolum pœna peccati, ſed ipſa etiam eſt peccatum.

Reſp. Pœnam peccati quandoque peccatum eſſe, quandoque vero peccatum non eſſe: videlicet peccatum eſt, quando eſt voluntaria; ut homicidium ab homine ebrio admiſſum aliquomodo voluntarium eſt in ſua cauſa; quia homo prævidere potuit, antequam ebrius eſſet, futurum fortaſſe, ut homicidium committeret, ſi foret ebrius. Sed pœna peccati peccatum non eſt, quando non eſt voluntaria; uti contingit in caſu, de quo eſt quæſtio: infideles enim, apud quos nunquam annuntiatum fuit Chriſti Evangelium, ignorant præceptum credendi ignorantia nequaquam voluntaria, utpote qui nec ſcire, nec divinare quidem poſſunt, ex peccatis, quæ contra legem naturalem committunt, ſequi ignorantiam fidei velut pœnam ſibi pro-

pter

pter ſlla peccata inflictam; quo ſit, ut ejusmodi pœna non ſit illis voluntaria, atque adeo, ut non ſit peccatum.

III. QUær. 2do: Utrum liceat cum Infidelibus communicare?

Reſp. Licet in civilibus, & in iis, quæ ad religionem non pertinent, modo abſit ſcandalum, vel periculum ſubverſionis. *Licet*, inquit Tertullianus lib. de Idololat. c. 14. *convenire cum Ethnicis, commori non licet: convivamus cum omnibus, collætemur ex communione naturæ, non ſuperſtitionis: pares anima ſumus, non diſciplina, compoſſeſſores mundi, non erroris.* Cum Judæis tamen (quod ii præ cæteris infidelibus infeſti ſint Religioni Chriſtianæ, & ſoliti eam blaſphemiis proſcindere) multis legibus, quæ in Jure Canonico habentur, cautum fuit, ne Chriſtiani communicarent, cum eis habitando, comedendo, medicinam ab iis accipiendo, in ipſorum ſervitio commorando &c. Verum leges ejusmodi quoad omnem rigorem non ubique amplius obſervantur, ſed per contrariam conſuetudinem in diverſis locis & temporibus immutatæ ſunt.

In illis vero quæ infidelium religionem & ſuperſtitioſos ipſorum ritus ſpectant, puta ſacrificiis, luſtrationibus, feſtis &c. nefas eſt cum iis communicare: quia illa ſunt per ſe mala, & ab Apoſtolo expreſſe prohibita 2. ad Corinth. 6. *Nolite ducere jugum cum infidelibus - - - - quæ autem conventio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?*

Quodſi res ſint mere indifferentes, id eſt, in bonum æque ac in malum & ſuperſtitioſum uſum converti poſſint, licet quo ad ea cum infidelibus indirecte & remote, ut ajunt, communicare. Sic licet vendere infidelibus e. g. agros, boves, pannos, flores &c. quamvis forſan infidelis emptor iis utetur ad ſacrificia & cultum Idolorum: quia cum abuſus ille

ille ſequatur per accidens & præter vendentis intentionem, non poteſt illi imputari. Ideo dixi, id licitum eſſe indirecte & remote: graviter enim peccaret, qui proxime cooperaretur ſacrilegiis infidelium; e. g. qui infideli venderet lignum, ſciens non emi niſi ad fabricandum Idolum, vel Judæo agnum ad celebrandum Paſcha. Item qui veſtes conficeret in ornatum Idoli, aut Jovis ſtatuam exculperet in Idolum erigendam. Si quidem non licet cooperari ad actionem de ſe malam & illicitam: atqui in iſta hypotheſi Chriſtianus ad ejusmodi actionem cooperaretur: quia etſi res illæ de ſe indifferentes ſint, in iis tamen circumſtantiis ſunt determinatæ tanquam media ad finem de ſe malum.

IV. Q*Uær. 3tio.* Utrum tolerari debeant ritus infidelium a Principibus Chriſtianis, penes quos reſidet ſuprema poteſtas in aliquo Imperio?

Reſp. Tolerandos eſſe in infidelibus, qui Principum Chriſtianorum poteſtati ſubjecti non ſunt. Siquidem nulla eſt ſufficiens ratio, ob quam poteſtas Principibus tribui debeat coercendi hac in parte infideles: ſi qua enim eſſet, ea maxime foret, quod infideles ritus ejusmodi ſuperſtitioſos obſervando, Deo injuriam faciant, & graviſſima peccata committant. Sed in hoc eos reprimere non tenentur, nec poſſunt Principes Chriſtiani; quia ad hoc requiritur jurisdictio, qua carent Principes in non ſubditos. Præterquam quod non magis ſævire poſſint in infideles ſibi non ſubditos, propter peccatum infidelitatis, quam propter alia peccata mortalia, ut adulteria, inceſtus &c. ſed nec tenentur, nec poſſunt Principes Chriſtiani agere contra infideles ſibi non ſubditos propter peccata ejusmodi, quæ in legem naturæ committuntur: inde enim magna ſequerentur incommoda, perpetuæ forent in regnis & in populis diſſenſiones, continua bella &c.

Si

Si vero infideles ſint ſubditi Principi Chriſtiano, poteſt hic merito eorum ritus impedire. Quia Princeps poteſt legitime impedire in ſuo imperio, ne publica fiat perturbatio, teneturque, quantum in ipſo eſt, publicam pacem procurare. Nemo autem neſcit, Reipublicæ pacem turbari, periculumque imminere ſubverſionis fidei in Chriſtianis, ſi licita ſit infidelibus ſuperſtitioſorum rituum obſervatio. Hinc leges tum Conſtantini de claudendis Paganorum templis, & ſacrificiis abolendis; tum aliorum Imperatorum de Hæreticis puniendis.

An vero infideles licite cogi poſſint ad fidem? an ipſis invitis liceat baptizare eorum infantes? an Princeps Chriſtianus terras infidelium invadere poſſit aperto marte, eo præciſe quod infideles ſint? hæ, & aliæ plures ejusmodi quæſtiones, quæ circa infidelitatem moveri ſolent, commodius alibi expenduntur.

De Hæreſi.

IV. Hæreſis, ſi nominis etymologiam ſpectes, electionem ſignificat rei aut doctrinæ cujuscunque. Secundum communem tamen SS. Patrum ac Doctorum uſum ſumitur pro prava & perverſa electione alicujus dogmatis, quod non modo falſum & erroneum ſit, ſed etiam fidei Catholicæ oppoſitum. In materia ſiquidem fidei, ut recte dixit Tertullianus lib. de præſcript. *nobis nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliquis alius de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quidquam, quod ex arbitrio ſuo inducerent, elegerunt, ſed acceptam a Deo diſciplinam fideliter nationibus aſſignaverunt.*

Hæreſis igitur eſt error in fide cum pertinacia propugnatus ab eo, qui fidem ſuſcepit in Baptiſmo.

Digitized by Google

Dicitur *error in fide*, quod hæreſi commune eſt cum aliis ſpeciebus infidelitatis, puta, Paganiſmo, Mahometaniſmo, Judaiſmo.

Dicitur cum *pertinacia propugnatus:* quia ut loquitur S. Auguſtinus epiſt. 262. *Si quis falſam, & perverſam ſententiam ſuam nulla pertinaci animoſitate defendant, & parati ſint corrigi, & tota ſolicitudine quærant veritatem, non ſunt inter hæreticos deputandi:* e contra, ut idem S. Pater effatur lib. 18. de Civit Dei cap. 5. *Illi, qui in Eccleſia pravum aliquid, morbidumque ſentiunt, ſi correpti, ut ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, fiunt hæretici.* Unde & illi, qui ex ignorantia etiam craſſa contrarium aliquid fidei credunt, quamvis ob negligentiam rei ſint & culpandi, proprie tamen loquendo hæretici non ſunt; quia iſtorum error eſt ſine pertinacia, juxta illud ejusdem S. Doctoris, *errare potero, ſed hæreticus non ero.*

Denique dicitur, *ab eo, qui fidem ſuſcepit in Baptiſmo*, quibus verbis hæreſis diſtinguitur a cæteris infidelitatis ſpeciebus: quia ſecundum communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam hæreticus cenſetur, qui fidem in Baptiſmo ſemel ſuſceptam in uno aliquo, vel in pluribus capitibus oppugnat: alias ſi non eſſet baptizatus, tunc non hæreticus, ſed ſimpliciter infidelis diceretur. Porro non modo ille dici debet hæreticus, qui articulum aliquem fidei impugnat, aut errorem illi contrarium pertinaciter tuetur; ſed etiam qui ſcienter ac deliberate aliquam fidei veritatem in dubium revocat; quia, præterquam quod juxta regulam juris, quæ habetur cap. 1. de hæret. *Dubius in fide infidelis eſt;* cenſetur ſupponere, auctoritatem Eccleſiæ talem veritatem profitentis ac docentis, non eſſe certam ac infallibilem, cui ſuppoſitioni pertinaciter adhærere nullus niſi hæreticus poteſt.

Quæ-

V. Quæres, quanam ratione dignoſci poſſit, an aliqua doctrina ſeu propoſitio, ſit fidei contraria, vel hæretica ?

Reſp. Id non aliunde melius certiusque dignoſci, quam ex judicio Eccleſiæ, doctrinam vel propoſitionem aliquam cenſura notantis. Obſervandum tamen eſt diſcrimen, quod reperitur inter varias propoſitiones, quibus Eccleſiæ cenſura inuri ſolet. Siquidem ex plurimis ipſius Eccleſiæ decretis, ac Pontificum diplomatibus conſtat, alias propoſitiones damnari abſolute ut hæreticas, alias vero ut erroneas; alias item ut ſuſpectas, ſapientes hæreſim, hæreſi proximas; alias ut ſcandaloſas, temerarias, piarum aurium offenſivas; aut denique ut ſeditioſas, ſchiſmaticas, contumelioſas.

Propoſitio hæretica, ut ex ante dictis patet, ea cenſetur, quæ expreſſo Dei verbo, aut expreſſæ definitioni Eccleſiæ adverſatur. Tales ſunt non ſolum omnes illæ propoſitiones, quæ contradictorie opponuntur propoſitionibus explicite revelatis, verum etiam illæ, quæ ita opponuntur propoſitionibus revelatis implicite, poſt ſolemne judicium Eccleſiæ declarantis, propoſitionem ejusmodi in explicite revelata contineri.

Propoſitio erronea ea dicitur, quæ adverſatur communi Theologorum doctrinæ, quæ licet definita non fuerit ab Eccleſia tanquam de fide, per evidentem tamen conſecutionem ex ipſius fidei principiis deducitur, unde & ad fidem proxime accedit. Ac proinde propoſitio ſeu doctrina illi contraria, quæ dicitur erronea, ad hæreſim proxime accedere cenſetur.

Propoſitio ſuſpecta ea eſt, quæ ab hæreticis ad occultandam hæreſim uſurpatur, aut uſurpari poteſt; vel quæ ex circumſtantiis perſonæ ſcribentis ſeu loquentis, aut tempo-

ris vel loci, cenſetur hæreſim ſapere, ſeu adjunctam habere alicujus hæreſis ſuſpicionem.

Scandaloſa, quæ inducit occaſionem ſcandali ac ruinæ, hominesque vel a recto fidei tramite, vel a debitis Chriſtianarum virtutum officiis avocare poteſt.

Temeraria, quæ in materia fidei aut morum ſine ullo fundamento aſſeritur, eo quod nullo auctore fide digno, nulla ratione ſat probabili innixa, extra communem Theologorum ſenſum vagetur.

Piarum aurium offenſiva, quæ licet a doctis in aliquo ſenſu vero & recto intelligi poſſit, illos tamen, qui timoratam habent conſcientiam, offendit in eo ſenſu, quem præſeferre videtur.

Cæteræ cenſurarum notæ propoſitionibus quibusdam pravis inuri ſolitæ, ut quod ſint blaſphemæ, impiæ, ſeditioſæ, contumelioſæ, & aliæ ſimiles, ſatis ex ipſis terminis intelligi poſſunt.

Quamvis autem hæ omnes & quæcunque propoſitiones, quæ ab Eccleſia quovis modo ut pravæ & nocivæ damnantur, ab omnibus fidelibus & obedientibus Eccleſiæ filiis abjici & repudiari debeant; quia tamen de propoſitionibus ejusmodi dubitari nonnunquam poſſe videtur, an non earum aliquæ ad merum factum pertineant, hinc ulterius hic

VI. Q*uæritur:* an Eccleſia errare poſſit in definiendis factis, ut vocant doctrinalibus & dogmaticis; id eſt, in ſenſu librorum & propoſitionum notando, ita ut propoſitionem aliquam tanquam Catholicam proponat, quæ tamen errorem contineat; aut viceverſa propoſitionem tanquam erroneam vel hæreticam damnet, quæ tamen Catholica ſit?

An-

Digitized by Google

Ante quæſtionis hujus, quæ ſane gravis eſt, reſolutionem adverte, facta multiplicis eſſe generis. Alia enim ſunt immediate a Deo revelata, qualia ſunt omnia fidei noſtræ myſteria, quæ proprie ad jus ſeu dogma pertinent. Alia, quæ ex ordinatione divina media ſunt neceſſaria ad cognitionem & conſervationem doctrinæ Catholicæ: talis eſt e. g. Traditio, ſcriptis SS. Patrum conſignata. De utrisque certum omnino eſſe ac infallibile judicium Eccleſiæ, conſentiunt omnes Theologi. Alia ſunt mere hiſtorica & perſonalia, quæ nempe rei geſtæ veritatem, aut perſonæ alicujus ſtatum, conditionem, internum animi ſenſum, crimen vel innocentiam ſpectant, quorum cognitio ex hominum teſtimonio pendet: e. g. an Neſtorius damnatus ab Eccleſia fuerit tanquam hæreticus? an his vel illis verbis uſus fuerit ad mentem ſuam declarandam? utrum Honorius ſummus Pontifex in mente præconceptum habuerit erroneum ſenſumMonothelitarum, cum ſuas ad Sergium ſcripſit epiſtolas? Totidem hæc facta ſunt, aut hiſtorica, aut mere perſonalia. Alia vero ſunt facta doctrinalia ſeu dogmatica, quæ nempe includunt aliquod fidei dogma & illius attributionem alicui libro, vel perſonæ, e. g. cum dicitur, hæreticam eſſe Janſenii doctrinam quinque famoſis propoſitionibus expreſſam: in his enim factum juri ſeu dogmati permiſcetur, a quo poſt definitionem Eccleſiæ ſejungi & ſeparari non poteſt.

Cum igitur quæritur, an Eccleſia infalibilis ſit in ſenſu librorum & propoſitionum notando; quæſtio non eſt, an certo & infallibiliter definiat, hunc vel illum librum hujus eſſe vel illius auctoris: hoc quippe facti genus mere hiſtoricum eſt & perſonale, fundatum in ſenſibus aut teſtimoniis hominum incertis & fallacibus, circa quod proinde nihil definit Eccleſia; ſed de libris judicat, prout ſub nomine hujus vel illius auctoris circumferuntur. Quæſtio pariter non eſt, an

Digitized by Google

auctor, cujus doctrina proſcribitur, eum revera in mente ſenſum habuerit, quem verba, quibus utitur, præſeferunt. Licet enim id præſumi merito poſſit, certo tamen non definitur ab Eccleſia, quæ de intentione occulta & latente auctoris non judicat, ſed de ea, quæ verbis exprimitur.

Quæſtio igitur movetur de facto doctrinali ſeu dogmatico, hoc eſt, de ſenſu propoſitionum vel libri; an ſcilicet Eccleſia certo & infallibiliter definire poſſit, quis & qualis ex tota libri & propoſitionum ſerie elici poſſit ſenſus, quæ & qualis doctrina? an falſam pro vera probare, aut veram pro falſa damnare poſſit? Hunc quæſtionis ſtatum involvere & implicare ſolent Hæretici, atque cumprimis Janſenii Diſcipuli, facta perſonalia cum doctrinalibus inſidioſe confundentes. Hinc exploſa penitus Eccleſiæ in factis quibuscunque infallibilitate, jus ſeu dogma a facto diſtinguunt, ſeu ab attributione talis dogmatis huic libro, vel perſonæ. Dogmati quidem ab Eccleſia definito fidem mentisque aſſenſum deberi; facto vero reverentiam in uno ſilentio religioſo poſitam ſufficere contendunt. Cumque perſuaſum habeant ſubſcriptionem externam ſignum eſſe interioris aſſenſus, negant eam ſimpliciter & abſolute ab Eccleſia imperari poſſe. Conſequenter ſubſcribere recuſant ſine exceptione ac limitatione formulæ ab Alexandro VII. in facto Janſenii ſancitæ, quod nempe exiſtiment, ſummum Pontificem, imo Eccleſiam univerſam non ſatis aſſecutam eſſe ſenſum libri Janſenii, & errore facti in eo aſſignando laboraſſe. His præmiſſis.

VII. *Reſp.* ad quæſtionem, & dico, Eccleſiam in factis doctrinalibus definiendis, ſeu in notando librorum & propoſitionum ſenſu errare omnino non poſſe: ejus proinde judicio acquieſcere tenentur fideles, non ſilentio tantum ut vocant religioſo, ſed ex animi ſententia, interno mentis conſenſu & approbatione.

Ra-

Digitized by Google

Ratio eſt *1mo.* quia Eccleſia ex omnium Catholicorum ſententia judex eſt infallibilis doctrinæ: hæc porro doctrina in libris & propoſitionibus continetur, neque enim eſt a verbis avulſa & abſtracta: Eccleſia igitur certo & infallibili judicio pronuntiat de doctrina, prout ea in libris & propoſitionibus continetur; alias approbando libri alicujus doctrinam falſam pro vera, vel damnando veram pro falſa, circa doctrinam ipſam, atque adeo circa jus ſeu dogma aberraret.

2do. Eccleſia certo & infallibiliter judicat de ſenſu & doctrina propoſitionis alicujus in ſe ſpectatæ, ut vel ipſi fatentur, quos hic impugnamus, Adverſarii: ergo etiam de libri alicujus ſenſu & doctrina æque certo & infallibiliter judicat. Nullum enim videtur eſſe diſcrimen inter propoſitionem prout in libro continetur, & eandem prout avulſa ex libro ſeparatim proponitur: quid enim aliud eſt liber, quam multarum propoſitionum collecta ſeries? Et vero totidem fieri poſſunt quæſtiones, eædem moveri difficultates circa ſenſum propoſitionis, ſive a libro avulſæ, ſive in libro contentæ. Quodſi igitur fatentur Adverſarii, Eccleſiam errare non poſſe circa ſenſum propoſitionis avulſæ, etiam circa ſenſum ejusdem ut libro contentæ errare non poſſe fateantur eſt neceſſe.

Sed, inquiunt, propoſitio ex libro avulſa, & in ſe ipſa conſiderata, merum jus ſeu dogma continet, circa quod infallibile eſt Eccleſiæ judicium: e contra propoſitio in ſerie multarum aliarum in libro contenta, jus & factum ſimul complectitur: nempe an talis doctrina vera ſit aut falſa, quod juris eſt; & an talis doctrina ex tota libri hujus ſerie colligi poſſit, quod facti eſt, de quo certo & infallibiliter non pronuntiat Eccleſia.

Con-

Digitized by Google

Contra eſt, quod potius videatur multo certius eſſe debere judicium Eccleſiæ de ſenſu propoſitionis in libro contentæ, quam ſeparatæ: quia auctoris mens & doctrina longe melius dignoſci poteſt ex toto operis contextu, quam ex propoſitionibus quibusdam ſeparatis & truncatis, quæ multis obnoxiæ ſunt æquivocationibus, cum a contextu ſeparantur, imo ita disjunctæ falſum nonnunquam ſenſum præſeferunt, dum conjunctæ cum aliis in libro verum habent & Catholicum.

3tio. Eccleſia certo & infallibiliter judicat de vera libri alicujus vel auctoris doctrina. Ergo etiam infallibiliter judicat de doctrina falſa & erronea. Primum admittunt Adverſarii, adeo ut piaculi cujusdam loco habeant, recedere a doctrina S. Auguſtini circa gratiam per ſe efficacem & gratuitam prædeſtinationem; quia nempe juxta illos Eccleſia ſolemniter declaravit, hanc eſſe S. Doctoris ſententiam. Ergo pariter, ſi conſtare ſibi velint, neceſſe eſt agnoſcant, eadem prorſus certa & infallibili ſententia Eccleſiam pronuntiaſſe, falſam & erroneam eſſe de gratia doctrinam in libro Janſenii contentam. Par certe ex utraque parte videtur eſſe ratio: utrinque occurrit factum juri ſeu dogmati permixtum; nempe an S. Auguſtini verba Eccleſiæ doctrinæ conformia, Janſenii vero difformia ſint. Aliunde vero ad eandem Eccleſiæ authoritatem pertinet, de vera & falſa librorum doctrina ferre judicium. Ergo ſi falli non poteſt, cum approbat tanquam veram Doctoris alicujus orthodoxi ſententiam; pari ratione falli non poterit, cum doctrinam aliquam damnat, ac perverſam eſſe declarat.

4to. Niſi Eccleſia abſque ullo erroris periculo de genuino librorum ſenſu judicium ferre valeat, ne quidem de ſenſu Patrum, adeoque nec de Traditione ipſa certi quidquam ſtatuere poterit. Quanquam enim pro revelato haberi poſſit,

Digitized by Google

ſit, eam doctrinam eſſe Catholicam, in qua omnes omnino SS. Patres conſpirant; non tamen revelatum eſt, doctrinam hanc Catholicam in Operibus e.g. S. Hieronymi vel S. Auguſtini contineri. Atqui Traditionis continua ſeries haberi nequit, niſi ex conſpirantibus Doctorum Eccleſiæ ſententiis; atque adeo niſi ſingulorum doctrinæ ſenſus exploratus ac perſpectus fuerit. Quod ſi ergo in ſingulorum ſenſu dignoſcendo falli poteſt Eccleſia, quomodo conſtantem Traditionem ex omnibus elicere poterit? Judicium quippe, quo Eccleſia pronuntiat, doctrinam e.g. de baptizandis infantibus, aut de non baptizandis qui ab hæreticis baptizati fuerint, ipſam eſſe doctrinam Traditionis totius Eccleſiæ, pendet ex particularibus judiciis, quibus poſt diſcuſſa ſingula SS. Patrum Opera, judicat talem doctrinam in iis contineri. Quod ſi dicamus, Eccleſiam in hiſce particularibus judiciis falli poſſe; eo ipſo Eccleſiæ viam omnem præcludimus dignoſcendæ univerſalis Traditionis; & ſimul viam, ut ajunt, diſcuſſionis & examinis, qua fidei doctrina ex Patrum Scriptis elicitur & probatur, inutilem omnino reddimus adverſus Novatores noſtros.

Reſpondent, falli quidem non poſſe Eccleſiam in dignoſcenda generali Traditione, ſeu omnium ſimul ac collective SS. Patrum doctrina; ſed falli poſſe in ſenſu ſingulorum diſtributive: quemadmodum omnes quidem Epiſcopi in Concilio univerſali legitime congregati falli non poſſunt, licet quilibet ſit errori obnoxius. Contra eſt, quod judicium de omnibus neceſſario ſupponat judicium de ſingulis, aut ſaltem de majori parte; eademque authoritate de ſingulis, ac de omnibus pronuntietur. Quod ſi igitur falli poteſt Eccleſia, cum de ſenſu ſingulorum Patrum judicat, quomodo certum ac firmum erit illius de omnibus judicium? Ad adductam comparationem manifeſta eſt diſpari-

paritas: quia ſingulis Epiſcopis promiſſum non eſt infallibilitatis privilegium, ſed omnibus ſimul legitime collectis. Privilegium quippe iſtud toti Eccleſiæ conceſſum eſt, totam vero Eccleſiam docentem ſeu judicantem ſinguli Epiſcopi non efficiunt nec repræſentant. At eadem ſemper eſt Eccleſia pari authoritate inſtructa, ſive judicet in Conciliis, ſive extra Concilia; ſive de omnibus ſimul, ſive de ſingulis Sanctorum Patrum ſcriptis dogmaticis.

5*to* denique, Eccleſia uſu conſtanti ac perpetuo pronuntiavit circa ſenſum librorum ac propoſitionum, & ipſius judicio ſubſcribere renuentes velut hæreticos aut hæreticorum fautores damnavit. Plurimis id conſtat Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exemplis, Arii, Neſtorii, Pelagii, Eutychetis, trium Capitulorum &c. Neque ullum proferri poteſt ex tota antiquitate exemplum libri ſolenni totius Eccleſiæ judicio damnati, qui poſteriore aliquo ejusdem Eccleſiæ judicio abſolutus ſit, & ab errore immunis declaratus. Ex hoc autem quod re ipſa nunquam erraverit, maximum merito habetur præjudicium & fundamentum dicendi, eam in ſuo de libris judicio errare non poſſe.

VIII. *Opponunt* Adverſarii: Noſſe, quis ſit libri ſenſus ab authore intentus, eſt quæſtio facti perſonalis. Sed in quæſtionibus facti perſonalis Eccleſia falli poteſt, ut omnes conſentiunt; ergo cum Eccleſia per ſummum Pontificem Alexandrum VII. damnavit quinque propoſitiones in ſenſu a Janſenio intento, potuit in eo ſingulari & perſonali facto errare.

Reſp. Diſt. Maj. noſſe quis ſit libri ſenſus in mente authoris revera deliteſcens, eſt quæſtio facti perſonalis, *Conc.* quis ſit libri ſenſus verbis ipſis in libro expreſſus, *Neg.* Eſt enim hæc quæſtio facti doctrinalis, in qua dijudicanda non con-

conjecturis, non incertis hominum teſtimoniis ducitur Eccleſia, ſed diligenti ipſius libri examine, facta doctrinæ in eo contentæ comparatione cum fidei noſtræ regula, Scriptura ſcilicet & Traditione, idque non ſine cœleſti lumine & aſſiſtentia. De priore itaque ſenſu certo & infallibiliter non pronuntiat Eccleſia; ſed de altero ſenſu, qui verbis exprimitur & vulgo præſumitur eſſe ab auctore intentus (niſi velis auctorem aut ignarum, aut malignum eſſe, qui receptam verborum ſignificationem vel ignorat, vel alio inflectit) de altero inquam illo ſenſu judicat Eccleſia firmo & inconcuſſo judicio. Neque alium ſenſum in famoſis Janſenii propoſitionibus damnavit Alexander VII. cum dixit, *damnatas in ſenſu a Janſenio intento*; id eſt, ut exponitur in Brevi Innocentii XII. ad Epiſcopos Belgii dato die 6. Februarii, anno 1694. *In ſenſu obvio, quem ipſamet verba Propoſitionum præſeferunt*; ſenſus quippe obvius præſumitur eſſe ab auctore intentus.

Inſtant. Ex ſententia, quam propugnamus, ſequitur, Eccleſiæ definitiones de factis ejusmodi doctrinalibus ad fidem pertinere; adeoque fide divina credi debere, Janſenium e. g. erroneam in ſuo libro tradidiſſe doctrinam. Atqui iſtud nulla ratione admitti poteſt: illud namque ſolummodo ad fidem pertinet, quod eſt revelatum; nihilque eſt revelatum, niſi quod verbo Dei ſcripto vel tradito continetur. At facta ejusmodi revelata non ſunt nec in Scriptura, nec in Traditione, ut per ſe eſt manifeſtum.

Reſp. Definitiones Eccleſiæ circa librorum ſenſum, ſeu facta doctrinalia mediate ſaltem & indirecte ad fidem pertinere, ac conſequenter indirecte & implicite facta ejusmodi revelata eſſe; quatenus videlicet continentur in ea generali & explicita revelatione, qua conſtat Chriſtum Eccleſiæ ſuæ in neceſſariis nunquam defuturum: quomodo implicite reve-

latum eſt, Concilium e. g. Tridentinum legitimum & œcumenicum fuiſſe, nec in decretis fidei errare potuiſſe: aut Benedictum XIV. qui hodie Eccleſiæ clavum feliciter tenet, verum eſſe Chriſti Vicarium & D. Petri Succeſſorem. Itaque indirecte ſaltem & implicite revelatum eſt, doctrinam Janſenii in ejus opere expreſſam, erroneam eſſe; quæ implicita revelatio in iſta generali & explicita continetur, *Eccleſiam eſſe columnam ac firmamentum veritatis, adverſus quam portæ inferi non prævalebunt:* quæ proinde in dignoſcenda ac judicanda librorum doctrina aberrare nunquam poteſt. Hæc eſt ipſius S. Thomæ reſponſio 2. 2. Q. 11. Art. 2. ubi quærit, *utrum hæreſis ſit proprie circa ea, quæ ſunt fidei;* duplicemque modum diſtinguit, quo res aliqua pertinere ad fidem poteſt; directe ſcilicet ac principaliter, & indirecte ac ſecundario. *Ad fidem*, inquit, *aliquid pertinet dupliciter: uno modo directe & principaliter, ſicut articuli fidei; alio modo indirecte & ſecundario, ſicut ea, ex quibus negatis ſequitur corruptio alicujus articuli. Et circa utraque poteſt eſſe hæreſis, eo modo quo & fides.* Ex negata autem Eccleſiæ in factis doctrinalibus, ſeu in judicio circa ſenſum librorum, infallibilitate, ſequitur *corruptio alicujus articuli*, nempe Eccleſiam in dignoſcenda vera aut falſa doctrina falli poſſe, ac Chriſtum in his, quæ ad conſervationem depoſiti & publicam fidelium ſalutem ſunt neceſſaria, Eccleſiæ ſuæ non ſemper adeſſe, nec ſufficienter ipſi providiſſe.

Quod ſi vero etiam in his adeſt Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, eique infallibilem tribuit authoritatem judicandi de ſenſu ſeu doctrina propoſitionum, librorum, Auctorum; ad hanc utique auctoritatem pertinet, adigere fideles ad ſubſcriptionem ſententiæ in libros eorumque auctores pronuntiatæ, tum ut eos præmuniat adverſus hæreticorum fraudes; tum ut habeat, unde nota ſibi ſit & perſpecta illorum fides & obedientia; tum de-

denique ut rebelles & contumaces pœnis Canonicis coercere poſſit: niſi enim hæc omnia Eccleſiæ concedantur, fruſtranea ipſi erit, quam a Chriſto accepit, auctoritas, nec finem aſſequetur, ad quem fundata eſt, nempe ad fidem in fidelibus conſervandam falſæ doctrinæ reprobatione; ad optimum Reipublicæ Chriſtianæ regimen; ad pacem & tranquillitatem, impoſito fine litibus & controverſiis, quæ de ſenſu librorum excitari poſſúnt.

IX. Hinc vero neceſſario ſequitur, teneri fideles omnes judicio Eccleſiæ de ſenſu propoſitionum, librorum, vel auctorum, acquieſcere interna mentis & judicii adhæſione, non ſolo externo religioſo ſilentio, quod in eo reponunt Janſenii ſequaces, ne quid dicatur, ſcribatur, aut doceatur contrarium definitioni Eccleſiæ. Quia exterior profeſſio aut ſubſcriptio deſtituta interiore mentis adhæſione & conſenſu, verum eſt mendacium, ac perjurium, ſi cum juramento juncta fuerit. Enimvero qui exterius in tabulis publicis ſubſcribit cum juramento e. g. formulæ Alexandri VII. & ait: *Ego N. quinque Propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro &c.* ſi revera intus animo diſſentiat, nec Propoſitiones illas credat aut Janſenii eſſe, aut in ejus ſenſu, quem putat orthodoxum, damnatas (in quo tota verſatur quæſtio facti) an non reus eſt mendacii & perjurii? Nonne ſinceritatis leges, receptamque verborum ſignificationem invertit, qui cum ore pronuntiat, *damno ſincero animo*, intus tamen non damnat, ſed abſolvit? *Ille* utique *mentitur*, ait S. Auguſtinus Lib. de mendacio cap. 3. *qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat.* Epiſtola vero 125. *Perjuri ſunt*, inquit, *qui ſervatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum eſt*,

Digitized by Google

eſt, *deceperunt*. Quænam autem, quæſo, eſt expectatio Eccleſiæ, dum juramentum a ſuis exigit, niſi ut ejus religione certior fiat de interna jurantis ſententia, eumque hac ratione cogat ad debitum ſibi obſequium & reverentiam. Fallit ergo hanc Matris ſuæ Eccleſiæ expectationem, quisquis ficto aut doloſo animo jurat, ac perjurii vere reus eſt. Et ſane non aliam ob cauſam formulam illam definitionis ab omnibus ſub juramento ſubſcribendam Alexander VII. ad Epiſcopos Galliæ direxit, quam ut omnem fraudibus & cavillationibus viam præcluderet, funditusque convelleret ſilentium illud religioſum: quomodo enim ſilere ille dici poteſt, qui tabulis publicis ſubſcribit? Quomodo ſubſcribendo mentis obſequium denegare, qui profitetur ſe ſincero animo damnare & rejicere quinque Janſenii Propoſitiones? Qui ergo huic formulæ non ſubſcripſere, tanquam Eccleſiæ rebelles ac in errore ſuo contumaces habiti ſunt; qui vero ſubſcripſere quidem prætextu pacis, aut commodioris vitæ ſtudio, ſed animo ficto & doloſo intus diſſentientes, mendacii & perjurii rei convincuntur.

Sed dicent fortaſſe, in ea formula exigi obſequium mentis quoad jus tantum & dogma fidei; eosque ſolummodo damnari, qui in cauſa Janſenii circa dogma fidei definitum, exterius quidem præ reverentia ſilent, ſed intus & animo diſſentiunt. Verum effugium iſtud facile præcluditur, diſtinguendo erroneum quinque Propoſitionum ſenſum, vel in ſe, ſeu abſolute conſideratum, vel reſpective ad Janſenium. Priori modo, ſimplex eſt juris ſeu dogmatis quæſtio; poſteriori vero, juris ſimul & facti; quatenus ſcilicet includit attributionem ſenſus erronei quinque Janſenii propoſitionibus. In formula autem Alexandri requiritur ſubjectio & ſinceræ mentis obſequium quoad damnationem Propoſitionum Janſenii in ſenſu ab eodem auctore intento. Neque ibi ſermo eſt de do-

dogmate in ſe & abſolute conſiderato, quia nulla de illo unquam quæſtio fuit cum Janſenianis, qui centies conteſtati ſunt, ſe ſincere ac ex animo damnare quinque Propoſitiones in ſe & abſolute ſpectatas; atque dogmati obedientiam & interius mentis obſequium, facto autem reverentiam ſilentii debitam eſſe, palam ac publice ſæpius declararunt. Subjectio ergo, quam ſummus Pontifex exigit, ſpectat dogma quinque propoſitionum reſpective ad ſenſum Janſenii; hoc eſt, attributionem ſenſus erronei quinque Janſenii Propoſitionibus. Manet ergo adhuc, eos, qui formulæ Alexandri VII. ſubſcribunt quidem, ſed tamen intus & animo erroneum non putant eſſe Janſenii ſenſum, mendacii & perjurii reos convinci.

De Schiſmate.

X. SChiſma, ut notat Iſidorus 8. Etymol. cap. 3. diviſionem ſignificat, a Græco verbo σχίζω ortum habens. Unde nomen hoc generale eſt, poteſtque in bonam, vel malam partem ſumi: ſic Joan. 9. dicitur, *ſchiſma factum eſt inter eos*. In communi tamen uſu reſtringitur hoc vocabulum ad ſignificandum peccatum illorum, qui Eccleſiam, quæ una eſſe debet, ſcindere conantur, ab ea ſe ſeparando. Et in hoc ſenſu Paulus hortatur Corinthios epiſt. 1. cap. 1. v. 10. *Obſecro vos fratres, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Dividebant enim unitatem dicentes: *Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Chriſti. Diviſus eſt Chriſtus?* Et ideo D. Thomas 2. 2. Q. 39. A. 1. *Nomen ſchiſmatis*, inquit, *a ſciſſura animorum vocatum eſt; ſciſſio autem unitati opponitur: unde peccatum ſchiſmatis dicitur, quod directe & per ſe unitati opponitur.*

Cum enim Eccleſiam unam & viſibilem eſſe oporteat, atque adeo ad ipſius perfectionem requiratur non interior

tan-

Digitized by Google

tantum, ſed exterior etiam conjunctio membrorum inter ſe, & eum ſuo capite viſibili, Chriſti in terris Vicario; quæ conjunctio exterior habetur per obedientiam membrorum capiti debitam, & per mutuam in rebus fidei & religionis communionem: quamvis ipſa Eccleſia admittere diviſionem non poſſit, Eccleſiæ tamen membra poſſunt ſe ab illa dividere; quod eſt facere ſchiſma.

Accidere vero poteſt ſchiſma etiam ſine hæreſi; ut cum aliquis fidem Catholicam retinendo, non vult in ſuis actionibus & modo religionis unitatem Eccleſiæ tenere. Et hoc duplici modo: primo, ſeparando ſe a Capite Eccleſiæ, ut dicitur in cap. *Non vos* 23. quæſt. 5. ubi Gloſſa ait, ſchiſma eſſe, non habere Caput Romanum Pontificem, non quidem negando eum eſſe Caput Eccleſiæ; nam hoc jam eſſet ſchiſma conjunctum cum hæreſi; ſed vel temere negando hunc in particulari, vel ita ſe gerendo cum illo; ac ſi Caput non eſſet. Alter modus eſt, cum ita ſe quis ſeparat a reliquo corpore Eccleſiæ, ut nolit cum illo communicare in Sacramentorum participatione, cæteriſque rebus ad religionem & diſciplinam pertinentibus. Cujus rei exemplum habemus ex Epiphanio in ſecta Meletii. Ille enim diſſentiens a Petro Alexandrino ſuo Patriarcha, ſe ab illo in omnibus ſacrificiis ſeparavit, & de ſchiſmate notatus eſt; cum tamen inter eos nulla diſſenſio in fidei doctrina intercederet, ut Epiphanius teſtatur. Et hoc ſecundo modo poſſet etiam Papa eſſe ſchiſmaticus, ſi videlicet nollet cum toto Eccleſiæ corpore unionem ſervare & conjunctionem, quam debet; ut ſi attentaret totam Eccleſiam excommunicare, aut ſi vellet omnes Eccleſiaſticos ritus Apoſtolica traditione firmatos evertere; ut notavit Cajetanus 2. 2. Q. 39. Et Turrecremata fuſius Lib. 4. cap. 11.

Hinc

Hinc vero facile colligitur diſcrimen, quod inter ſchiſma & hæreſim intercedit. Ut enim docet S. Thomas hic artic. 1. ad 3. *Hæreſis per ſe opponitur fidei; ſchiſma autem per ſe opponitur unitati Eccleſiaſticæ charitatis - - - & hoc eſt, quod Hieronymus dicit ſuper illud Apoſtoli ad Titum cap.* 3. hæreticum hominem devita &c. *Inter ſchiſma & hæreſim hoc intereſſe arbitror, quod hæreſis perverſum dogma habet, ſchiſma ab Eccleſia ſeparat*, etiam ſine perverſo dogmate. Unde ſi adſit error in intellectu, quo non credatur Eccleſiam e. g. eſſe unam, aut ejus Caput viſibile eſſe ſummum Pontificem, hæreſis eſt. Si vero quis credat, Eccleſiam eſſe unam, ejusque viſibile Caput eſſe ſummum Pontificem; illius tamen unitatem velit deſtruere & a Capite ſe ſeparare, ſchiſma eſt. Quare, etſi omnis hæreticus ſit ſchiſmaticus eo ipſo, quod ſe ſeparet ab unitate & communione veræ fidei; non tamen omnis ſchiſmaticus eſt eo ipſo hæreticus: ſi videlicet credens omnia, ſeparet ſe a communione cum cæteris membris, & cum Capite, nolens cum eis in ſanctis & piis actionibus communicare. Quamvis enim ſchiſma non ſit ſine ſententiarum diverſitate, poteſt tamen ea diverſitas eſſe, ut diximus, extra fidei materiam. Ejusmodi fuit in ſuo ortu ſchiſma Donatiſtarum, qui primo ſe a communione Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi ſeparaverant; deinde ab omnibus, qui illi communicabant, & ita ab univerſali Eccleſia. Cito tamen ſchiſmati hæreſim adjunxerunt dicentes, veram Eccleſiam ubique terrarum defeciſſe, & ad ipſos ſolos in Africa redactam eſſe: bonos duntaxat eſſe membra Eccleſiæ, baptiſmum extra ipſorum Eccleſiam collatum non valere &c.

Ex quo fit, ut teſte Doctore Angelico loco cit. *Sicut amiſſio charitatis eſt via ad amittendam fidem, ita etiam ſchiſma ſit via ad hæreſim.* Unde Hieronymus in epiſt. Pauli ad Titum cap. 3. *Schiſma*, inquit, *aliqua in parte poteſt intelligi diver-*

ſum ab hæreſi: quamquam nullum ſchiſma eſt, quod non ſibi aliquam hæreſim confingat, ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur. Sic nempe Græci ab initio tantum ſchiſmatici, ut recte ſe ab Eccleſia Latina receſſiſſe viderentur, dicere cœperunt inter alia, Romanum Pontificem non eſſe totius Eccleſiæ Catholicæ Caput; quo hæreſim cum ſchiſma e conjunxerunt. Quare cum ex veteribus aliqui dixiſſe reperiuntur, ſchiſma eſſe ſemper conjunctum cum hæreſi; ad ejus progreſſum & conſummationem reſpexiſſe intelligendi ſunt, juxta illud Auguſtini Lib. 2. contra Creſconium cap. 7. *Hæreſis autem ſchiſma inveteratum.* Cum autem alii dicunt, ſchiſma ſine hæreſi conſiſtere; partim ad propriam utriusque rationem, quæ etiam dum ſimul conjunguntur, manet diverſa, partim ad initium & ortum ſchiſmatis attenderunt. Unde & Auguſtinus Lib. de Fide & Symbolo cap. 10. probat datam hæreſis & ſchiſmatis diſtinctionem, cum ait: *Hæretici de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant: ſchiſmatici autem diſciſſionibus iniquis a fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus.*

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA
DE
SPE ET CHARITATE.

UT Fidei tractationem hucusque produceremus, rerum fecit tractandarum dignitas & amplitudo: Adverſariorum inſuper, quibuscum agendum erat, pervicacia ad illa, quæ in controverſiam adducuntur, diligentius inquirenda ſtimulos admovit. De Spe, & Charitate non adeo multa ſunt, quæ in quæſtionem hic veniant; quare minus a nobis exigit curæ & laboris poſterior hæc Tractatus Pars: operam tamen dabimus, ut nihil eorum, quæ Theologiæ Candidatum noſſe oportet, prætermittamus.

DISSERTATIO PRIOR.
De Spe Theologica.

EX *Fide*, ait S. Auguſtinus cap. 45. Ench. num. 30. *naſcitur Spes bona fidelium:* cum etenim fides æternorum bonorum, quæ a DEO credentibus promiſſa ſunt, præſtantiam ſtatuat ob oculos, illorum quoque gignit deſiderium & expectationem, ſine qua humana ſtudia, laboresque flacceſcerent. Quemadmodum enim temporalium bonorum fiducia ad ardua quæque agenda ac perferenda mundi hujus amatores impellit, ita fideles bonis operibus vehementius inſudant, dum *fiduciam, & gloriam ſpei*, juxta monitum Apoſtoli ad Hebr. 3. 6. *firmam* retinent.

Porro vocis hujus *ſpes* non ſemper eſt eadem ſignificatio. Interdum in Scripturis tribuitur rebus ſperatis, ut ad Titum 2. cap. *expectantes beatam ſpem:* nonnunquam dicitur de illo, a quo ſperatur, *Dominus ſpes ejus eſt*, Pſal. 13. *Factus eſt ſpes mea*, Pſal. 60. vel etiam de illo, cujus interceſſione aliquid expectatur, ut dum quotidie ſalutamus Deiparam verbis illis, *Spes noſtra ſalve.* Sed proprie ſumitur a Theologis pro una ex Virtutibus Theologicis, quæ inſigni illo Apoſtoli loco commemorantur 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, charitas.* De ſpe hoc modo ſumpta diſputabimus in præſenti, & in ejus naturam, proprietates, neceſſitatem, effectus, ac demum vitia ipſi oppoſita inquiremus.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit ſpes?

I. Spes definiri ſolet a Theologis, quod ſit *virtus divinitus infuſa & Theologica, qua certa cum fiducia æternam beatitudinem Dei auxilio comparandam expectamus.* Virtutem eſſe divinitus infuſam, fidei dogma eſt, ſancitum in Tridentino, Seſſ. 6. cap. 7. *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JESUM Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.* Quod vero virtus ſit Theologica, oſtendit S. Thomas q. 17. art. 5. & in 3. diſt. 26. q. 2. art. 2. Quia virtus, quæ immediate Deum attingit, eſt virtus Theologica. Sed hujusmodi eſt ſpes: Deus enim non ſolum eſt id, a quo, vel in quo ſperamus, ſed eſt etiam id, quod principaliter immediate ſpearmus; quod notari hic debet. Nam Religio quoque Deum reſpicit, dum ei debitum cultum exhibet: & tamen non eſt virtus Theologica: quia non Deum, ſed cultum Dei habet pro imme-

mediato objecto. *Religio habet Deum pro fine*, inquit Doctor Angelicus Qu. unic. de Spirit. creat. art. 12. ad 11. *non autem pro objecto, ſed ea quæ offert colendo ipſum: & ideo non eſt virtus Theologica.*

Propterea additum eſt, *qua certa cum fiducia æternam beatitudinem expectamus.* Quibus verbis exprimitur objectum, ut ajunt, *materiale* ſpei Chriſtianæ, quod eſt ipſe Deus, quatenus in ejus poſſeſſione ſempiterna noſtra beatitudo conſiſtit, juxta illud Geneſ. 15. *Ego merces tua magna nimis.* At cum permulta ſint, quæ nos ad Deum ipſum perducunt, quæ proinde in ordine ad futuram Dei poſſeſſionem a Divina miſericordia expectantur: gratiarum nempe divinarum dona, quarum adjutorio confidimus fore, ut vincamus tentationes, præcepta obſervemus, & in bono finaliter perſeveremus; etiam hæc dici poſſunt ſpei noſtræ objectum, ſed velut ſecundarium, eo quod a nobis ratione ultimi finis tanquam media ad eum conducentia, expectantur. Quin & merita noſtra, non ut præciſe ſunt merita humana, ſed prout beneficio gratiæ divinæ poſita, ad ſpei objectum pertinent; quod manifeſte colligitur ex Scripturis, Tobiæ 4. cap. *Fiducia magna erit coram Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Ad Rom. 5. cap. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit.* Denique illud omne dici poteſt objectum ſecundarium ſpei noſtræ, quod nos aliquo modo conducit & adjuvat ad vitam æternam conſequendam: cujuſmodi ſunt preces aliorum, quibus adjuvamur; item interceſſio Sanctorum, ac præcipue B. Mariæ Virginis, quam in publicis Eccleſiæ precibus ſpem & refugium Chriſtianorum appellamus. Nam ſicut fides Catholica, quæ Deum ſummam veritatem credit, etiam alias complures veritates profitetur, quod ore ipſius Dei revelatæ ſint;

& ſicut charitas, qua Deum ſummum bonum diligimus, ſe ſe extendit etiam ad proximum, quem propter Deum amore proſequimur: ita & ſpes, quæ in Deum ejusque poſſeſſionem tendit, reſpicit etiam gratiarum dona, quatenus viam ſternunt ad ipſam beatitudinem capeſſendam. Atque juxta hanc finis mediorumque diſtinctionem accipiendum eſt, quod vulgo a Theologis traditur, ſpem Oratione Dominica, fidem Symbolo, charitatem Decalogo contineri.

II. Circa objectum *formale* ſpei, multum hic tricantur Scholaſtici, illudque diſtinguunt in objectum *formale quod*, & objectum *formale quo*. Prius dicunt eſſe bonitatem divinam, utpote quam reſpicit ſpes in objecto *materiali*, circa quod verſatur. Poſterius vero rationem ipſam, ſeu motivum, ſub quo objectum formale *quod* attingitur. Ejusmodi autem motivum ſtatuunt Omnipotentiam & miſericordiam divinam, quibus Deus complet, quæ pollicitus eſt: alii infinitam ipſius beneficentiam, miſericordiam, largitatem: alii finis ultimi conſequendi arduitatem, nixi authoritate S. Thomæ, qui q. 28. art. 4. ad 2. ex eo diſtinguit ſpem ab aliis virtutibus, quod *addat ex parte objecti quandam ſpecialem rationem*, *ſcilicet arduum & poſſibile adipiſci*. Sed quæſtionis hujus, quæ exigui eſt momenti, ſolisque pene verbis continetur, diſcuſſione neglecta; motivum ſpei noſtræ non aliud rectius dici poſſe exiſtimamus, quam promiſſionem divinam: ideo namque divinæ bonitatis poſſeſſionem ſpes expectat cum fiducia, quod Deus eam ad finem uſque in juſtitia perſeverantibus promiſerit. Promiſſioni divinæ ſi omnipotentiam, beneficentiam, miſericordiam, largitatemque ſupremi Numinis adjungas, habes, quo in ſpem vivam animus erigatur; & cum Regio Pſalte exclamet: *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, Deus meus, adjutor meus, & ſperabo*

in

in eum. Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus, Pſal. 17.

III. Porro ſicuti fides, ita & ſpes nunc deſcripta multipliciter dividitur a Theologis. Alia nempe eſt ſpes habitualis, alia actualis; alia infuſa, alia acquiſita; alia formata ſive viva, alia informis & mortua.

Spes habitualis eſt permanens in anima affectio, per quam ad actus ſpei eliciendos facilius prorumpimus, & ad Dei fruitionem tanquam æternam noſtam beatitudinem inclinamur. Spes hæc, quatenus in ipſa juſtificatione cum fide & charitate inſeritur, ut evenit in Baptiſmo, ex Tridentino Seſſ. 6. cap. 7. appellatur infuſa; quatenus vero repetitis actibus gignitur & roboratur, dicitur acquiſita.

Spes actualis eſt ipſe actus, quem divina gratia auxiliante elicimus, ut æternam beatitudinem certa cum fiducia nos a Deo expectare profiteamur. De hoc ſpei actu intelliguntur verba illa Apoſtoli ad Rom. 8. *Spe*, hoc eſt, per actum ſpei, *ſalvi facti ſumus:* intelliguntur quoque hæc alia, quæ in Pſalmis legimus, *ſpera in Domino*: præcepta enim, ut ſæpe aſſerit S. Thomas, non dantur de virtutum habitibus, quia non ſunt in poteſtate noſtra; ſed de illarum actibus, quos cum divino auxilio elicere poſſumus.

Denique ſpes formata & viva eſt illa, quæ conjuncta eſt cum gratia ſanctificante, quæ cum ſit ſpiritualis hominis vita, vitam quoque tum habitibus virtutum, tum earum actibus tribuit. Spes viva, ſicut & fides viva, eſt propria Chriſtianorum, juxta illud 1. Petri cap. 1. v. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam.* Spes vero informis & mortua dicitur, quæ a gratia & charitate eſt ſejuncta: ac propterea vel deſtituitur motu & actu,

ſi-

ſicut corpus ab anima ſeparatum ; vel ſi operetur, opera ejus, etſi ſupernaturaliter bona, diſponantque ad juſtificationem, viva tamen non ſunt, nec meritoria vitæ æternæ. Plerumque autem ſpes informis otioſa eſt, propter malam conſcientiam, & cupiditatem: *Ille ſperat*, inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 31. *qui bonam conſcientiam gerit; quem vero pungit mala conſcientia, retrahit ſe a ſpe;* quia timor, qui ex mala conſcientia naſcitur, diffidentiam injicit. Mala item cupiditas, qua peccatoris animus adſtringitur, & quodammodo agglutinatur rebus terrenis, a ſpe cœleſtium retrahit: nullus enim ſperat bona ſpiritualia, niſi ea vehementer deſideret; quomodo vero deſideraverit, qui non amat? Spes ergo jacet in corde frigido peccatoris velut radix ſterilis, & ſi quando ſperare videtur, plerumque vana confidentia eſt, & præſumptio.

IV. Remanere tamen ſpei habitum etiam in homine peccatore, quamdiu fidem ſervaverit, citra ullum deſperationis actum, certum eſt omnibus Theologis. Quamvis enim id a Tridentino aperte definitum non ſit, ſicut definitum eſt, manere fidem: colligitur tamen ex ejus doctrina, Seſſ. 6. cap. 6. & Seſſ. 14. cap. 4. ubi ſpem in peccatore agnoſcit; imo eam requirit, ut ad juſtificationem ſe diſponat. Voluit nempe miſericors Deus, ut quamvis cæteræ virtutes morales infuſæ in peccatore non maneant, in eo fides & ſpes permaneret, quæ ſunt velut ſemina, & prima vitæ ſpiritualis principia; ut videlicet in eo eſſet aliquid, quo, accedente Spiritus S. motione, facilius poſſet a peccato reſurgere. Habet ergo ſpem Theologicam etiam peccator fidem ſervans; non quod ſperet, ſe, dum manet in ſtatu peccati, poſſe conſequi beatitudinem; hæc enim foret inanis fiducia, & temeraria præſumptio: ſed quia ſperat, ſe per miſericordiam Dei eruendum a ſtatu peccati, & transferendum ad ſtatum gra-

tiæ

Digitized by Google

tiæ, qua poſſit beatitudinem promereri. Itaque dum Apoſtolus ait ad Rom. v. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris;* & dum S. Auguſtinus docet Serm. 31. de verbis Domini, nunc 110. *Solis filiis ſpem eſſe;* & in cap. 8. Enchiridii, *Spes vero eſſe ſine amore non poteſt*, ſi per charitatem & amorem intelligatur gratia ſanctificans, ea intelligi non debent de ſpe informi, ſed de ſpe viva, qua aliquis expectat beatitudinem *per merita, quæ jam habet*, ut exponit S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 4. ad 3. Quanquam Auguſtinum loqui de amore tantum inchoato ſcribat Guilielmus Eſtius in 3. diſt. 26. §. 2. aliique permulti in Auguſtiana lectione exercitati. Sane ſpem eſſe cum aliquo amore conjunctam conſtat, quoniam nihil ſperatur, ſi nulla ratione diligitur: & quemadmodum ſpes humana & carnalis non eſt abſque amore humano & carnali; ita ſpes, homine Chriſtiano digna & ſpiritualis, non eſt abſque omni prorſus amore ſpirituali, amore ſcilicet ſempiternæ felicitatis. Poteſt enim peccator ſic affici erga Deum, per fidem ſibi propoſitum ut glorificatorem, ut quamvis eum nondum anteponat omnibus aliis bonis, diligere tamen incipiat, ut ſummum ac beatificum ſuum bonum, quo deſideret æternum frui. Id quod expreſſe docet S. Thomas q. 17. art. 8. ad 2. & q. unica de Spe art. 3. ad 4. *Spes*, inquit, *præſupponit aliquem amorem; non tamen oportet, quod præſupponat amorem charitatis, ſed amorem ſui ipſius, quo quis optat ſibi bonum Divinum.* Atque hic amor dicitur amor concupiſcentiæ; & in eo maxime differt ab amore charitatis, quod iſte feratur in bonum objecti amati, ejus commodum & perfectionem intendat, ac in eo ſiſtat: ille vero feratur in bonum amantis, quia amantis bonum eſt, ejusque commodum & perfectionem ſpectet.

Eſt autem etiam amor concupiſcentiæ, quo nempe Deum diligimus, ut ſummum noſtrum bonum, verè honeſtus, & ſu-

ſupernaturalis. Honeſtus eſt; nam amor, quo diligitur bonum eo modo, quo bonum eſt & amabile, eſt ordinatus & honeſtus: atqui talis eſt dictus amor. Eſt ſupernaturalis: quia eſt actus pietatis, per quem diligimus Deum ut ſummum bonum noſtrum ſupernaturale, fruendum per actus beatificos; qui amor procul dubio vires naturæ ſuperat, egetque adjutorio gratiæ interioris.

Diximus autem, remanere ſpem in peccatore, quamdiu fidem ſervaverit. In eo namque ſpes eſſe non poteſt, in quo non eſt fides, quæ eſt *ſubſtantia rerum ſperandarum.* Qualemcunque ergo fiduciam jactitent hæretici, nequit ea eſſe ſpes Chriſtianorum. Hinc S. Auguſtinus Tract. 45. in Joann. ait: *Non eſt autem cuiquam ſpes vera & certa ſemper vivendi, niſi agnoſcat vitam, quæ eſt Chriſtus, & per januam intret in ovile.*

In Beatis, quemadmodum fides, ita & ſpes locum amplius non habet. Nam juxta Apoſtolum ad Rom. 8. 24. *Spes, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?* Sed Beati in patria Deum vident ac poſſident; ergo ſperare eum amplius non poſſunt: neque enim ſperamus id, quod præſens eſt, & re ipſa a nobis poſſidetur. Et quia Beati etiam de futura gloria, ſeu de continuatione ſuæ beatitudinis ſunt certi, non ſolum certitudine ſpei, ſed etiam certitudine immutabilis cognitionis, orta ex æternæ vitæ ſecuritate, ac ſtatu patriæ; etiam de continuatione beatitudinis non-eſt vera ſpes, ſed ſecuritas in Beatis.

Igitur, *inquies*, etiam Viatores, qui ſunt confirmati in gratia, atque adeo de æterna ſua ſalute ſecuri, ſperare amplius non poterunt?

Reſp. Neg. conſecutionem. Eſto enim hi ſint certi de ſua ſalute, adhuc tamen eſt illis futura & ardua, quod utrum-

Digitized by Google

trumque ad ſpem requiritur. Contra in Beatis continuatio felicitatis æternæ nec rationem ardui habet, nec rationem futuri. Non rationem ardui: quia ſecum affert neceſſitatem non peccandi, & ſemper in eodem ſtatu permanendi, quam neceſſitatem non adfert confirmatio in gratia reſpectu Viatoris. Non habet etiam rationem futuri: quia Sanctorum beatitudo actu poſſeſſa eſt tota ſimul immutabiliter permanens; in quantum enim ſunt Beati, æternitatem participant, in qua non eſt præteritum & futurum: *Beatitudo*, inquit S. Thomas q. 28. art. 2. ad 2. *Sanctorum eſt vita æterna, quia per hoc, quod DEO fruuntur, efficiuntur quodammodo participes æternitatis divinæ, quæ excedit omne tempus: & ita continuatio beatitudinis non diverſificatur per præſens, præteritum & futurum. Et ideo Beati non habent ſpem de continuatione beatitudinis, ſed habent ipſam rem, quia non eſt ibi ratio futuri.*

In animabus vero juſtorum, quæ in purgatorio detinentur, quemadmodum fides, ita & ſpes manet proculdubio. Quamvis enim illi non ſint amplius in via, quia tamen nondum pervenerunt ad patriam, futuram beatitudinem expectant, atque adeo ſperant. Nec obſtat, quod ſecuri ſint de ſua beatitudine; inde namque non evacuatur, ſed potius confortatur eorum ſpes; neque illa certitudo tollit rationem ſpei: quia beatitudo adhuc illis repræſentatur ut ardua; nondum enim habent evidentiam de illius adeptione, ſed ſolum cognitionem obſcuram per fidem: quamdiu autem intellectus non convincitur per evidentiam, adhuc ambulat per fidem, & ſpem. Præterea, eſto ſint certi, quod gloriam conſequentur; ſunt tamen etiam certi, quod illam non conſequentur, niſi tranſeundo prius per graviſſimus pœnas, quarum durationem cum ignorent, ardua ipſis repræſentatur futura æternæ gloriæ conſecutio.

Digitized by Google

At in dæmonibus ac damnatis, quoniam extrema miſeria, & de ejus perpetuitate certitudo non compatitur rerum meliorum expectationem, etſi ad maximum cruciatum perſeveret inditus animo beatitudinis amor, nullum ſpes locum habet.

V. Utrum vero in eo Viatore ſpes ulla perſiſteret, cui divinitus facta eſſet futuræ damnationis revelatio, non levis eſt inter Scholaſticos contentio, cui ſe immiſcere nec nobis vacat, nec ſi vacaret, operæ pretium duceremus. Dixiſſe ſufficiat, impoſſibilem ejusmodi caſum videri in hac rerum conſtitutione, in qua Deus decrevit unumquemque, quamdiu vivit, poſſe conſequi ſalutem, præcepitque ſingulis, ut gratiam & gloriam a Divina miſericordia expectent. Unde ſi alicui fieret damnationis ſuæ revelatio, hæc nonniſi comminatio foret, & accipienda hoc ſenſu, ſi nimirum ad meliorem frugem non revocaretur peccator. Quare revelatione accepta ſpem abjicere non deberet, ſed Ninivitarum exemplo in cinere & cilicio agere pœnitentiam. Ille enim ipſe, qui peccatori revelaret perditionem, ait quoque: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat.*

At ſi extraordinaria, ut ajunt, potentia hæc fieret revelatio, eaque non eſſet conmminatio, ſed certa & immutabilis æternæ damnationis ſententia, nullus videtur in eo, cui ejusmodi revelatio fieret, ſpei locus ſupereſſe. Sperare namque ſpe Theologica eſt certa cum fiducia æternam beatitudinem expectare: quomodo autem certa cum fiducia expectabit quis id, quod certiſſime novit ſe nunquam obtenturum.

Neque dicas: ſtat cum certa revelatione ſalutis timor, ut in Paulo 1. ad Corinth 9. v. 27. dicente: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim,*

rim, ipſe reprobus efficiar. Ergo etiam ſpes conſiſtere poterit cum futuræ damnationis revelatione. Contra namque eſt, Paulum, dum ad Corinthios ſcripſit, non habuiſſe plenam ſalutis ſuæ certitudinem, ut Gregorii Magni, & Proſperi auctoritate demonſtrant Eſtius, Menochius, Tirinus, Cornelius a Lapide, aliique Scripturæ Interpretes. Qanquam dicere poterat Apoſtolus, *Caſtigo corpus meum &c.* non quaſi damnationem pertimeſceret, ſed ut commonſtraret, afflictationes corporis ad illam evitandam eſſe neceſſarias.

Neque etiam valet dicere, quod in ea hypotheſi teneretur quisque legem implere, & peccata vitare, atque adeo etiam peccatum deſperationis, cum præſcientia futurorum neceſſitatem non adferat, nec arbitrium evertat; ac proinde ſemper ei incumberet ſperandi præceptum.

Etenim, ut quis teneatur ad implenda præcepta, ſat eſt, quod hæc poſſibilia ſint, vigeatque libertas: at ad ſpem excitandam non ſufficit beatitudinem eſſe poſſibilem, niſi etiam prudenter apprehendi poſſit tanquam futura. In illa ergo hypotheſi, quamvis peccatum deſperationis quivis teneretur effugere, neque deſperare licite poſſet ex motivo contrario ſpei Theologicæ, id eſt, per diffidentiam miſericordiæ Dei, aut fidelitatis in promittendo, vel omnipotentiæ, tanquam inſufficientis ad ſalvandum; quod ſane ſceleſtum eſſet atque nefarium: poſſet tamen deſperare, ſolum diffidendo de conſecutione beatitudinis; cum certus eſſet, Deum retrahere velle ab eo ſuam miſericordiam, ut in eo exerceat ſuam juſtitiam; hoc enim nullam injuriam divinæ miſericordiæ irrogat, neque tam deſperare eſt, quam verius non ſperare. Cui hæc in præſenti materia non ſufficiunt, Scholaſticos adeat, apud quos eam quæſtionem plus quam ſatis eſt, exagitatam reperiet.

CAPUT II.

De Spei neceſſitate, & ſperantium certitudine ac fiducia.

I. SPem actualem neceſſariam eſſe adultis neceſſitate medii, ac certis quibusdam temporibus neceſſitate præcepti, & Scripturis ſacris, & ipſa ratione docemur. Neceſſitas quidem medii iisdem momentis ſuadetur, quibus ſupra fidei neceſſitatem demonſtravimus. *Germana nempe fidei, ſpeique cognatio eſt*, inquit S. Bernardus Serm. 10. in Pſal. 9. *ut quod illa futurum credit, hæc ſibi incipiat ſperare futurum.* Hinc eſt, quod in Scripturis fides & ſpes ſoleant ſimul conjungi, quaſi eſſent una & eadem virtus, cum tamen ſint re ipſa diſtinctæ. Quin ſpes indirecte ponitur in definitione fidei: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*; & increduli vocantur filii diffidentiæ, ad Epheſ. cap. 2. v. 2. & cap. 5. v. 6. Sicut ergo accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt; quia pœnitentibus peccata dimittit, deprecantes exaudit, inquirentibus ſe remunerator eſt; ita hæc eadem ſe obtenturum ſperet neceſſe eſt, alioquin fides ipſius inanis foret: ſpes enim eſt diſpoſitio neceſſaria, tum ad veniam peccatorum obtinendam, tum ad cætera gratiarum dona impetranda, juxta illud Prov. 28. v. 25. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur.* Et Jacob. 1. v. 7. *Non ergo æſtimet homo ille* (qui hæſitat diffidentia) *quod accipiat aliquid a Domino.*

Quapropter Concilium Trid. Seſſ. 6. cap. 6. inter actus adultorum juſtificationi neceſſario prærequiſitos, actum ſpei recenſet: *Diſponuntur autem*, inquit, *ad ipſam juſtitiam - - - dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Ex quibus conficitur, adultos ſine ſpe

Theo-

Theologica nec remiſſionem peccatorum, nec ſalutem æternam obtinere poſſe: eſt igitur neceſſaria neceſſitate medii.

Præceptum quoque virtutis hujus exercendæ paſſim inculcatur in Scripturis. Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Pſal. 65. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Eccl. 11. *Dirige viam tuam, & ſpera in illum.* 1. Petri 1. v. 13. *Sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam.* Atqui præcepta, ut jam ſuperius obſervatum eſt, non dantur de habitibus virtutum, ſed tantum de illarum actibus: ergo actus ſpei certis temporibus neceſſarius eſt neceſſitate præcepti.

II. Obligat nempe præceptum ſpei, Primo generatim quoties tenemur operari propter vitam æternam; non enim ad eam nitimur propriis viribus, ſed Omnipotentis Dei auxilio, quod miſericorditer promiſit ſperantibus in ſe. Secundo obligat, cum quis uſum rationis adeptus eſt: cum enim eo tempore (ut deinde de neceſſitate charitatis agentes dicemus) homo teneatur per actum charitatis ſuum finem ultimum in Deo conſtituere; tenetur quoque ſpem in eo collocare ſuam, & ab eo expectare media, quibus ad ejusmodi finis poſſeſſionem perduci poſſit. Tertio, in articulo mortis: ita fert praxis & diſciplina Eccleſiæ, juxta quam Paſtores in ejusmodi circumſtantiis exigunt a quolibet fideli, ut non ſolum credat, ſed etiam ſperet carnis reſurrectionem, & vitam æternam, ad quam jam jam migraturus eſt. Præterea, cum ſalutis noſtæ hoſtis infenſiſſimus ſoleat tunc maxime homini ob oculos ponere gravitatem & multitudinem peccatorum, ut eum in deſperationem inducat; neceſſe eſt, animum in ſpem erigere, quo dæmonis inſidiis obvietur. Quarto, cum urget pœnitentiæ præceptum; nam ex S. Ambroſio Lib. 1. de Pœnit. cap. 1. *Nemo poteſt bene agere pœnitentiam, niſi ſperaverit indulgentiam.* Ideo a Tridentino, ut ſupra nota-

tum

tum eſt, inter actus ad juſtificationem adulti neceſſarios recenſetur & actus ſpei. Quinto, quando inſtat orationis neceſſitas; poſtulandum quippe eſt in fide & cum fiducia: cumque oporteat ſemper orare, & nunquam deficere; vel inde colligitur, quam frequentes actus ſpei elici a nobis debeant. Sexto denique, cum gravis aliqua urget contra ſpem tentatio, & animus concutitur motibus deſperationis; quia ſicut infidelitati opponenda eſt fides, odio dilectio, ſuperbiæ humilitas &c. ita ſpes deſperationi. Hinc patet, quam falſo doceant Quietiſtæ, animam juſti, cum ei in extrema aliqua deſolatione æterna ſalus deſperata apparet, ſeque a Deo reprobatam exiſtimat, poſſe ac debere ex motivo puriſſimi amoris omnem æternæ beatitudinis ſpem abjicere, & abjectionem illam tanquam Deo gratum ſacrificium offerre. Proſcripta quippe eſt illa doctrina ab Innocentio XII. Conſtitutione data anno 1690. Sperandum eſt igitur, & a bonorum omnium Largitore gratia & gloria expectanda: id nempe a nobis exigunt ſacra eloquia, Divina promiſſa, accepta hactenus beneficia, & profuſa in omnes Salvatoris noſtri charitas, miſericordia, & redemptio.

III. At quanta eſt ſperantium certitudo ac fiducia? Maxima ſane eſſe debet ac firmiſſima, quia multiplici ex capite orta. Primum ex tam apertis Dei in ſacra Scriptura promiſſis, de quibus Apoſtolus ad Hebr. 6. *Per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Et 2. ad Timoth. 1. v. 12. *Scio, cui credidi, & certus ſum.* Deinde ex collatis in nos per Chriſti Redemptoris merita innumeris benefactis, & accepta præſertim gratia Redemptionis, dicente Apoſtolo Petro Epiſt. 2. cap. 1. v. 3. *Secundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, per reſur-*

Digitized by Google

ſurrectionem JESU Chriſti ex mortuis. Unde S. Auguſtinus in Pſal. 148. num. 8. *Promiſſionis*, inquit, *Dei tales arrhas accepimus, tenemus mortem Chriſti, tenemus ſanguinem Chriſti &c.* Præterea ex ipſis etiam meritis noſtris per auxilium gratiæ aut comparatis, aut comparandis. Per ejusmodi namque merita & bona opera divina gratia auxiliante a nobis poſita, certam facimus, monente Petro, vocationem noſtram: illorum operum intuitu Deus æternam nobis mercedem rependit: *Sciens*, ait Apoſtolus ad Hebræos cap. 6. *quod labor veſter non eſt inanis in Domino: non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.*

Hæc tamen certitudo ſpei noſtræ abſoluta non eſt, ſed conditionata, quatenus videlicet certi ſumus, DEO ita pollicente, nos per Chriſti merita ad æternam beatitudinem perventuros, ſi gratiæ Dei non reſiſtamus, ſi mandata Dei ſervemus, ſi in bono finaliter perſeveremus; de quibus conditionibus nemo noſtrum abſolute ſecurus eſſe poteſt: quia voluntas hominis admodum mobilis & mutabilis eſt, quia in hac vita mortali continuis diverſisque tentationibus objicimur, quia donum perſeverantiæ finalis diſtribuit Deus pro ſuo beneplacito: igitur ſpei noſtræ certitudo abſoluta non eſt, neque adeo hæſitationem & formidinem omnem excludit. Quapropter ſolicite caveri debet inanis jactantia, ac temeraria præſumptio, & juxta Apoſtoli monitum ad Philipp. 2. danda bonis operibus opera, *cum timore & tremore.* Salutaris hic timor eſt, qui nedum remittit ſpem noſtram, quaſi incerta ſit, quin illam acuit, & ad Deum confugere vehementius impellit, juxta illud Pſal. 13. *Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino.*

IV. Paradoxum quidem, & contra communem hominum ſenſum videtur, quod timor ſit cauſa ſperandi; timor quippe reſpicit malum imminens, & quod difficile eſt ad evitan-

dum, ſpes vero bonum abſens & arduum. At diſtinguendum eſt inter timorem hominum, & timorem Dei: homines timemus, cum eos nobis infenſos novimus, & ideo odium ipſorum declinamus, certi quod non parcent, ſi in eorum poteſtatem nos venire contingeret. Deum vero timemus, ne nos deſerat, ne propter peccata a ſe projiciat; atque ejusmodi timore ad illum confugere impellimur, cujus natura eſt bonitas, & opus miſericordiæ. *Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino*, nec fruſtra; ſubditur enim, *adjutor eorum, & protector eorum eſt.* In quem locum S. Bernardus: *Adjutor*, inquit, *ut liberentur a malis; Protector, ne jam liberati iterum relabantur. Quare? quibus meritis? quia ſperaverunt in eo;* quoniam in me ſperavit, *inquit Pſal.* 90. liberabo eum: *hoc enim totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum facit.* Sed de ſalutari hoc timore, quem cum ſpe conjunctum eſſe oportet, mox plura dicemus.

CAPUT III.

De effectibus Spei Theologicæ; ubi potiſſimum de Timore Domini.

I. SPes Theologica, niſi informis ſit ac mortua, hæc potiſſimum præſtat: ſperantem reddit bonis operibus intentum & ſolertem, firmat in adverſis, injicit timorem Domini.

Ac primum quidem quod attinet, ea ſpei univerſim ſpectatæ eſt vis & actio, ut animos accendat, ſperantem attentum reddat ad opus, ſolertiam acuat, qua ſperans obſtacula vel ſuperet, vel declinet. Quid igitur non efficiet ſpes viva Chriſtianorum, in qua regenerati ſunt? Nam ex S. Auguſtino in Pſal. 103. Conc. 4. *Vita noſtra modo ſpes eſt,*

vi-

vita noſtra poſtea æternitas erit; vita vitæ mortalis ſpes eſt vitæ immortalis. Ad hanc certe felicitatem fertur omnis Chriſtianorum recte ſperantium cogitatio, propter illam aſſequendam vigilat eorum ſolicitudo, prudentia & circumſpectio, ne quid utilium ad tantum bonum promerendum illos effugiat. Quid vero ad illud conferre non poſſit, cum ex Apoſtolo 2. ad Cor. cap. 6. Spes theologica æque per adverſa, ac per proſpera, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam illuc perducat?

Spes deinde firmat in adverſis: *Quemadmodum* enim, inquit S. Auguſtinus in Pſal. 64. *de navi, quæ in anchoris eſt, recte dicitur, quod jam in terra ſit; adhuc tamen fluctuat, ſed in terra quodammodo educta eſt contra ventos & tempeſtates; ſic contra tentationes hujus peregrinationis noſtræ ſpes noſtra fundata in illa civitate Jeruſalem facit nos non abripi in ſaxa;* qua ſimilitudine Apoſtolus ipſe uſus eſt, ſcribens ad Hebr. 6. v. 18. 19. *Confugimus* (in adverſis) *ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

Spes denique Theologica injicit timorem Dei; quia ex S. Thoma q. 19. art. 3. *Timor ex amore naſcitur; illud enim timet homo amittere, quod amat.* Atqui ſpes Theologica eſt amor, & deſiderium poſſidendi Deum: ergo ex illa naſcitur timor tanti boni amittendi, qui proprie eſt timor Dei.

II. Sed timoris hujus indoles & natura paulo uberius eſt expendenda. Ante omnia autem timoris univerſim accepti diverſæ ſpecies diſtingui debent. Alius nempe eſt timor naturalis incuſſus a malo, quod unusquisque naturaliter refugit, nec imperatus a voluntate; alius rationalis & liber, elicitus ex aliqua cognitione & amore. Naturalis timor paſſio animi potius dicendus eſt, quam liber ipſius animi motus; unde inter peccata numerari non poteſt, docente Augu-

ſtino q. 77. inter qq. 83. *Omnis paſſio, in quantum ipſa paſſione patimur, non eſt peccatum: ſic etſi patimur timorem, non eſt peccatum.*

Timor autem voluntarius & rationalis eſt liber animi motus, & ex libero amore proficiſcitur; qui cum diverſus eſſe poſſit, diverſum etiam timorem efficit. Vel enim oritur timor ex amore, quo animus inhæret bonis fluxis & temporalibus, tanquam ultimo fini; vel ex amore ſui ipſius; vel ex amore ſolius Dei.

Primus dicitur timor *mundanus*, ſeu humanus, quo quis ita timet malum aliquod temporale, quod ab hominibus infligi poteſt, ut malit peccare & Deum offendere, quam malum illud incurrere. De hoc timore ita ſcribit S. Auguſtinus in Pſal. 127. *Tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, ne alicujus amiſſio chari, ne exilium, damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio.*

Alter eſt timor *ſervilis*, quo homo timet pœnam, ſive temporalem ſive æternam, a Deo infligendam. Dicitur *ſervilis*, quia hæc eſt ſervorum indoles & conſuetudo, ut Dominis ſerviant, non illorum amore ducti, ſed ſolum ut quas timent pœnas, effugiant. De hoc timore ibidem Auguſtinus: *Alius timet, unde terruit & Dominus. Audiſtis, cum Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia vere futura ſunt impiis, timent, & continent ſe a peccato.*

Tertius eſt timor *filialis* & *caſtus*, quo timetur malum culpæ, quia malum eſt Dei, non quia malum eſt timentis; ſeu quo timetur offenſa Dei propter ipſum Deum, quia præciſe offenſa Dei eſt. Dicitur *filialis*, quia, ut ait S. Thomas quæſt. 19. a. 2. in Corp. *Filiorum eſt timere offenſam Patris.* Dicitur etiam *caſtus*; quia ſimilis eſt timori caſtæ ſponſæ, quæ id unum timet, ne ſponſo offenſæ occaſionem præbeat.

Timor filialis & caſtus quemcunque alium longe antecellit, de quo legimus in Pſal. 18. v. 10. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.* Sed de hoc in præſenti nobis ſermo non eſt; timor namque ille, non ex ſpe, ſed ex charitate oritur, quia peccatum refugit ut malum amici, ſpes vero illud ſpectat ut malum ſperantis, quatenus nempe eſt impedimentum beatitudinis.

De mundano quoque ſeu humano timore quæſtio eſſe non poteſt; certum namque eſt, timorem hunc eſſe vanum, perverſum, & noxium: quia avertit a Deo, & oritur ex mala radice, noxia nimirum cupiditate, & amore, quo rationalis creatura hæret tanquam fini fluxis hujus mundi bonis. Ut timorem hunc a nobis pellamus ſuadet ipſe Salvator noſter apud Matthæum cap. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Et Apoſtolus Petrus Epiſt. 1. cap. 3. v. 14. *Timore autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.*

Advertendum eſt tamen, quod ſi hujusmodi timor naturalis ſit, neque ex perverſa cupiditate, & prædominante rerum temporalium dilectione oriatur, ad culpam imputari non debeat; quia tunc innoxia eſt *paſſio* naturæ imbellis atque infirmæ. Non etiam culpandus eſt timor, quo quis timet ſæcularem poteſtatem, judicemque terrenum; dummodo hunc timeat, quatenus a Deo conſtitutus eſt, nec *ſine cauſa gladium portat*, ut ait Apoſtolus ad Rom. 13. 4. *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ejusmodi namque timor rectæ rationi conſentaneus eſt, neque natura ſua excludit amorem juſtitiæ. At ille timor, quem perverſum & mundanum eſſe dicimus, nec recta ratione ducitur, neque ullo amore æquitatis; quia temporalium bonorum cupiditati unice innixus, corporis vitam vitæ animæ, & corporis interitum præfert gehennæ ſuppliciis.

Digitized by Google

Tota igitur controverſia eſt de timore ſervili, quem paulo ante deſcripſimus, de quo poſt Lutherum peſſime ſenſerunt Janſeniani docentes, timorem ſervilem, quo pœnæ a Deo peccatoribus conſtitutæ refugiuntur, malum eſſe, hominem reddere hypocritam, viam ſternere ad deſperationem, Deum ſibi repræſentare tanquam durum & intractabilem; contra quos ſit

ASSERTIO UNICA.

Timor ſervilis de ſe bonus eſt, utilis, ſupernaturalis, Dei donum, pertinetque ad virtutem ſpei.

III. P*Robatur* ex Scripturis, quæ timorem hunc veluti bonum & ſalutarem ubique commendant. Et quidem ipſe Dominus, poſtquam Matthæi 10. humanum timorem reprehendit, ad ſervilem his verbis hortatur: *ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Quo pertinent innumeræ comminationes, quibus utitur perſæpe Deus ad ejusmodi timorem peccatoribus incutiendum, timorem inquam mortis, extremi judicii, gehennæ ignis, ut ad frugem redeant, & pœnitentiam agant.

De timore hoc S. Auguſtinus ſerm. 161. adductis Evangelicis verbis ita loquitur: *Cum dicis mihi gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus ſum? male times? vane times? non audeo, quandoquidem ipſe Dominus timorem incuſſerit, & verbum repetendo comminationem ingeminaverit - - - - Quid ergo ego dicturus ſum, male timet iſta? non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil eſt quod magis timere debeas.* Item ſerm. 157. alias 13. de verbis Apoſtoli cap. 13. *Qui*, inquit, *adhuc bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum eſt inter filios: utinam tamen vel pœnam timeat - - - - fac, vel timore pœnæ,*

ſi

ſi nondum potes amore juſtitiæ. Rurſus in Pſal. 127. de timore ſervili ſic habet: *Bonus eſt & ille timor, utilis eſt: ſed nondum eſt ille caſtus, permanens in ſæculum ſæculi.*

Superfluum eſt in re omnibus obvia appellare cæteros Patres, qui vel teſtantur ſe timore judiciorum divinorum percelli, ut S. Ephrem; vel, ut S. Bernardus in ſermonibus ad populum, inde corda auditorum concutere nituntur; quod certo non facerent, niſi timorem hunc bonum & utilem exiſtimarent.

Merito proinde Synodus Trident Seſſ. 6. Can. 8. contra ſentientium errorem damnavit his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.* Et Seſſ. 14. c. 4. iidem Tridentini Patres declarant, contritionem imperfectam, ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, donum Dei eſſe, & Spiritus S. impulſum. Similiter Alexander VIII. perſtrinxit illam propoſitionem: *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.* Et Clemens XI. in Bulla *Unigenitus* propoſitionem 60. Queſnelii cum ſeptem ſequentibus, timorem gehennæ tanquam exitialem, nihilque boni afferentem temere deprimentis.

Theologica autem ratio eſt, quod hunc timorem excitet fides ſupernaturalis, qua credimus futurum judicium & ſempiterna reproborum ſupplicia, nullamque is natura ſua inferat perverſam cupiditatem, ſed reſpiciat tantummodo pœnas a juſto Judice reprobis infligendas, quas ſine ulla noxia delectatione poſſumus pertimeſcere: atque ex alia parte coerceat a malo, & plura afferat ſalutis virtutisque adjumenta. Eo namque timore conſtringitur mala voluntas, ne in peccata prorumpat, continentur homines ſub diſciplina, peccatores diſponuntur ad juſtitiam, juſti incitantur ad

per-

Digitized by Google

perſeverantiam. Sine eo, quaſi aggere rupto, vitia Rempublicam invaderent, leges proculcarentur, nulla eſſet ratio coercendi protervos, nullus ordo, nulla pax, nulla religio in ſocietate humana. Primum itaque continendi ſunt homines metu pœnarum: *Cum enim per timorem continent ſe a peccato*, inquit iterum S. Auguſtinus in Pſal. 127. *fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulceſcit Deus, & jam incipit homo propterea juſte vivere, non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem.* Quin & juſtificatus adhuc indiget iſto timore: nam ex eodem S. Auguſtino lib. Annotationum in Job cap. 40. *Niſi gaudium ſpei noſtræ cum timore damnationis eſſet, in nobis negligens eſſet ipſa ſecuritas, & ſuperba præſumptio; neque in Pſalmo nobis diceretur: exultate ei cum tremore.* Enim vero quamdiu in terris agimus, caro concupiſcit adverſus ſpiritum, corpus quod corrumpitur, aggravat animam, facileque torporem inducit, niſi metus judiciorum Dei identidem pungendo excitet. Porro quis malum dixerit timorem tam utilem, tamque neceſſarium?

Ex his autem liquet, laudatum hactenus timorem ſervilem ad virtutem ſpei pertinere. Nam ejusdem virtutis eſt amare bonum, & contrarium averſari ſub ratione oppoſita rationi, ſub qua amatur bonum. Sic e. g. charitatis eſt amare bonum Dei extrinſecum, quia bonum Dei eſt; & fugere malum huic bono contrarium, nempe peccatum, quia Dei malum eſt. Atqui virtutis ſpei eſt, amare beatitudinem ſupernaturalem, quia bonum & commodum noſtrum eſt. Ergo etiam eſt virtutis ſpei, averſari id quod nos privat beatitudine ſupernaturali, quia eſt malum & incommodum noſtrum. Sed averſari id quod nos beatitudine ſupernaturali privat, quia eſt malum & incommodum noſtrum, eſt illud timere ſerviliter. Ergo timere ſerviliter pœnam æternam, per quam beatitudine æterna privamur, pertinet ad virtutem ſpei, cujus velut effectus dici poteſt laudatus timor.

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur ad Objecta.

IV. OBjic. Bonus dici nequit timor ille, qui adverſatur charitati: atqui timor ſervilis adverſatur charitati; *nam timor non eſt in charitate*, ut ait Apoſtolus Joannes 1. cap. 4. v. 18.

Reſp. Diſt. min. Timor mundanus non eſt in charitate *Conc.* Timor ſervilis, de quo hic eſt ſermo, non eſt in charitate, iterum *Diſt.* non eſt in chatitate perfecta, *Conc.* non eſt in charitate imperfecta & inchoata, *Neg.* Fatemur, timorem mundanum non eſſe in charitate: quin & timor ſervilis non eſt ſemper in charitate perfecta; ſed reperitur plerumque in peccatoribus nondum juſtificatis, juxta tritum illud Pſalmiſtæ teſtimonium, *Initium ſapientiæ, timor Domini.* Nec niſi de charitate perfecta loquitur S. Joannes, ut colligitur ex verbis ſequentibus; ita enim proſequitur: *Perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnas habet; qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.* Sed quamvis timor ſervilis non ſit ſemper conjunctus cum charitate perfecta, conjungitur tamen ſemper, ſi alioquin rectus eſt, cum charitate imperfecta, hoc eſt, cum amore inchoato: qui enim metu gehennæ concuſſus incipit Deum quærere, bono affectu movetur, qui quidem non eſt donum Spiritus Sancti inhabitantis, ſed moventis, ut ait Concilium Tridentinum loco ſupra cit. tum incipit delectare juſtitia, & ad timorem pœnæ accedit deteſtatio offenſæ; deinde hæc expiatur, regnatque charitas juſtificans: poſthac perſeveratur in gratia, & perſiſtit timor ad charitatis cuſtodiam, tentationesque pellendas: ac denique in patria, ubi eſt charitas conſummata & ſecura, etiam hæc ſollicitudo, ſive cuſtos timor deponitur. Igitur charitas quo magis perficitur, timentis corrigit, roboratque infirmitatem. Hoc ſalutifero timore jam incita-

tus Regius Pſaltes, qui Deum tam ardenter ſitiebat, illum in ſe perfici rogabat, Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Demum timor ille, qui a charitate pellitur, eſt timor mundanus & noxius; de quo S. Auguſtinus in lib. de Virg. cap. 38. *Perfecta*, inquit, *charitas, ſicut ſcriptum eſt, foras mittit timorem; ſed timorem hominum, non Dei, timorem temporalium malorum, non Divini in fine judicii. Noli altum ſapere, ſed time: ama Dei bonitatem, time ſeveritatem.*

V. Multa præterea opponi hic ſolent ex S. Auguſtino deprompta, quibus timorem ſervilem cum peccato ſemper conjunctum eſſe concludunt Adverſarii: quod timor ille ex amore ſui & cupiditate oriatur, non ex amore Dei, quem omnino excludit; quod executionem tantum pravi operis cohibeat, non malam voluntatem; quod adjunctam habeat voluntatem peccandi, ſi impune liceret. Id non obſcure inquiunt, nec ſemel tradit S. Auguſtinus: *Sub lege eſt*, inquit, lib. de Nat. & grat. cap. 54. *qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi: in ipſa enim voluntate reus eſt, qua mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe quod timet, ut libere faciat, quod occulte deſiderat.* Et epiſt. 144. *In ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere, quod non licet fieri; ſed ideo non facit, quia impune non poteſt.* Rurſus lib. de Spirit. & litt. cap. 8. *Timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere; potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat malle, ſi fieri poſſet, impune committere.*

His, & aliis ejusmodi reſpondemus, ea intelligenda eſſe, non de timore, ſed de *ſervilitate* timentis, qui etiam timore perculſus retinere poteſt malam cupiditatem, quæ ad ſubſtantiam timoris non pertinet, ſed per accidens, & ex pra-

prava timentis diſpoſitione ei annectitur, cujusmodi eſt in fide *informitas*. *Si ſervilitas*, inquit S. Thomas q. 19. art. 4. *eſſet de ratione timoris ſervilis, oportet quod timor ſervilis ſimpliciter eſſet malus - - - ſed prædicta ſervilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis, ſicut nec infirmitas ad ſpeciem fidei informis - - - Et ideo timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt; ſed ſervilitas ejus eſt mala.*

Quapropter diſtinguunt hoc loco Scholaſtici inter timorem *ſervilem ſimpliciter*, & timorem *ſerviliter ſervilem*. Poſterior eſt, quo quis immoderate, & contra rectæ rationis regulam timet, plus ſcilicet timendo malum pœnæ, quod a Deo propter peccatum infligitur, quam malum culpæ, quo Deus offenditur: quemadmodum timent peccatores, qui mala ſua voluntate averſi ſunt a Deo, nec curant ejus honorem & gloriam, imo nec ſuam æternam ſalutem; ſed ſolam timent æternam damnationem, tanquam omnium omnino malorum ſupremum, & quia ipſos a voluptuaria vita, & temporalibus bonis ſejungit. Unde timor ejusmodi malus & vitioſus eſt; quia annexam habet pravam cupiditatem, & voluntatem peccandi, ſi impune liceret: per illum homo plus timet malum proprium, quam malum Dei, quod eſt peccatum; atque adeo convincitur ita ſe ipſum diligere, ut ſummum bonum ſibi poſtponat; & ſic non in Deo, & æterna illius poſſeſſione, ſed in ſe ipſo finem ſuum conſtituat.

Timor vero *ſervilis ſimpliciter* eſt ille, quo pœna a Deo infligenda timetur moderate & ſecundum menſuram rationis; ut cum quis timet damnationem æternam ſupra omne aliud malum, quod non eſt peccatum: tunc enim malum damnationis æternæ non plus timetur, quam meretur ejus malitia; & homo ſic timens non amat ſeipſum inordinate, nec finem ſuum in ſeipſo conſtituit, neque paratus eſt ad peccandum potius, quam ad incurrendum malum æternæ damnationis: ſed e

contra ſuper omnia mala temporalia refugit malum culpæ, non quidem ut eſt offenſivum Dei, adeoque malum ejus; ſed ut eſt inductivum reatus æternæ damnationis, adeoque proprium ſummum malum: malum autem culpæ etiam ut æternæ damnationis reatus inductivum, honeſte & laudabiliter ſuper omnia alia mala temporalia refugitur; poteſtque actus ejusmodi a charitate imperari, & ad Dei gloriam referri. Quodſi tunc homo nondum amat Deum ſuper omnia propter ſe, at non ſeipſum plus amat quam Deum, nec finem ſuum ultimum in ſe ipſo conſtituit, ſed in Deo, quem diligit ſuper omnia ut ſummum ſuum bonum; quæ quidem dilectio non eſt amor charitatis, ſed amor concupiſcentiæ, quem honeſtum & bonum eſſe diximus.

Cæterum objecta ex S. Auguſtino loca commode etiam intelligi poſſunt de habitu voluntatis, non de actione, quæ timore quaſi animatur, quæque ex bono affectu, nondum quidem adulto, ſed naſcente adhuc dimanat. Habitus ille voluntatis, ſeu affectio, aut diſpoſitio adhuc mala quidem eſt, ſed peccatum dici nequit, niſi in actum prorumpat, aut niſi voluntas adſit & deſiderium male agendi, ſi impune liceret; quo ſenſu intelligi poteſt illud Auguſtini ad Bonifacium: *Nam hic profecto in ipſa intus voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat.* Qui igitur pœnæ timore a pravo opere, & illius conſenſu abſtinet, eo ipſo non peccat, quod ita ſit affectus, ut ſi impune liceret, id peccati admitteret, ſi hæc de crimine faciendo cogitatio in ejus mentem non venerit. Quin ſæpe evenit, ut etiam juſti a peccato non abſtinerent, niſi eos timor pœnæ ab eo deterreret; quod nondum ſint ea virtute, ut vehementes quasdam tentationes vincant, niſi timore æterni ſupplicii armentur.

Verum, *inquiunt*, Timor ſervilis provenit ex amore ſui. Eſt ergo pravus. *Reſp.* falſam eſſe hanc conſequentiam.
Amor

Amor quippe ſui non ſemper eſt inordinatus & noxius. Si quis diligat ſe abſque ullo ordine in Deum, perverſe diligit; & dum illi incutitur timor gehennæ, hanc timet ut ſummum malum, & quia ipſum a vitæ hujus commodis ſeparat, ut ſupra diximus: & hic timor eſt malus. Si ordinate ſe diligat, timet gehennam, ſed non tanquam ſummum malum, quia magis timet offenſam Dei: & hic bonus eſt timor. Amor ergo ſui inordinatus non eſt de ſubſtantia & eſſentia timoris, quæ in quolibet habitu deſumitur ab objecto, ſed ad timorem indifferenter ſe habet: ideoque timor ſervilis natura ſua bonus eſt, & permanet etiam in charitate; licet *ſervilitas*, ſeu pravus ſui ipſius amor, per quem timens eſt adhuc ſervus peccati, ſit mala.

VI. Denique *objiciunt:* quæ ex timore pœnæ agimus, ea non libere, ſed inviti operamur, ut rurſus innuit Auguſtinus de Spir. & litt. cap. 31. *Timore pœnæ juſtitiam ſuam facere conantur, & ideo non faciunt Dei juſtitiam, quia charitas eam facit, cui non libet quod non licet: cum aliud habeat in voluntate, qua mallet, ſi fieri poſſet, licere quod non licet.*

Reſp. Quæ ex timore pœnæ agimus, ea inviti operamur, non ſimpliciter & abſolute, ſed comparate: nam ſi ea conferantur cum operibus, quæ ex amore fiunt, præter voluntatem fieri videntur; tametſi in ſe ipſis voluntaria ſint, & libera. Unde in eodem loco S. Auguſtinus: *Si ſubtilius advertamus etiam, quod quisque invitus facere cogitur, ſi facit, voluntate facit. Ac per hoc ſi facit, non quidem plena & libera voluntate, ſed tamen non facit, niſi voluntate.* Hinc dici poteſt, voluntatis, aut libertatis vocem paſſim ab Auguſtino pro plena & perfecta accipi voluntate, quod nonullos potuit in errorem inducere: unde eos cogi identidem ait, qui pœnarum timore operantur. Cæterum pleraque non Augu-

ſtini modo, ſed & Apoſtoli loca de timore pœnarum temporalium commode exponi poſſunt, qui quidem timor non ſemper omni peccato vacat, atque omnino diverſus eſt a timore pœnarum æternarum. Quod ſi vero Apoſtolum & Auguſtinum, cum timorem charitati opponunt, de pœnarum temporalium timore intelligamus, vix ullus erit difficultati locus.

CAPUT IV.

De peccatis ſpei Theologicæ oppoſitis.

UT virtus univerſim inter duo extrema conſiſtere ſolet in medio, ita ſpes Chriſtiana media eſt inter deſperationem & præſumptionem, quæ duo vitia eidem ertremo opponuntur, unum per defectum, alterum per exceſſum.

I. QUær. 1mo. Quid eſt Deſperatio?

Reſp. Eſt diffidentia aſſequendi beatitudinem æternam, & obtinendi media ad illam neceſſaria, ſeu quod deſperans putet graviora eſſe ſua peccata, quam ut remitti poſſint, ſeu quod de miſericordia Dei male judicet. Peccatum eſt, & quidem graviſſimum, quia opponitur virtuti Theologicæ: peccata namque virtutibus Theologicis oppoſita ſunt ex genere ſuo aliis graviora. *Cum enim*, inquit S. Thom. q. 20. art. 3. *virtutes Theologicæ habeant Deum pro objecto, peccata eis oppoſita important directe & principaliter averſionem a DEO:* nam ſicut per ſpem ad Deum ultimum finem noſtrum accedimus, ita per deſperationem a Deo ultimo fine noſtro recedimus, & ab eo nos principaliter avertimus. Præterquam quod deſperatio divinam miſericordiam & in promiſſis fidelitatem inſigniter lædat, atque ipſa etiam communis omnium delictorum ſit cauſa & origo; *qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ*, in-

in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam &c. ad Epheſ. 4. cap.

II. Q*Uær. 2do.* Quid eſt Præſumptio?

Reſp. Eſt temeraria expectatio beatitudinis & mediorum illius aſſequendæ. Dicitur temeraria, id eſt vana, & carens omni fundamento; vel quia non innititur divinæ miſericordiæ & omnipotentiæ, ſed propriæ virtuti; ut ſi quis ſperet beatitudinem ſe conſequi poſſe per ſolas naturæ vires; & tunc eſt præſumptio Pelagiana: vel quia inordinate confidit in divina miſericordia & omnipotentia; ut ſi quis ſperet ſe beatitudinem conſecuturum eſſe ſine bonis operibus, & peccatorum veniam ſine pœnitentia; & hæc præſumptio eſt Lutherana: aut ſi quis, ſpe miſericordiæ conſequendæ, pœnitentiam ad mortem differat, interim cupiditatibus ſuis habenas laxando; & hæc eſt præſumptio quorundam Catholicorum. Unde patet, quam grave, & quam perniciofum malum ſit præſumptio, quocunque ex dictis modo quis præſumat. Grave quidem; quia ut deſperatio miſericordiam, ita juſtitiam Divinam lædit præſumptio: honorem præterea ſoli Deo bonorum omnium Largitori debitum ad creaturam, in qua confidit, inique transfert. Summe etiam pernicioſa eſt; quia præſumens, nec timore coercetur, nec ſpe incitatur, ſed eo ipſo effrænis omni intemperantiæ ſe ipſum addicit: non eum movet virtutis honeſtas, non frangit legum authoritas: nam ex S. Thoma q. 22. art. 1. *Lex ſine fide & ſpe locum habere non poteſt.* Unde S. Auguſtinus Serm. 87. *Illa duo,* inquit, *occidunt animam, aut deſperatio, aut perverſa ſpes, id eſt præſumptio.* Et ſerm. 20. *Si deſperes, peris: ſi ſperes, peris. Ubi tibi tutus locus erit, ut ab utraque fovea te eripias? Male deſperabas, audiſti:* in quacunque die converſus fuerit iniquus, omnes iniquitates ejus oblivìſcar. *Male ſperare cæpe-*

ras,

Digitized by Google

ras, *audiſti:* ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. *Undique te circumdedit Providentia Dei miſericorditer.* Et ſerm. 352. *Ne deſperando augeamus peccata, propoſitus eſt pœnitentiæ portus; rurſus ne ſperando augeamus, datus eſt dies mortis incertus.* Ex his autem liquet, habitum ſpei tam per deſperationem, quam per præſumptionem expelli: quia habitus Theologicus univerſim corrumpitur per peccatum ſibi contrarium, ut patet in fide & charitate. Atqui tam deſperatio, quam præſumptio ex dictis opponitur actui virtutis ſpei. Ergo per utramque deſtruitur habitus ſpei. Deſtruitur præterea etiam per quodvis peccatum infidelitatis, quo corrumpitur habitus fidei. Fides enim, ut docent Patres, & Scholaſtici, eſt radix & fundamentum reliquarum omnium virtutum, adeoque ruente habitu fidei, reliquos omnes habitus infuſos ruere neceſſe eſt. Item deſtruitur per actus odii, & contemptus beatitudinis æternæ: nam hi actus opponuntur ſpei habitui, cujus nimirum eſt inclinare ad amandam & deſiderandam beatitudinem, ut ſummum noſtrum bonum.

III. Q*Uær. 3tio.* Quare deſperatio & præſumptio dicantur peccata in Spiritum Sanctum?

Reſp. Quia peccata in Spiritum Sanctum ſunt ea, quæ ſpecialiter pugnant contra Dei bonitatem, & ſpiritualia gratiæ ipſius dona, quæ cum ſint effectus amoris Dei erga homines, appropriantur Spiritui Sancto, utpote qui ratione proceſſionis ſuæ eſt amor Patris & Filii: atqui ejusmodi peccata ſunt deſperatio & præſumptio. Deſperatio quidem, cum ſit veluti contemptus bonitatis, qua Deus ſeipſum nobis offert in prœmium & beatitudinem noſtram. Præſumptio etiam, ſeu quatenus eſt vana expectatio beatitudinis ſine bonis operibus & pœnitentia, in qua expectatione neceſſario intelligitur contemptus donorum, quibus incitamur ad bene operandum,

Digitized by Google

dum; ſeu quatenus eſt fiducia in viribus humanis, neglecto Dei adjutorio, ſine quo nec peccatum vitari, nec ſalus æterna obtineri poteſt.

IV. QUær. 3tio. Quænam ſint cauſæ deſperationis, & præſumptionis? quæ utriusque remedia?

Reſp. cum S. Thoma, acediam, ſeu faſtidium boni ſpiritualis, præſertim divini, eſſe cauſam deſperationis; ſuperbiam vero præſumptionis. Hinc ſicut ſatietas nauſeam parit, nec faſtidiens ſtomachus levatur, niſi malorum humornm egeſtu; ita cum faſtidium rerum cœleſtium ingerant terrenæ cupiditates, & mala conſcientia, Deus ſpirituali animæ palato ſapere non poteſt, nec proinde concupiſci, niſi detractis pravis affectibus. Unde S. Auguſtinus Conc. 2. in Pſal. 31. vult ſpem & bonam conſcientiam idem ſignificare etiam in mente Apoſtoli: *Pro ſpe*, inquit, *bonam conſcientiam poſuit* (Apoſtolus;) *ille enim ſperat*, *qui bonam conſcientiam gerit: quem vero pungit mala conſcientia*, *retrahit ſe a ſpe*, *& non ſibi ſperat niſi damnationem. Ut ergo ſperet regnum*, *habeat bonam conſcientiam:* mutet nempe affectum & conſilium, ac de præteritis doleat & erubeſcat; tuncque ſperet in eum, qui juſtificat impium, non propter præcedentia merita, cum nulla ſint, niſi mala; ſed per fidem, non quam fingunt Hæretici, ſed quam exponit Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur: *Spem enim*, ut iterum Auguſtinus loco mox cit., *gerit bona conſcientia: quomodo mala conſcientia tota in deſperatione eſt*, *ſic bona tota in ſpe.* Spei conatum non remoretur diffidentia, quam importune ingerit memoria præteritorum criminum, aut inordinatus juſtitiæ divinæ timor: hæc namque injicit malignus ſpiritus, ut ſpem adimat, aut ſaltem minuat, quo nihil perniciosius: cum contra peccatorum perpetratorum recordatio, Deique timor, quem Eccleſia do-

num Dei agnoſcit, nedum animum dejicere, & a Deo repellere, quin potius ad ipſum impellere debeat, quaſi ventus ſecundus a tergo flans, ut reliquentes priſtinam agendi conſuetudinem, velocius ad æternæ ſalutis portum feramur.

Præſumptionem vero quod attinet, ejus cauſam præcipuam eſſe ſuperbiam facile oſtenditur. Etenim qui viribus humanis expectat ſalutem & ea, quæ ad illam conducunt, utique præſumptionis reus eſt: at is manifeſte propriæ virtuti tribuit, quod a ſolius Dei omnipotenti miſericordia & bonitate expectandum eſt, & continuis precibus efflagitandum. Præſumit pariter, qui ex Dei miſericordia ſperat ſe conſecuturum ſalutem ſine bonis operibus, & peccatorum veniam ſine pœnitentia: ſed & iſta *præſumptio*, inquit S. Thomas q. 21. a. 4. *videtur oriri directe ex ſuperbia, ac ſi ipſe tanti ſe exiſtimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniat, vel a gloria excludat.* Enimvero intolerandæ eſt ſuperbiæ & temeritatis, quod filius iræ, reus mortis æternæ, nedum coram Deo ſe dejiciat, illumque precibus & aliis bonis operibus propitium ſibi reddere curet, ſed de illius miſericordia diſponere præſumat: qui namque pœnitentiam vitæque emendationem prorogat, & oblatam ſibi gratiam ad extremum morbum ſervandam conſtituit; nonne legem Deo imponit; præſcribitque tempus, quo opitulari debeat, adeo, ut jam non ſit miſerentis Dei, quemadmodum Apoſtolus loquitur, ſed volentis hominis. Sed ſi modo, cum Deus vocando miſereri vult, peccator adeo obduratam in malo ſentit voluntatem ſuam, ut gratiæ, quæ ipſi offertur, non obtemperet, damnabiliter quidem, quia cum poſſit, libere non vult; quomodo ea voluntate impoſterum volet, niſi Deus dederit aliam, eamque plenam, expeditam, & efficacem voluntatem? nam ex Apoſtolo ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur & velle & perficere pro bona voluntate.* Igitur præſumptio, cujus cauſam

ſam ſuperbiam eſſe ſatis liquet, humilitate expugnari debet; ac proinde, qui vult confidere in Domino, ſe ſuaque pro nihilo reputet, dicatque cum Regio Propheta Pſal. 118. *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* In quem locum inquit S. Auguſtinus: *Bonus defectus; quia ubi deficit humanum, totum eſt Divinum.* Deus quippe non derelinquit præſumentes de ſe; præſumentes vero de ſe ipſis, & de virtute ſua gloriantes humiliat, ut dicitur Judith 6. v. 15. *Beatus* igitur, *cujus nomen Domini ſpes ejus:* ſed quis ille? *Qui non reſpexit in vanitates & inſanias falſas*, Pſal. 39. ſed deficit in ſalutare Dei.

DISSERTATIO SECUNDA
De Charitate Theologica.

Quam poſtremo aggredimur, Diſſertatio cæteris omnibus, quæ hoc Tractatu continentur, veluti faſtigium ac coronidem imponet. Charitas quippe eſt culmen Domus Dei, quæ ut ſupra docebat S. Auguſtinus, *Fide fundatur, Spe erigitur, Charitate perficitur:* eſt, juxta Apoſtolum, plenitudo legis, ſine qua nec actiones humanæ ad debitum finem diriguntur, nec morbi animæ ſeu peccata curantur, nec Lex Dei univerſim ſumpta adimpletur, nec fides ipſa aut ſpes, niſi informis & mortua haberi poteſt. Quapropter idem Apoſtolus ut ſingularem inter cæteras omnes virtutes charitatis prærogativam & eminentiam apertius ſignificaret, poſtquam laudato ſæpe ad Corinth. loco dixit: *Nunc autem manent tria hæc &c.* ſubjunxit: *Major autem horum eſt charitas.* De hac ergo virtutum nobiliſſima ac præſtantiſſima in præſenti dicturi, eandem ſervabimus methodum, ad quam præcedentem Diſſertationem de ſpe exegimus, & in illius naturam, objectum, neceſſitatem, ordinem, & perfectionem inquiremus.

CAPUT I.

De Notione, & natura Charitatis.

I. CHaritatis non una eſt acceptio, tum in ſacra Pagina, tum apud Theologos. Nonnunquam enim ſumitur pro ipſa Divina natura, quæ tota bonitas eſt, ut 1. Joan. 4. *Deus charitas eſt.* Alias pro Dei in homines dilectione, juxta illud Jerem. 13. *Charitate perpetua dilexi te.* Frequentius pro amore, quo creatura rationalis Deum proſequitur, ut 1. ad Cor. 13. *Si - - - charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Porro licet voces iſtæ, *amor*, *dilectio*, & *charitas* paſſim pro eodem uſurpentur, reipſa tamen confundi non debent: amor quippe latius patet, quam dilectio; & dilectio latius, quam charitas. Amor tam ſenſitivam & vitioſam, quam ſpiritualem & honeſtam affectionem ſignificat, juxta illud S. Auguſtini in Pſal. 9. *Amor, ſi pravus eſt, dicitur cupiditas, ſi rectus, charitas.* Dilectio vero in bonam tantum partem accipitur, & prout ad appetitum rationalem pertinet. Differt autem a charitate, quod dilectio Dei reperiatur etiam in pœnitente, qui Deum amare incipit, & nondum juſtificatus eſt, quo ſenſu accipitur a Concilio Trident. Seſſ. 6. Can. 3. ubi anathema pronuntiatur in eum, *qui dixerit hominem ſine præveniente Spiritu S. inſpiratione diligere Deum poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.* Unde ſequitur, ante juſtificationem Deum diligi a pœnitentibus ſicut oportet; quæ quidem dilectio charitas inchoata & imperfecta dici poteſt. Charitas vero perfecta, & proprie talis non eſt, niſi in hominibus juſtificatis, qui habent in ſe manentem Spiritum Sanctum, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Et hæc eſt charitas de qua præcipue hoc loco diſputant Theologi; eamque definiunt, quod

ſit

Digitized by Google

ſit *virtus Theologica*, *qua Deum ſuper omnia diligimus*, & *cætera propter Deum.*

Dicitur *Virtus Theologica*; nulla enim virtus æque ac charitas occupatur circa Deum. Fides unum aliquod attributum divinum principaliter reſpicit, ſcilicet veracitatem Dei in loquendo; ſpes bonitatem, quatenus nos efficere beatos poteſt; charitas vero in totum Deum fertur, ad omnes & infinitas ejus perfectiones ſe extendit: *Totus deſiderabilis eſt*, inquiebat ſponſa Cantic. cap. 5. v. 16. *Dilectus meus.* Quemadmodum enim in amico impenſe dilecto omnia placent, ejus ingenium, indoles, corporis forma, ſermo, agendi modus amantem recreant: ita diligenti Deum ſincera charitate, omnia in eo placent, ſapientia, miſericordia, juſtitia, ejus mandata, decreta, judicia, providentia ſive in proſperis, ſive in adverſis; *totus eſt deſiderabilis.*

Dicitur, *qua Deum diligimus ſuper omnia*; quibus charitas differt a ſpe, & a quacunque alia virtute; ſola quippe charitas omnia ad Deum refert. Spes quidem, ut ſuperius notavimus, conjuncta eſt cum amore Dei, ſed amore concupiſcentiæ, quo ſperans Deum concupiſcit, ut ſibi bonum: at charitas in Deum fertur amore benevolentiæ, quo Deum diligit, non ſui, ſed illius gratia, refertque ad eum & ipſum amantem, & ejus beatitudinem, & cætera omnia, quæ per ſpem concupiſcuntur. Sicut enim Deus omnia propter ſemetipſum operatus eſt, hominemque ad beatitudinem ſupernaturalem ordinavit in gloriam ſuam: ſic Chriſtianus eodem affectu per charitatem occupatus, ſe ipſum totum, beatitudinem ſuam, & cætera omnia ex animo refert ad Dei gloriam.

Propterea additum eſt, & *cætera propter ipſum*: res enim amici ſunt ejus in uſum & commodum convertendæ: atqui noſtra omnia, parentes, domeſtici, facultates, tam proſpera, quam adverſa ſunt æque ac nos ipſi res Dei ſumme dilecti:

ergo per charitatem ea omnia propter Deum diligimus, & in ejus bonum, hoc eſt, gloriam & honorem convertimus. Et hæc ſola eſt vera charitas, verus amor ſuper omnia, DEO non denegandus, nec ulli creaturæ exhibendus. Quam nunc dedimus definitionem charitatis eadem omnino eſt cum illa S. Auguſtini, quam non ſemel in ſuis operibus tradidit, præſertim Lib. 3. de Doctrina Chriſt. cap. 10. ubi dicit: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe, atque proximo propter Deum.*

II. Porro charitas ſic deſcripta multifariam dividitur. Primum in *habitualem*, & *actualem*. Illa eſt dilectio permanenter inhærens animæ, per quam voluntas redditur recta, & juſta, & ad diligendum Deum propter ſe, & cætera omnia propter Deum, vehementiore niſu excitatur. Iſta vero eſt actus, ſeu motus animi ad Deum ſuper omnia diligendum.

Charitas *habitualis* dividitur in *acquiſitam*, & in *infuſam*. *Acquiſita* eſt, quæ ex actibus charitatis frequenter elicitis naſcitur, ſicut ex iisdem repetitis actibus habitus alii naſci ſolent. *Infuſa*, quæ parvulis in baptiſmate ſine ulla ex parte ipſorum diſpoſitione a DEO immediate infunditur; adultis vero, ſi debitis cum diſpoſitionibus ad baptiſmatis, aut pœnitentiæ Sacramenta acceſſerint. De hac pluribus in locis loquuntur Scripturæ, dum affirmant per charitatem nos reddi Dei filios, hæredes, amicos, ſignatos Spiritu promiſſionis Sancto: Et Patres, dum charitatem deſcribunt vitam, qua Deo copulamur, amicitiam hominis ad DEUM ſtabilitam per inhabitantem Spiritum Sanctum, Dei hominisque mutuam communicationem, atque his conſimilia. Plura de hac habituali charitate diſputavimus in Tract. de Gratia Part. II. tota Diſſert. I. ubi etiam oſtendimus Sect. 1. Cap. 1. N. VI. gratiam ſanctificantem, & charitatem unum eundemque eſſe habitum, nec

nec ab invicem niſi ratione, & ſecundum diverſa quæ præſtant officia diſtingui.

Charitas *actualis* alia eſt ex omni parte perfecta, qua nempe Deus diligitur ſuper omnia, tam *intenſive*, ut loquuntur, quam *appretiative*. Alia vero, qua diligitur ſuper omnia ſolum *appretiative*.

Intenſive diligitur Deus ſuper omnia, cum voluntas in eum fertur cum magno fervore & intenſo amoris actu. *Appretiative* vero ſuper omnia diligitur, cum cæteris rebus omnibus ita præponitur, ut nulla omnino res ſit, quæ hominis voluntatem inde avellere queat. Ejusmodi Dei amor, qui ſit *appretiative* ſolum perfectus, frequenter reperitur etiam in juſtis, & perfectionis ſtudioſis. Etenim non raro contingit, ut quis intenſiore & vehementiori dolore afficiatur ob mortem e. g. patris, aut filii, quem impenſe diligebat, quam ob præterita ſua peccata; quamvis *appretiative* plus doleat, ſe in Deum peccaſſe, quam patrem aut filium amiſiſſe, paratusque ſit ejusmodi orbitatem ſuſtinere potius, quam Deum offendere, & ejus amicitia privari: non enim ſemper eſt in poteſtate hominis, etiam provectæ charitatis, ut loquitur Auguſtinus, intenſio illa & fervor dilectionis. Nam ut quis ardeat amore vel odio, ſatis non eſt, objectum apprehendi ut bonum vel malum, niſi ſit etiam præſentiſſimum: ſic viſcera matris magis fervent erga parvulum, quem quotidie geſtat in ulnis ſuis, quam erga natu majorem, præſertim abſentem, quem tamen magis amat *appretiative*: quia nempe objecta remotiora ſenſus non afficiunt, appetitum non commovent ad voluntatis nutum & rationis imperium; quin ſæpe alio impellunt, mentem avocant, aut interturbant. Hinc fit, ut in hominibus etiam virtute præditis devotio nonnunquam ſit remiſſior, & oratio minus fervens: quia Deus,

etſi

Digitized by Google

etſi ab iis ſuper omnia *appretiative* dilectus, ſe ſe a ſenſibus eorum removet, a quibus tamen mentis operationes pendent, neque efficaci ſua gratia interius corda movet, accenditque. Sed defectus illi non imputantur ad culpam, niſi ex incuria & negligentia hominis procedant; quin in hujusmodi ariditate, in qua non deeſt labor & lucta, charitas perficitur, meritum augetur.

Ut vero amor ille ſit reipſa *appretiative* perfectus, debet voluntas tam plene ac firmiter Deo adhærere, ut nihil æque timeat, ac illi diſplicere, & ab eo ſeparari; nulla vis tentationum inde eam avellere queat, niſi ipſamet libere ſe ſubducat. Talis erat amor Apoſtoli dicentis ad Rom. 8. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita . . . neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei.* In hoc nempe potiſſimum diſtinguitur amor charitatis ab amore concupiſcentiæ, ſeu ſpei. Nam ſpes informis unam duntaxat ſuper omnia timet beatitudinis jacturam: hinc qui Deum ſperat, & nondum charitate diligit, non multum cavet leviora peccata, nec valde torquetur, ubi eorum ſe conſcium agnoſcit, utpote quæ a regno cœlorum non excludunt; quin gravi tentatione pulſatus, facile ſe in peccatum lethale pertrahi ſinit, ex fiducia veniæ petendæ, & obtinendæ. Contra vero qui Deum ex charitate diligit, vel leviſſimam ejus offenſam tanquam ſummum malum formidat, & vitare ſtudet; & quamvis ex humanæ naturæ infirmitate identidem labatur, ejusmodi tamen lapſus ſemper ſequitur animi dolor, quem ſpes veniæ non lenit, quin potius bonitas clementiſſimi Patris illum pudore ſuffundit, & ad vehementius dolendum impellit.

Quapropter merito ſuſpecta eſſe poteſt, & reipſa non nunquam vana eſt eorum converſio, qui poſt ſuſceptum pœnitentiæ Sacramentum, cum jam charitas in cordibus eorum diffuſa eſſe debeat, ad primum, qui ſe offert, tentationis impulſum

pulſum graviter labuntur: voluntas enim, quæ plena ac firma adhæſione ſuper omnia in Deum fertur, non tam facile ab eo ſejungi ſe ſinit; cum nequidem a rebus temporalibus, quæ longe minus diligit, adeo facile avocaretur. Fruſtra hic prætenditur carnis infirmitas; quia ſi in regeneratis per gratiam caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus quoque, qui Sacramenti virtute ſupponitur vivere, concupiſcit adverſus carnem: unde in juſtificatis oritur quidem pugna, ſed ex qua ſpiritus charitate roboratus victor deberet recedere; *quia fortis eſt ut mors dilectio* Cantic. 8. Igitur qui laceſſenti tentationi non repugnat, & absque reniſu labitur, ejus voluntas amore Dei ſuper omnia præoccupata, & ſpiritualiter vivens cenſeri non debet.

III. Reſtat quæſtiuncula illa examinanda: num Charitas hæc *appretiative* perfecta, ſit vera Deum inter & hominem amicitia? Negant cum Durando perpauci, cæteris omnibus aſſentientibus. Durandi opinio fulcitur his momentis. Primum eſt, quod in eo ſita ſit amicitia, ut unus velit bonum alteri ex affectu erga ipſum; quod non reperitur in Deo reſpectu hominum, cum omnia propter ſe operetur, & ubique gloriam ſuam quærat. Alterum, quod amicitia fundata ſit in bonorum communione; id vero convenire non poſſit homini erga Deum. Tertium quod amicitia non niſi inter æquales intercedat, juxta Ariſtotelis & aliorum Philoſophiam.

Verum aliam nos amicitiæ notionem & ideam conſtituimus ex S. Auguſtino, qui Lib. 3. contra Academicos cap. 6. & in Epiſt. ad Marcianum 155. nunc 258. amicitiam in ſola mutua charitatis & benevolentiæ conſenſione conſtituit. Cui conſentit cum omnibus Platonicis Marſilius Ficinus in Platonis epiſtolas: Ariſtoteles quoque Lib. 8. Moralium cap. 7. ubi tradit ſpeciem amicitiæ, quam appellat *ſupereminentiæ*, in qua eadem ab utroque amicorum alteri neque exhibentur, neque ſunt requirenda: talis eſt amicitia Patris erga filium &

Digitized by Google

Principis erga ſubditum. Eſt ergo inter Deum & hominem juſtum amicitia vera, cæteriſque omnibus longe præſtantior; quoniam inter utrumque eſt mutua & reciproca charitatis & benevolentiæ conſenſio.

Etenim homo, qui Deum ex charitate diligit, vult bonum Dei, quia bonum ejus eſt, abſque ullo reſpectu ad propriam utilitatem vel delectationem. Similiter Deus homini ipſum ex charitate diligenti, vult bonum non propter ſuam, ſed propter ſolam illius utilitatem & delectationem. Quanquam enim & hominem, & bonum quod vult homini, referat ad ſe ipſum & gloriam ſuam, cum ſit finis ultimus rerum omnium, ad quem omnia referri neceſſe eſt: hæc tamen gloria non eſt utilis DEO, quia per eam non fit beatior. Unde Deus ad gloriam ſuam referendo bonum, quod vult homini, non intendit propriam utilitatem, ſed hominis, cui vult bonum: eum proinde amat amore benevolentiæ, quia vult illi bonum, ut bonum illius, nulla habita ratione utilitatis propriæ.

His accedunt & alia, quæ ad veram amicitiam requiruntur; nempe bonorum communicatio, animorum conjunctio, ſtabilitas: Deus enim homini communicat bona, tum naturalia, tum ſupernaturalia; homo vero pro bonis illis reddit DEO gratiarum actionem, laudem, honorem, obſequia. Habetur quoque animorum conjunctio: nam, ut ait Apoſtolus 1. ad Cor. 7. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt;* quam affectuum unionem ſignificat etiam Chriſtus Joan. c. 14. ubi ait: *ſi quis diligit me . . . & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Denique non deeſt ſtabilitas: nam amicitia illa de ſe æterna eſt; *Charitas* enim, ut ait Apoſtolus 1. ad Cor. 13. *nunquam excidit.* Et vero juſtus per mortem non deſinit eſſe amicus Dei, ſed e contra tranſit ad perfectiſſimum amicitiæ ſtatum. Eſt igitur Deum

inter

inter & hominem amicitia vera, mutua, & ſtabilis; de qua etiam Scripturæ pluribus in locis loquuntur. Sic Pſal. 138. dicitur: *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Sapient. 7. cap. *Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Lucæ 12. Chriſtus ait Diſcipulis ſuis: *Dico autem vobis amicis meis.* Joan. 15. *Vos amici mei eſtis;* & alia ejusmodi complura.

Contraria itaque argumenta nos nihil movent; quoniam legibus illis amicitiam non circumſcribimus, niſi ubi uterque amicorum poteſt alterius benefactis augeri.

Hinc ad primum Durandi argumentum reſpondemus, Deum quidem operari & velle omnia propter ſemetipſum, tanquam finem ultimum; ſed ad utilitatem noſtram, ut paulo ante dictum eſt, non ad ſuam, ut qui *bonorum noſtrorum non indiget*, Pſal. 15. v. 2. Deus igitur omnia operatur in gloriam ſuam, non ut ipſe inde perfectior aut ditior evadat, ſed ut nos faciat meliores: unde id non obſtat, quo minus nos amore amicitiæ proſequatur, nempe ut ſuæ bonitatis nos participes efficiat.

Ad 2dum dicimus, ad veram amicitiam non requiri mutuam bonorum largitionem, ſed ſatis eſſe, ſi amicus cordis ſui affectus præbeat amico; unde & aliquid Deo offerre poterunt homines, videlicet obſequium & amorem. Nec refert, quod hoc ipſum hominis obſequium Deo debitum ſit ex juſtitia. Nam hæc eſt bonitas Dei erga nos, ut accipiat a nobis tanquam dona noſtra & merita, quæ ſunt ipſi debita, & quæ ſunt ipſius dona.

Ad 3tium reponimus, amicitiam requirere æqualitatem, non abſolutam, ſed proportionis. Unde ipſe Philoſophus, ut dictum eſt, agnoſcit quoddam genus amicitiæ etiam inter inæquales, quam vocat *ſupereminentiæ;* quæ in eo ſita eſt,

Digitized by Google

ut quiſque quod ſuum eſt, in bonum amici velit, & faciat; ut Princeps conferendo beneficia ſubdito, & ſubditus præſtando obſequia Principi. Sic ergo Deus amando hominem, quamvis æqualitatem non inveniat, eam tamen cum aliqua proportione facit; volendo nempe & efficiendo in nobis dona gratiæ & charitatis, quibus *conſortes efficimur divinæ naturæ* 2. Petri 1. v. 4. *Filii Dei*, ad Rom. 8. v. 14. *Domeſtici Dei*, ad Epheſ. 2. v. 19. *Fratres Chriſti*, Matth. 28. v. 10. atque adeo evehimur ad ordinem divinum, & quandam cum Deo æqualitatem, non perfectam & abſolutam, qualis inter pares reperitur; ſed proportionis, qualis habetur inter Patrem & Filium, & haberi poteſt inter Principem & ſubditum, quæ ſufficit ad amicitiam ſupereminentiæ.

IV. Ex his, quæ dicta ſunt hactenus, haud difficile, credo, erit definire, quodnam ſit charitatis theologicæ objectum. Primarium ſcilicet, & præcipuum charitatis objectum non aliud eſſe poteſt, quam Deus ipſe, circa quem charitas per ſe & primario verſatur, & ad quem tanquam ad finem ultimum cætera omnia refert. Hoc ipſum in Sacris paginis expreſſum legimus: cum enim ad Rom. 5. dicitur, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Et 1. Joan. 2. *Qui ſervat verbum ejus, in hoc charitas Dei perfecta eſt;* juxta unanimem Patrum ſenſum, quem etiam ſupponit Tridentinum Seſſ. 6. cap. 17. Charitas Dei uſurpatur, non ſolum quia a Deo nobis infunditur, ſed præcipue, quia ad illum terminatur.

Objectum vero charitatis ſecundarium & minus principale eſt Proximus; quia Proximus eſt quid Dei, particeps beatitudinis ejus: ad perfectam autem amicitiam ſpectat, non ſolum diligere eum, cum quo primario & per ſe amicitia contrahitur, ſed etiam ratione illius ea omnia, quæ ad ipſum ſpectant. Porro nomine Proximi quivis intelligere debet imprimis

primis

primis ſe ipſum. Si namque homo ſe ipſum diligat poſt Deum, & propter Deum, magis circa hoc objectum charitas eſt, quam circa quodcunque aliud; propterea Chriſtus ubi proximi amorem præcepit, dixit: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

Deinde nomine proximi intelligitur quævis alia creatura beatitudinis ſupernaturalis capax, ſive ſit Angelus, ſive homo, juſtus aut peccator, fidelis aut infidelis, amicus aut inimicus: quia hi omnes non ſolum ſunt res Dei, quas propter ipſum utpote ſumme dilectum amare debemus; ſed inſuper vocantur a Deo, ſicut & nos, in Societatem filii ejus Domini noſtri JEſu Chriſti, ut loquitur Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. v. 9. Ergo conſiderandi ſunt ut nobis proximi, non ſolum communione ejusdem naturæ, ſed præſertim ejusdem hæreditatis æternæ; ac proinde diligendi amore benevolentiæ, tendentis ad illam unionem, quæ eſſe debet inter fratres, cohæredes, & membra ejusdem corporis, cujus caput eſt Chriſtus.

Dixi, nomine proximi venire creaturam capacem beatitudinis ſupernaturalis; ut videlicet exciperentur Dæmones, & homines damnati: hi enim charitate diligi non poſſunt, nec proinde inter proximos reputandi ſunt: quia charitas eſt amor amicitiæ, quo volumus proximo vitam æternam, & cætera, quæ ad eam conducunt: atqui velle non poſſumus damnatis vitam æternam; ejusmodi quippe amor pugnaret cum charitate Dei, qua divinam ipſius juſtitiam approbamus & amamus. Ita S. Thomas Q. 25. Art. 11.

Poſſunt præterea ad objectum ſecundarium charitatis indirecte reduci res omnes, ſive naturales, ſive ſupernaturales, quatenus aptæ ſunt, ut cedant in Dei gloriam & noſtrum ac proximi ſpirituale commodum: quia ſunt creaturæ

Dei, in gloriam ejus productæ & conſervatæ, & diligentibus Deum convertuntur in bonum. Unde patet, nullius virtutis objectum tam late patere, quam objectum charitatis: omnia quippe, ſolo peccato excepto, in Dei gloriam, tanquam in bonum dilecti, referri poſſunt ac debent.

Motivum vero, ſeu objectum charitatis *formale* eſt bonitas Dei, ſeu ſumma ejus perfectio: tota namque ratio, cur charitate diligamus Deum, nos ipſos, proximum, & res cæteras, eſt ſumma Dei perfectio & bonitas; quo tamen nomine non hic intelligitur ea bonitas, quæ peculiare Dei eſt attributum, ſed ſumitur pro infinitis Dei perfectionibus: per charitatem enim Deum diligimus, quatenus eſt ens ſumme perfectum, adeoque ſumme bonum & amabile, & alioquin bonum & perfectum ſunt unum & idem; res eo eſt bona, quo in ſe eſt perfecta, & eo eſt melior aut optima, quo eſt perfectior aut perfectiſſima. Ergo infinita Dei bonitas & perfectio in ſe ſpectata, eſt adæquatum objectum *formale*, ſeu motivum charitatis.

CAPUT II.

De Neceſſitate, & præcepto Charitatis.

I. ADultum juſtificari poſſe per Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ, absque prævio motu charitatis, ſupponimus hic ex Tractatu de Pœnitentia: in qua hypotheſi evenire poteſt, ut attritus nedum incipiens diligere Deum, baptizetur, aut abſolvatur, cum in extremis conſtitutus compos amplius rationis non eſt, & ſtatim decedat, ſicque ſalutem æternam conſequatur, ſine prævio motu charitatis:

pro-

proinde charitas actualis, abſolute loquendo, neceſſaria non erit neceſſitate medii.

Quæſtio igitur nobis dumtaxat hic eſt de neceſſitate præcepti: utrum videlicet extet, & qualenam ſit præceptum charitatis, tum erga Deum, tum erga proximum habendæ? Sed de præcepto charitatis proximi ſequenti Capite.

Sæculo proxime elapſo reperti ſunt Scriptores aliqui ex Catholicis, qui auſi ſunt aſſerere, præceptum charitatis in Deum non eſſe præceptum ſpeciale, & ab aliis diſtinctum. Unde concludebant, hominem non teneri aliquando elicere actum amoris Dei, vi præcepti charitatis; ſed ſatis eſſe, ut illum non oderit: ſatisfacere præterea primo Decalogi præcepto eum, qui alia mandata ſervaverit, etiamſi Deum nusquam actu dilexerit: proinde ſalutem æternam obtineri poſſe ſine ullo dilectionis actu. Qua quidem doctrina nihil pietati & Religioni capitalius opponitur: ſed id eſt ſingillatim demonſtrandum.

ASSERTIO.

Extat præceptum amoris Dei, idque ſpeciale, & a cæteris ita diſtinctum, ut, ſi quis ipſum omiſerit, licet alia omnia ſervaverit, ſalutem æternam conſequi non poſſit.

PRob. ex Scripturis: Deut. 6. v. 5. & 6. expreſſe habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua &c.* quod Chriſtus iſte Matth. 22. appellat primum & maximum mandatum: *Hoc eſt*, inquit, *primum & maximum mandatum.* Deinde adferens velut ſecundum præceptum, videlicet dilectionis proximi, concludit v. 40. *In his duobus mandatis univerſa lex*

pendet,

pendet, & *Propheta.* Quis ad tantam lucem adeo cæcutiat, ut dicat, præceptum amoris Dei non extare, aut illud ab aliis diſtinctum non eſſe? Nonne ex iis Scripturæ textibus ita recte arguitur: Illud mandatum eſt ſpeciale, & a cæteris diſtinctum, quod reſpectu aliorum eſt primum, maximum, & a quo cætera omnia pendent; neque enim aliquid poteſt reſpectu ſui ipſius eſſe primum, aut a ſe ipſo pendere: ſed tale eſt, ex Chriſti dicto, mandatum dilectionis, ſeu charitatis in Deum: ergo eſt mandatum ſpeciale, & ab aliis omnibus diſtinctum.

Confirmatur ratione, quam urget S. Thomas 2. 2. quæſt. 44. art. 1. Illud præceptum eſt ſpeciale, & ab aliis diſtinctum, per quod in ſpecie præcipitur nobis aliquid, quod aliis mandatis non præcipitur; quod non cadit ſub præceptis, quæ dantur de aliis virtutibus; & vi cujus, non autem vi aliorum tenemur omnia ad Dei gloriam referre. Atqui ex S. Thoma præceptum dilectionis Dei, expreſſum illis Deuteronomii verbis, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* nobis præcipit dilectionem Dei, quæ aliis præceptis non præcipitur, & quæ non cadit ſub præceptis, quæ dantur de aliis virtutibus: *nam modus dilectionis*, inquit Doctor Angelicus, *non cadit ſub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta, ſub hoc præcepto:* honora patrem tuum & matrem tuam, *non cadit, quod hoc ex charitate fiat: cadit tamen actus dilectionis ſub præceptis ſpecialibus.* Tandem vi illius præcepti, & non vi aliorum omnia in gloriam Dei referimus, ut idem S. Thomas tradit 1. 2. q. 110. art. 10. in reſponſione ad 2. eo nimirum loci contendit, teneri nos omnia deliberata opera ad Deum referre: at negat debitum illud ex ſingulis præceptis exurgere, ſed tantum ex iſto: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.*

His

His accedit ex eodem S. Doctore 2. 2. Q. 44. Art. 1. quod ubi ſpecialis eſt ratio debiti, ibi etiam ſpeciale ſit præceptum eſt neceſſe, quia præceptum importat rationem debiti. Sed actus charitatis in Deum dicit ſpecialem rationem debiti, quod in eo conſiſtit, ut homo recte ſe habeat circa finem ſuum, eique per affectum uniatur. Atqui huic debito ſatisfieri non poteſt, niſi per charitatem, quæ ſola immediate conjungit nos Deo; cæteræ autem virtutes hanc conjunctionem non faciunt, ſed ad eam ordinantur ſicut ad finem; ergo. Unde merito Alexander VII. Anno 1665. tanquam hæreticam proſcripſit hanc propoſitionem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.* Et Alexander VIII. Anno 1690. ſequentem: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare, nec in principio, neque in decurſu vitæ.*

III. Contra *objiciunt* Adverſarii: Joan. 14. legitur: *Si diligitis me, mandata mea ſervate;* nulla ergo præter obſervantiam præceptorum nobis dilectio injungitur.

Reſp. Apoſtolos, quibus id dictum eſt, jam procul dubio dilexiſſe: dilectio vero præcipitur iis, qui non diligunt; & diligentibus, ut dilectionem factis comprobent, in eaque proficiant. Qui autem præcipit argumenta amoris, vult etiam amorem ipſum, utpote qui cauſa eſt, ad aliorum præceptorum obſervantiam hominis voluntatem movens & impellens: plenitudo namque legis, juxta Apoſtolum, eſt dilectio; ergo qui non diligit, non implet legem. Et ex S. Auguſtino Q. 44. in Deuteronomium, ſi quis aliorum mandatorum corticem ſervaverit, nec ea ex Dei amore ſervet, ea ut oportet minime ſervat.

Inſiſtunt. Si præceptum dilectionis Dei eſſet ſpeciale præceptum, cum primum & maximum ſit, debuiſſet poni inter præcepta Decalogi, quæ ſunt præcipua: ſed inter hæc non ponitur; ergo non eſt &c.

Reſpondet S. Thomas Q. 44. Art. 1. ad 3. *quod omnia præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei & proximi; & ideo præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi, ſed in omnibus includuntur.* Quare cum Dominus dicit Joan. 14. *ſi diligitis me, mandata mea ſervate;* & cap. 15. *ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea;* non indicat præceptum dilectionis non eſſe ſpeciale præceptum; ſed exprimit neceſſariam connexionem, quam habet dilectio Dei cum obſervatione mandatorum.

IV. Sed nondum omnis, quæ de præcepto charitatis Dei hoc loco moveri ſolet, expedita eſt controverſia.

De tempore quoque, quo charitatis præceptum obligat, errores varii elapſo proxime ſæculo prodierunt. Nonnulli Theologorum dixere, *præceptum amoris Dei per ſe tantum obligare in articulo mortis.* Alii, *probabile eſſe, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.* Alii, *an peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare ſe non audere.* Alii denique tunc ſolum obligare, *quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.* Sed ejuſmodi propoſitiones jam proſcriptæ ſunt ab Alexandro VIII. & ab Innocentio XI. Summis Pontificibus.

Quare ad quæſtionem, quandonam obliget præceptum amoris Dei?

Reſp. Præceptum ſpeciale amoris Dei frequentius per vitæ decurſum nos obligat ad ejus actus eliciendos: quia ſem-

Digitized by Google

ſemper nobis enitendum eſt, ut Deum, aut actu, aut virtute diligamus. Nam Eccleſiaſticus 13. v. 18. ait: *Omni vita tua dilige Deum.* Et ſupra laudato Deuteronomii loco, poſtquam intimatum eſt charitatis præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum* &c. hæc ſubjiciuntur: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis de his ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens atque conſurgens: & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribesque ea in limine atque oſtiis domus tuæ.* Si autem charitatis præceptum ſemel tantum, vel perraro in vita obligaret, cur præcepiſſet Deus, ut eum omni vita noſtra diligamus? ut quid præceptum illud inculcaſſet adeo, ut ubique ac ſemper præ oculis, præ manibus, in mente, in corde, in omni opere haberetur ac retineretur? Neceſſarium ſane videbatur, ejusmodi nobis præceptum imponere, quo ad eliciendos frequentius divini amoris actus urgeremur. Impoſſibile namque eſt, ut homo diu vivat, quin aliquem totius vitæ ſuæ finem ultimum ſibi conſtituat: ergo ſi homines, etiam juſti, ab actibus charitatis in Deum diu temperent, alium a DEO vitæ ſuæ finem ſibi conſtituent; ac proinde rerum terrenarum amoribus ſe ſe implicabunt, qui tandem ita augebunt concupiſcentiæ æſtuantis impetum, ut validior factus, charitatem etiam habitualem opprimat, eamque penitus expellat. Cum ergo iſta mala homo impedire teneatur, tenetur quoque, frequenter per amorem ſe ſe in Deum erigere, & contrarios rerum terrenarum amores præfocare. Ita S. Auguſtinus in Pſal. 121. *Habet omnis amor viam ſuam, nec poteſt vacare amor in anima amantis: neceſſe eſt, ducat. Sed vis noſſe, qualis amor ſit? Vide, quo ducat. Non ergo monemus, ut nihil ametis: ſed monemus, ne mundum ametis; ut eum, qui fecit mundum, libere ametis* &c. Idem docet pluribus aliis in locis, præſertim Præfat. in

Pſal. 31. *Dilectio*, inquit, *vacare non poteſt: da mihi vacantem amorem, & nihil operantem.* Præcepto igitur naturali & divino obſtringimur, ad eliciendos frequentius charitatis actus. Imo diximus, continuo nobis adnitendum eſſe, ut Deum, aut actu, aut virtute diligamus. Quæ quidem dilectio continua in eo ſita eſt, ut nulli rei creatæ tanquam fini ultimo, & propter ſe inhæreamus; ſed nitamur Bono incommutabili toto affectu adhærere; aut ſaltem operemur ob inditam, ingenitamque legem honeſtatis, ne opera moralium virtutum inani gloria, aut cupiditate labefactentur. Quanquam igitur actus dilectionis nequeat omni momento elici, neque ad hoc obligent præcepta *affirmativa*; ſic tamen affectos nos eſſe oportet, ut amor, animi noſtri pondus, cor ad fluxa bona non deprimat, neque a charitate Dei creatura aliqua illud prava cupiditate avellat.

V. Quænam autem præciſe ſint tempora, quibus præceptum obliget ad eliciendos dilectionis actus, non ſatis convenit inter Theologos, neque adeo facile eſt definire.

Certum videtur, urgere hoc præceptum ſtatim ac pervenitur ad rationis uſum: cum nempe jam homini liberum eſt, vel ad Deum, vel ad creaturam ſe convertere. Ita docet S. Thomas 1. 2. qu. 89. art. 9. ad 3. *Primum quod occurrit homini diſcretionem habenti, eſt, quod de ipſo cogitet, ad quem alia ordinet ſicut ad finem: finis enim eſt prior in intentione; & ideo hoc eſt tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit: Convertimini ad me*, non ſolum ut ſummum veſtrum bonum, quod fit per amorem ſpei; ſed etiam ut rerum omnium finem ultimum, propter quem creata ſunt omnia, & ad quem proinde omnes ſe ſuaque omnia referre debent; quod fieri non poteſt, niſi per amorem charitatis.

Com-

Complures tamen Theologi exiſtimant, ignorantiam in illo crepuſculo luminis naturalis poſſe pueros aliquamdiu excuſare. Quare Parentibus, Parochis, & Confeſſariis incumbit, pueros qui ad uſum rationis proxime accedunt, aut eum attigiſſe videntur, diligenter de obligatione amandi Deum admonere, & ad eum amandum excitare.

Certum etiam eſt, præceptum amoris Dei obligare in mortis articulo, ſeu in morali vitæ periculo. Nam ſi in principio vitæ moralis tenemur convertere nos ad Deum per amorem charitatis, a fortiori ad idem tenemur in termino illius moraliter inſtante : tunc namque tenetur homo quam tutiſſime ſaluti ſuæ conſulere ; tutius autem id facere non poteſt ac ſecurius, quam ſe ad Deum per amorem ſuper omnia erigendo. Hinc eſt, quod Paſtores juxta Eccleſiæ diſciplinam, actus fidei, ſpei & charitatis a moribundis exigere, & ad eliciendos ejusmodi actus excitare & adjuvare ſoleant.

Obligat præterea charitatis præceptum, cum tentationibus pulſamur, advertimusque charitatem in nobis tepeſcere, & animam noſtram amore ſui, vel rerum terrenarum prægravatam, excidere a ſua rectitudine ; tum enim maxime charitate erigenda eſt, exemplo illius, qui in ſimili periculo dicebat : *ad te Domine levavi animam meam*, Pſal. 24. ne ſcilicet carnalibus deſideriis conculcaretur.

Obligat inſuper, cum quis ſibi conſcius peccati mortalis, non habet copiam Sacerdotis, & tamen morali aliqua neceſſitate adigitur, vel ad celebrandum, vel ad miniſtrandum, aut ſuſcipiendum aliquod Sacramentum : tunc enim tenetur perfecte conteri, quod ſine actu charitatis non poteſt. Ubi adde, etiam eum teneri ad actum charitatis, qui verſatur in vitæ periculo, etſi conſcius ſibi non ſit peccati mortalis, etſi copiam habeat Confeſſarii : quia tunc, ut paulo ante dicebamus, tenetur ſaluti ſuæ conſulere modo ſecuriſ-

Digitized by Google

ſimo; quod non fit, niſi per actum charitatis, qui ſolus per ſe ſufficit ad ſupplendos defectus, ſi qui forte intervenerint in Sacramentorum ſuſceptione.

Denique tutius & probabilius videtur, eliciendos eſſe actus amoris Dei etiam extra dictos caſus, non ſemel, ſed frequentius intra annum, ita ut in æſtimatione prudentum homo diu non ſit, quin ad Deum ſe ſe per ejusmodi actus convertat. Hoc enim poſtulat ratio amicitiæ divinæ; hoc exigunt continua Dei beneficia; hoc requirit finis ultimus, ad quem nos noſtraque omnia identidem referre, non poſſumus non obligari; hoc denique non obſcure ſignificatur allatis ſupra ſcripturæ textibus. Neque enim fruſtra præceptum, quod tanti eſt momenti, ut ſit primum & maximum, latum eſt cum tanta ex parte Dei cautione; quodve hominum oculis & cordibus, ubique & ſemper obverſari, ac inſertum eſſe debet: non poteſt itaque ſine piaculo per longum tempus negligi. Imo ingratum ſe exhiberet homo, qui, cum continuis a Deo beneficiis cumuletur, diu ſtaret, quin ad ſuum benefactorem per charitatem ſe ſe converteret. Quænam autem in eliciendis charitatis actibus mora ſit graviter culpabilis, determinandum relinquimus prudentum judicio.

VI. *Quæres:* Quid ſit Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota fortitudine, ſeu ex totis viribus? Et num etiam modus iſte diligendi Deum cadat ſub præceptum?

Reſp. ad 1mum: Non unam apud omnes eſſe horum vocabulorum acceptionem. Juxta S. Thomam q. 43. art. 1. Deum diligimus ex toto corde, quando tota noſtra intentio fertur in Deum; ex tota mente, quando in omnibus rationes æternas conſulimus, & ad lumen fidei cuncta expendimus; ex tota anima, cum ſenſuum motus & appetitus ſecundum

dum Deum regimus; ex tota fortitudine, cum ob Dei amorem nec labor, nec difficultas nos deterret ab externorum operum executione. S. Bernardus Serm. 20. in Cant. paulo aliter accipit ejusdem præcepti vocabula: *Dilige*, inquit, *Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu; dilige tota rationis vigilantia & circumſpectione; dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimeſcas.* S. Auguſtinus lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 22. ita exponit præceptum illud, ut velit, totius cordis nomine intelligi omnes cogitationes, juxta illud Marci 7. v. 21. *De corde hominum malæ cogitationes procedunt;* & nomine totius animæ omnem vitam: *Diliges*, inquit, *Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipſa, quæ confers.*

Sed quantumlibet diverſa ſit apud diverſos acceptio horum vocabulorum, una eſt tamen omnium ſententia, hocce divino præcepto ab homine exigi, ut DEO ſummo bono ita per charitatem adhæreat, ut ipſum cæteris rebus omnibus *appretiative* anteponat, & ad eum tanquam finem ultimum omnia referat. Hanc enim *appretiativam* ſaltem prælationem exigit excellentia infinita bonitatis divinæ, quæ eſt motivum actuum dilectionis, ad quos nos obligat charitatis præceptum: & ratio finis ultimi, qui eſt ſolus Deus, a nobis requirit, ut in ipſum omnia omnino referamus. Hinc

Reſp. ad 2dum, Modum hunc diligendi Deum ex toto corde, ex tota mente &c. ſub idem dilectionis præceptum cadere. Etenim tum cadit etiam modus præcepti ſub præceptum, cum actus præceptus poni nequit ſine illo modo: quemadmodum attentio & devotio, e. g. quæ ſunt modi orationis, ſimul præcipiuntur cum ipſa oratione; quia verba prolata absque ulla attentione & pietatis affectu, non ſunt oratio.

oratio. Sed amor, quo quis Deum non plus diligeret, quam ſe ipſum, proximum, aut aliam creaturam, non eſſet amor Dei: quia amor Dei ex natura ſua eſt unio & adhæſio ad Deum tanquam ultimum finem, ad quem omnia referri debent: qui autem ſe ipſum, proximum, aut creaturam aliam præ Deo diligit; ſe ipſum, proximum, aut aliam creaturam pro ultimo ſibi fine conſtituit. Amor proinde iſtiusmodi non eſſet amor Dei, ſed ſui ipſius, proximi, aut creaturæ alterius. Igitur qui ita amaret, reus eſſet infracti præcepti, quo Deum ex toto corde, ex tota mente &c. diligere jubemur. Atque adeo ille diligendi modus cadit ſub primum Legis præceptum. Unde colligitur, effatum Theologorum, *modus præcepti non cadit ſub præceptum*, non extendi ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 44. art. 1. ad 1. niſi ad præcepta de virtutibus a charitate diſtinctis: *Puta*, inquit, *ſub hoc præcepto, honora Patrem tuum & matrem tuam, non cadit quod hoc ex charitate fiat.*

VII. At *Dices*: ſi ita eſt, nullus in hac vita poterit implere dilectionis præceptum. Diligere namque Deum ex toto corde, ex tota mente &c. ſecundum modum expoſitum eſt eum ita diligere, ut amplius diligi non poſſit; qui diligendi modus impoſſibilis omnino videtur. Ita Novatores, exiſtimantes concupiſcentiæ motum, quæ in omnibus etiam juſtis permanet, eſſe peccatum prohibitum præcepto illo, *non concupiſces*: ac proinde propter hujusmodi rebellionem carnis ad ſpiritum, non poſſe hominem toto mentis conatu in Deum ferri, atque adeo præceptum dilectionis Dei in hac vita impleri non poſſe; quin potius in omni opere quantumvis bono, hominem peccare ex omiſſione præcepti dilectionis Dei.

Errorem hunc magna ex parte refutavimus in Tractatu de Gratia. Ad præſentem autem objectionem reſpondemus, quod Deum diligere ex toto corde, ex tota mente &c. duplici

Digitized by Google

plici ſenſu intelligi poſſit: uno, ſi tanto charitatis ardore Deus diligatur, ut ardor ille vehementius intendi nequeat; & hoc modo Deum diligere non jubemur in hac vita, ſed pertinet id ad perfectionem charitatis in patria. Alio ſenſu, ſi præcipua cura ſtudiumque in Deo diligendo collocetur, ita ut nihil ei præferamus, aut æquemus, & parati ſimus contemnere quidquid ejus amicitiæ repugnat, & præſtare quidquid ejus amicitia poſtulat. Et hoc modo jubemur Deum in hac vita diligere. Qui diligendi modus certe poſſibilis eſt, licet extingui nequeat concupiſcentiæ lucta, & carnis adverſus ſpiritum rebellio, dummodo nihil appetatur illicitum: *aliud enim eſt totam non aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem*, inquit S. Auguſtinus Lib. de Spirit. & Lit. cap. ult. num. 65. Et S. Thomas 2. 2. Q. 24. Art. 8. Et Q. unic. de charitat. Art. 10. ad 4. ubi ait: *eſt autem de ratione charitatis, ut Deus ſuper omnia diligatur, & ut nullum creatum ei præferatur in amore*: qui enim Deo aliquid anteponit, non Deum, ſed illud potius ex toto corde diligit: qui autem Deo aliquid exæquat, Deum ex dimidio, non ex toto corde diligit.

Inſt. Ea eſt voluntas cujuslibet Legislatoris, ut lex ejus perfecte impleatur. Ergo Deus, utpote primus & ſapientiſſimus Legislator, nullam poteſt ferre legem, quæ perfecte & accurrate ſervari nequeat. Atqui præceptum, de quo eſt ſermo, perfecte ex dictis impleri non poteſt; ergo.

Reſp. Diſt. ant. Ut lex ejus perfecte impleatur, quantum ſubditorum facultas patitur *conc.* ultra quam patitur, *neg. ant.* Omnis quippe vera & juſta lex tendit in commune ſubditorum bonum; vergeret autem in evidentem eorum perniciem, ſi eſſet jugum intolerabile, & quod ab ipſis ferri non poteſt. Pariformiter *diſt. conſ.* Deus nullam poteſt ferre legem, quæ perfecte ſervari nequeat, perfectione pro-

pria hujusce ſtatus naturæ corruptæ, *conc.* perfectione, quæ ſperatur in patria cæleſti, *neg. conſ.*

Duplex itaque eſt charitatis perfectio; altera patriæ, altera viæ, ut paulo ante innuimus. Illa in omnimoda plenitudine conſiſtit: quia nulla ibi pugna, nulla lex in membris repugnans legi mentis, ſed prorſus toto corde, tota anima, tota mente Beati adhærent Deo. Iſta vero in progreſſu & continuo conflictu, ſimilis illi, qua miles anhelans ad victoriam ſtrenue dimicat. Prior perfectio proponitur ut finis & merces, ad quam tendere nos oportet. Altera præcipitur ut opus, quo promereamur tantum præmium. Finis autem præciſe ſumptus, ut obſervat S. Thomas Q. 44. Art. 6. præcipi non ſolet, ſed proponi. Quedmadmodum exercitus Imperator militibus proprie loquendo non imperat, ut victoriam reportent, ſed ut fortiter & ſtrenue pugnent, quo victores evadant. Unde miles non tenetur culpa, ſi victor non exſtiterit, modo acriter pugnando partibus ſuis non defuerit. Igitur viæ perfectio, quæ præcipitur, & ad quam aſſequendam Deus miſericorditer nos adjuvat, in eo conſiſtit, ut concupiſcentiæ, quæ habitat in membris noſtris, & reluctatur menti noſtræ, ad nullum opus malum conſentiamus; quod certe vires hominis divina gratia adjutas, & roboratas non ſuperat. Jure ergo meritoque Tridentina Synodus Seſſ. VI. cap. 11. & can. 18. damnavit Sectarios autumantes, mortalium neminem in hac vita poſſe præceptum charitatis implere.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Præcepto amoris proximi.

CUm Charitatis theologicæ ſecundarium objectum ſit proximus, de hoc quoque inſtituitur quæſtio; an vi præcepti divini diligendus a nobis ſit, & quænam ipſi dilectio impendi debeat? cumque nomine proximi etiam inimici veniant, num & ad iſtos charitatis præceptum ſe extendat, eodem hoc capite expendemus.

ASSERTIO PRIMA.

Unusquisque tenetur ex præcepto divino proximum ſuum diligere. Neque præcepto huic ſatisfit per ſolos actus externos, ſed interno affectu diligendus eſt proximus, & externa quoque amoris argumenta, ubi neceſſe fuerit, eidem exhibenda.

I. ASſertio tres partes complectitur. Prima eſt, præcepto divino unumquemque obligari ad diligendum proximum ſuum. Hoc nempe non uno in loco inculcant Scripturæ. Matth. 22. cap. poſtquam Salvator noſter propoſuiſſet præceptum diligendi Deum ex toto corde, in tota anima &c. illudque appellaſſet maximum & primum mandatum, ſubjunxit: *Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Et Joan. c. 15. idem Salvator ait: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Et infra: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Denique 1. Joan. c. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

Ratio autem eſt : quia cum Deum jubemur diligere propter ſe, jubemur etiam propter ipſum diligere quidquid ad ipſum pertinet, vel ut actu amicitiam ipſius poſſidens, vel ut ejus amicitiæ capax. Atqui proximus noſter ſic pertinet ad Deum. Ergo eodem charitatis præcepto tenemur amare Deum propter ſe, & proximum propter Deum. Propterea 1. Joan. cap. 3. dicitur: *qui non diligit* (proximum ſuum) *manet in morte;* quia nimirum non implet præceptum charitatis. Et cap. 4. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt;* quia ſi diligimus proximum noſtrum propter Deum, utique etiam ipſum Deum propter ſe diligimus, & ſic charitatis præceptum implemus.

Quamvis autem, cum de proximi dilectione agitur, quilibet ſeipſum primo loco intelligere debeat, ſpeciale tamen præceptum diligendi ſeipſum latum non eſt, ſed hoc in dilectione proximi comprehenditur: quoniam cum dictum eſt, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, ſimul & tui abs te dilectio non eſt prætermiſſa. Specialiter autem homini intimare mandatum diligendi ſeipſum ſupervacaneum videbatur: quia authore Apoſtolo ad Epheſ. 5. v. 29. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit*, ita ut ii quoque, qui corpus ſuum continentia & caſtigatione exercent, non tam id corporis odio agant, quam ne carnali concupiſcentia elatum rebellet adverſus ſpiritum, eundem deprimat, & inolita lege peccati captivet. Deinde, ille ſe ſatis diligit, qui ſedulo agit, ut ſummo & vero perfruatur bono; is quippe ſolus ſe novit diligere, qui Deum diligit. Niſi enim homo ſeipſum diligat, ut perfecto amore inhæreat Deo; erit amor, qui tantum differt a charitate, quantum a virtute vitium; eritque cupiditas radix malorum, quæ non habet Deum pro fine, ſed hominem. Appellari ſolet amor *proprius*, quo homo vel ſe, vel quæ ſunt extra ſe, diligit propter ſe. Ne ſubrepat tam perni-

cioſus amor, bona quæque creata ita in uſum ſunt aſſumenda, ut quidquid diligendum occurrit, non conſtringat impetum dilectionis, ſed hæc in ſummum bonum ut rivulus ad fontem pleniſſimum magis tendat.

Altera aſſertionis pars eſt, præcepto amoris proximi non ſatisfieri per ſolos actus externos, ſed eundem interiore cordis affectu diligendum eſſe: quod rurſus probatur ex Scripturis. Etenim verba, ex quibus conſtat præceptum charitatis in proximum, manifeſte exprimunt internum charitatis actum; hæc namque vox *diliges* motum animi ſignificat. Unde Auguſtinus aſſerit, interiorem animi motum eſſe charitati, ſive in Deum ſive in proximum eſſentialem: *Charitatem*, ait Lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 10. *voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe ac proximo propter Deum.* Deinde, unus quisque tenetur ex præcepto diligere proximum ſicut ſe ipſum. Sed unusquisque diligit ſe ipſum actu interno, ergo eodem tenetur diligere & proximum ſuum. Denique, præceptum affirmativum diligendi proximum præcipit actum, cujus contrarium prohibet præceptum negativum, quod illi reſpondet. Sed præceptum negativum reſpondens præcepto affirmativo diligendi proximum, prohibet odium proximi, cujus contrarium eſt actus internus, quo diligitur proximus. Ergo &c. Quapropter jure meritoque damnatæ ſunt ab Innocentio XI. ſequentes duæ propoſitiones: Prima: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Et ſecunda: *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

Tertia demum Aſſertionis pars eſt, præceptum charitatis in proximum obligare etiam ad actus externos, hoc eſt, ad beneficia, aliaque externa amoris argumenta, cum neceſſe eſt, proximo præſtanda. Chriſtus namque Joan. 15. dicit: *hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut ego dilexi*

lexi vos. Sed Chriſtus non ſolo actu interno nos dilexit, verum per varios actus externos, varia ſcilicet in nos beneficia conferendo, actum illum internum prodidit. Et 1. Joan. cap. 3. hæc habentur: *in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate;* id eſt, cum ſinceritate cordis, tum operum exhibitione. Quænam autem ſint hæc opera, novit quilibet etiam puerulus ex Chriſtiana Catecheſi: paucioribus verbis exprimi, & ad memoriam revocari nequeunt, quam vulgari Diſticho:

Viſito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.
Conſule, Carpe, Doce, Solare, Remitte, Fer, Ora.

Quæ omnia ad duo operum charitatis genera reducuntur: Primi generis ſunt ea opera, quibus proximo ſubvenimus neceſſitatem patienti in rebus temporalibus. Alterius ſunt illa, quibus eidem ſuccurrimus laboranti in rebus ſpiritualibus, & ad ſalutem pertinentibus. Præceptum igitur charitatis in proximum obligat nos ad diligendum hominem; qui cum conſtet corpore & anima, ope noſtra indigere poteſt, & ſecundum corpus, & ſecundum animam. Ergo obligat nos ad opem proximo, & in corporalibus, & in ſpiritualibus neceſſitatibus præſtandam.

II. Q*Uæres:* Quandonam obliget præceptum dilectionis proximi?

Reſp. Præceptum negativum, quo prohibetur omnis mala affectio & actio erga proximum, obligat ſemper & pro quolibet tempore: quia quod per ſe malum eſt, ſemper eſt prohibi-

hibitum, nec unquam licet illud velle, aut facere. Sed omnis mala affectio & actio erga proximum eſt res per ſe mala, utpote contraria huic præcepto: *Diliges proximum tuum;* item huic: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* Nam ex S. Thoma, præcepta affirmativa eo ipſo quod actus virtutis imperent, actus oppoſitos prohibent: filius e. g. qui patrem ſuum læderet, aut ſolo etiam animo ipſum contemneret, procul dubio peccaret contra præceptum illud, *honora patrem tuum.* Ergo & qui proximum ſuum lædit, aut odio in eum flagrat, peccat, & manet in morte, ut dicitur 1. Joan. 3. v. 14.

Præceptum vero affirmativum, quo jubemur non ſolum interiore cordis affectu, ſed & externis amoris argumentis proximum noſtrum diligere, non obligat pro quolibet tempore, ſicut nec præceptum amoris Dei; cum impoſſibile ſit in hac mortali vita, ut ſemper actu flagremus amore Dei, & proximi. Sed ad externos actus tunc ſolum obligat præceptum iſtud, cum proximus ope noſtra indiget, & nobis opitulandi facultas non deeſt. Ad actus vero dilectionis internæ obligat pro eo tempore, quo quis tentatur de odio proximi, de vindicta ſumenda, vel alia hujusmodi tentatione pulſatur, quæ aliter ſuperari moraliter non poteſt. Videtur præterea etiam tunc obligare, cum per externa beneficia proximo neceſſitatem patienti ſuccurrendum eſt. Cum enim interna dilectio præcepta ſit in bonum & utilitatem proximi, nec eidem prodeſſe poſſit per ſe præciſe, ſed ſolum per actus externos, quos imperat, atque adeo præcepta potiſſimum ſit propter actus externos; non poteſt non urgere ex natura ipſius præcepti, quoties urget obligatio actuum externorum, quibus re ipſa proximo ſubvenitur.

ASSER-

ASSERTIO SECUNDA.

Præceptum diligendi proximum etiam ad inimicos ſe ſe extendit.

III. PRob. Præceptum dilectionis expreſſum verbis illis, *Diliges proximum tuum*, univerſale eſt, & indefinitum: ergo extendit ſe ad omnes proximos. Atqui inimici ſunt proximi noſtri; quia habent nobiſcum communem naturam, eodem pretio redempti ſunt, eandem hæreditatem expectant. Unde Matth. 5. v. 44. Scribis interpretantibus ex Levitici capite 19. verſum 18. *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum*, de ſolis Judæis, ac ſibi ſanguine & progenie junctis, ait Chriſtus: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*: non novam legem ferens, ſed interpretans veterem, in qua præceptam eſſe etiam inimicorum dilectionem, haud obſcure colligitur ex capite 23. Exodi, v. 4. & 5. ubi præcipitur, inimici bovem aut aſinum errantem reducendum eſſe, & jacentem ſub onere ſublevandum: *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Infertur eadem inimicorum dilectio ex Matth. 6. v. 12. ubi oratione Dominica petitur debitorum dimiſſio ea pactione, ut pariter homo dimittat injurias odio habentibus. Eandem urget Paulus ad Rom. XII. v. 17. ac Petrus in priori Epiſtola c. 3. v. 9. Patres denique ac Theologi omnes, docentes teneri nos ad exhibenda inimicis communia dilectionis officia tam externa, quam interna.

IV. Un-

IV. Unde colligitur, charitatem, ſeu amorem inimico debitum, plura exigere ex parte noſtra.

Exigit nempe inprimis, ut inimicos nullo unquam tempore odio habeamus: quia præcepto negativo, quod ſemper & pro omni tempore obligat, prohibetur omnis mala affectio & actio erga proximum; ergo etiam erga inimicum, quem diximus eſſe proximum noſtrum. Hinc Joan. 1. c. 3. dicitur: *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt;* &c. Scripturam autem nomine fratris omnem proximum, atque adeo etiam inimicum intelligere, dubitari non poteſt.

Licitum tamen eſt inimicos Eccleſiæ odiſſe, malum temporale illis deſiderando eo fine, ut convertantur, vel ne Eccleſiæ noceant. Id enim non fit ex odio perſonarum, ſed ex affectu charitatis, vel erga ſalutem illarum, quod eſt perſonas ipſas vero charitatis amore proſequi; vel erga commune Eccleſiæ bonum; quod utrumque non modo licitum, ſed laudabile & meritorium eſt. Quin & proprio inimico malum aliquod temporale deſiderare ex ſincero affectu converſionis ejus, aut boni communis, cum id alia via procurari non poſſe judicaretur, non foret malum, ſed laudabile & honeſtum: quia etiam iſtud non fieret ex odio ipſius perſonæ, ſed ex vero charitatis affectu, vel erga inimicum ipſum, cujus bonum ſpirituale temporali commodo anteponendum eſt; vel erga bonum commune, ſive ſpirituale ſive temporale, quod temporali bono cujuscunque privati laudabiliter præfertur. Ab hujusmodi tamen deſideriis temperandum eſt iis præſertim, qui non multum adhuc in perfectionis via progreſſi ſunt; ſcilicet propter morale periculum, ne aliquis vindictæ affectus ſe ſe illis immiſceat.

Exigit præterea amor inimico debitus a nobis internum cordis affectum. Quia verbis his, *diligite inimicos veſtros*, eadem exprimitur obligatio, quam exprimunt verba illa, *diliges proximum tuum;* ſed verba hæc exprimunt gravem obligationem interiore affectu proximum diligendi, ut ſupra probatum eſt; Ergo. Hanc tamen cordis affectionem in caſu duntaxat neceſſitatis actu inimicis exhibere tenemur; nam extra neceſſitatis caſum ſatis eſt animum ad ea exhibenda, cum oportuerit, paratum habere. Satisfacit igitur præcepto charitatis erga inimicum, qui eum extra caſum neceſſitatis non excludit ab interno dilectionis actu, quo univerſim & in communi proſequi tenetur omnes proximos ſuos, & ſic paratus eſt eum diligere in particulari, cum occurret neceſſitas diligendi. Hæc eſt doctrina S. Thomæ 2. 2. Qu. 25. Art. 8. ubi ſic loquitur: *Poteſt conſiderari dilectio inimicorum in ſpeciali, ut ſcilicet aliquis in ſpeciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: & iſtud non eſt de neceſſitate charitatis abſolutæ; quia nec etiam moveri motu dilectionis in ſpeciali ad quoslibet homines ſingulariter, eſt de neceſſitate charitatis, quia hoc eſſet impoſſibile. Eſt tamen de neceſſitate charitatis, ſecundum præparationem animi, ut ſcilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in ſingulari inimicum diligeret, ſi neceſſitas occurreret.*

Exigit inſuper, ut inimicis demonſtrentur ea dilectionis ſigna & officia, quæ exhibemus proximis in communi. Si namque ab iis dilectionis ſignis excluderentur, hoc ad livorem vindictæ pertineret. *Sunt quædam ſigna vel beneficia dilectionis*, inquit iterum S. Thomas loco cit. art. 9. *quæ exhibentur proximis in communi, puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: & talia beneficia vel dilectionis ſigna inimicis exhibere, eſt de neceſſitate præcepti.*

Quin

Quin & ſpecialia dilectionis ſigna & officia ex præcepto charitatis tenetur quilibet exhibere inimico ſuo in caſu neceſſitatis, non extremæ duntaxat, ſed etiam gravis, ut ſcilicet impediatur grave malum, quod ei impendet. Tunc nimirum locum habet illud Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum ; ſi ſitit, da illi potum.* Salutationes quoque, colloquia, & alia hujusmodi benevolentiæ argumenta ipſi debentur, cum aut ex eorum omiſſione eſt periculum ſcandali, aut cum neceſſaria judicantur ad placandum inimicum, vel procurandum, ut ipſe odium deponat. *Unicuique enim mandavit Deus de proximo ſuo*, Eccl. 17. Et ſi aſinum, vel bovem inimici errantem ad ipſum reducere tenemur, multo magis ipſum errantem reducere debemus ad Deum Dominum ipſius, & noſtrum. Neque obtendere licet juſtitiæ legem, juxta quam qui læſit, non qui læſus eſt, prior obſequiis occupare tenetur : ſuperior namque eſt lex Charitatis, a qua nullus eximi poteſt, ut proximum ſuum diligat, id eſt, bene illi velit & faciat, quoties ope noſtra indiget.

Denique charitatis præceptum exigit, ut inimico injuriam ex animo remittamus, & omne odium interius deponamus, juxta illud Chriſti Matth. c. 6. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.*

Et ſi inimicus ipſe veniam petat, non ſolum offenſam remittere, ſed etiam benevolentiæ & reconciliationis ſigna eidem exhibere tenemur, habita tamen ratione circumſtantiarum, quæ variæ pro variis perſonis eſſe ſolent. Nam Pater, & quilibet Superior, juſtæ correptionis cauſa, ab amoris indiciis excludere poſſunt filium & ſubditum, reconciliationemque differre, modo intus in corde dimittant, & cha-

Digitized by Google

ritatem ſervent. Sic David Abſaloni veniam petenti ita indulſit, ut eum ad tempus videre noluerit, 2. Reg. cap. 14. Cavere tamen debent Patres & Superiores, exemplo Apoſtoli 2. ad Cor. 2. ne circumveniantur a Sathana, neve correctionis prætextu, vindictæ livore abripiantur: rigorem temperent, aperiantque charitatis viſcera, ubi ſalus pœnitentium poſtulaverit.

Quamvis autem inimico veniam petenti injuria ex animo remitti debeat, & neceſſe ſit aliqua ei reconciliationis ſigna exhibere; actionem tamen injuriarum & ſatisfactionem remittere ex præcepto non tenemur. Quia non ordo juſtitiæ, ſed ſolus appetitus vindictæ repugnat charitati; ac proinde præceptum charitatis non infringit, qui aut bonorum, aut fortunæ, aut honoris reſtitutionem, coram legitimo judice, ſervato juris ordine, absque livore vindictæ, & ex animo illatam ſibi injuriam remittens, expoſcit.

Quod ſi reus juſtam, ad prudentum arbitrium, ſatisfactionem offerat, charitas exigit, ut læſus ultro litem non intentet, ſed hujusmodi ſatisfactione contentus ſit, ne videlicet proximus litis ſumptibus oneretur. Niſi forſan expedire videatur, aut etiam neceſſe ſit, ſatisfactionem injuriarum petere coram Judice: ut ſi reus foret Reipublicæ noxius, & concives injuria afficere ſolitus: ſi gravis eſſet offenſa, nec privata ſatisfactio deleret infamiam, quæ in totam familiam recidit: aut ſi alioquin id neceſſarium videretur ad hoc, ut inimicus deinceps, & alii ad ejus exemplum, in officio contineantur. In praxi tamen, quoties agitur de privatis injuriis, ſatius eſt, ut accepta debita ſatisfactione, læſus pœnam aliam, præſertim ſi capitis ſit, aut mutilationis, a Judice non expoſcat. Quia valde periculoſum eſt, ne in ejusmodi actionibus injuriarum appetitus propriæ vindictæ ſubrepat, neve per ſpeciem tuendæ juſtitiæ, aut communis boni procuran-

Digitized by Google

curandi, revera privato dolori, plusquam æquum eſt, indulgeamus. Illud fuit ſemper conſilium Viris Evangelicæ perfectionis ſtudioſis, Dei honorem, & proximi injurias acriter vindicare, proprias vero patienter ſuſtinere.

CAPUT. IV.

De ordine Charitatis.

I. IN exercitio charitatis ordinem aliquem ſervandum eſſe, patet ex ipſa natura virtutis hujus, ad cujus propriam rationem pertinet, quod dilectio proportionetur objecto, quod diligitur; ut nempe non omnia eodem modo, vel æqualiter diligantur, neque unum ſupra, aut infra meritum, ſed unumquodque eo modo & ordine, quo diligi meretur. Unde cum Deus diligendus ſit ut ſummum bonum, ut principium & cauſa omnis beatitudinis, cætera vero ut ea, quæ nobiſcum communicant in beatitudine; & inter iſta rurſus aliquis ſit ordo; non debemus Deum, & alia a Deo, neque iſta inter ſe æquali dilectione, ſed ordinata, ſecundum uniuſcujuſque meritum diligere. *Cum in hoc contingat eſſe magnam diverſitatem*, inquit S. Thomas in 3. diſt. 29. art. 1. *& gradus diverſos, ſecundum quod unum eſt altero melius, vel magis propinquum; oportet, quod etiam actus dilectionis ordinem habeat ad hoc, quod ſit virtuoſus.* Ordo autem iſte, qui in charitate ſervandus eſt, debet eſſe non ſolum affectus, ſed etiam operis; ut id, quod ſecundum charitatis ordinem magis a nobis diligi meretur, vel ſecundum ſe, vel attentis circumſtantiis, non modo ſecundum affectum plus diligamus; ſed etiam plus pro illo, & propter illud opere ipſo præſtemus.

Unde, ex quo Deus ſuper omnia diligi meretur, extra omne dubium eſt, plus pro ipſo, quam pro quacunque creatura diligendo præſtare nos oportere: eo quippe nos charitas ducit, unde profecta eſt, & in uno Deo tanquam in fonte omnis boni conquieſcit. Sed quis tum in ſui ipſius, tum in proximi dilectione ſervandus ſit ordo, expendendum eſt in præſenti. Itaque

II. Q*Uæres 1mo.* quis ordo & modus ſervari debeat in amore ſui ipſius comparate ad bonum proximi?

Reſp. 1mo. Homo tenetur ex charitate magis providere ſibi, quam proximo in bonis ſpiritualibus. Quia univerſim homo tenetur ex charitate magis ſe ipſum diligere, quam proximum. Cum enim dicitur, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum;* dilectio hominis ad ſe ipſum proponitur ut exemplar dilectionis, quæ habetur ad alterum: ſed exemplar potius eſt, quam illud, cujus eſt exemplar: ergo homo debet ſe ipſum præ quocunque alio extra DEUM diligere. Cumque dilectio ſui ipſius reſpiciat præprimis partem hominis nobiliorem, ſcilicet animam, & ſpiritualia ipſius bona, puta, ſalutem æternam, & quæ ad eam neceſſaria ſunt, gratiam nempe ſanctificantem, auxilia & media ad gratiam hanc conſervandam, vel recuperandam; patet manifeſte, hominem teneri bona illa ſibi magis velle & ſtudioſius procurare, quam cuilibet proximo, imo quam toti mundo.

Unde deducitur, propter quodcunque bonum ſpirituale proximi non licere pati detrimentum & jacturam gratiæ, peccando etiam venialiter tantum. Quia juxta vulgatiſſimum illud, non ſunt facienda mala, ut eveniant bona: omne autem peccatum, hoc ipſo quod peccatum eſt, eſt natura ſua malum, nec in ullis unquam circumſtantiis evadere poteſt hone-

Digitized by Google

honeſtum & laudabile. Ergo nunquam licitum eſt peccare vel venialiter tantum, etſi procurari poſſet ſalus totius mundi, vel etiam impediri omnia peccata mortalia usque ad finem mundi comittenda.

Nec obeſt, de duobus malis minus eſſe eligendum; Deoque magis placere, ut vitentur omnia peccata mortalia, & totus mundus ſalvetur, quam ut quis non admittat veniale aliquod, puta leve mendacium.

Nam hoc de malis illis intelligi debet, quorum alterum neceſſe eſt te eligere; malum autem culpæ neque neceſſe eſt eligere, neque unquam eligi poteſt pro quantocunque aliorum bono. Hinc, licet Deo magis placeat ſecundum ſe, & abſtrahendo a circumſtantiis, ut vitentur omnia mortalia, totusque mundus ſalvetur, quam ut veniale aliquod non admittatur: non tamen Deo magis placet, ut a me per peccatum, etiam veniale tantum, id procuretur. Deus enim id omne, quod natura ſua malum eſt, prohibet mihi abſolute, & pro quacunque hypotheſi. Unde etiam eo caſu, quo mendacium leve a me prolatum, prævideretur fore occaſio ſalutis totius mundi, magis placet Deo, ut abſtineam a levi mendacio, quam ut illud admittendo, totius mundi ſalutem procurem; licet procurare totius mundi ſalutem ſit ſecundum ſe bonum incomparabiliter majus, quam vitare leve mendacium.

Nemo etiam tenetur, aut poteſt velle, privari propria beatitudine in perpetuum, ad procurandam ſalutem proximi. Nam hoc eſſet contra ordinem & inclinationem charitatis. Contra ordinem quidem; quia eſſet præferre ſalutem aliorum ſaluti propriæ: & contra inclinationem charitatis, quia cum hæc ſit amicitia hominis cum Deo, inclinat hominem ad deſiderandum uniri Deo, hic per gratiam, & in futuro

per

per gloriam. Deinde, illud ex charitate debemus nobis ſtudioſius procurare, quam proximo, quod Deus vult, ut nobis magis amemus, quam proximo: atqui Deus vult, ut magis amemus ſalutem noſtram, quam ſalutem proximi; ut patet ex verbis Chriſti, Matth. c. 16. *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

Dices: Exod. 22. v. 31. Moyſes ſic Deum pro populo deprecatur: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo.* Volebat ergo Moyſes ipſe privari beatitudine, ut ad eam proximus perveniret. Et Apoſtolus ad Rom. 9. v. 3. *Optabam*, inquit, *ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.* Atqui id non optaſſet, ſi non ex charitate optare potuiſſet.

Reſp. Moyſem vel hyberbolice locutum fuiſſe, ad ſignificandum videlicet ardentiſſimum ſuum amorem erga ſalutem populi; vel, ut aliqui volunt, non fuiſſe locutum de libro vitæ æternæ, ſed vitæ præſentis; quaſi diceret, aut dimitte eis &c., aut interfice me cum illis. Quod colligere ſe putant ex ſequentibus Dei verbis: *qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo;* de libro autem æternæ prædeſtinationis nemo deleri poteſt.

Ad alterum de Paulo reſpondet S. Thomas 2. 2. Q. 27. Art. 8. ad 1. *per hoc*, inquit, *non oſtenditur, quod Apoſtolus plus diligeret proximum, quam Deum; ſed quod plus diligeret Deum, quam ſe ipſum. Volebat enim ad tempus privari fruitione divina, quod pertinet ad dilectionem ſui, ad hoc, quod honor Dei procuraretur in proximis, quod pertinet ad dilectionem Dei.* Paulus itaque optans eſſe anathema, cupiebat ad tempus privari beatitudine ſua, ut ex converſione Judæorum major Dei gloria promoveretur. Alii dicunt, Paulum precatum ſibi anathema hypothetice, *ſi*

modo

Digitized by Google

modo fieri poſſet, pro Dei gloria, ut ceſſarent Judæorum convitia. Ita Chryſoſt. in Paulum Tom. 1. ut proinde ſenſus Pauli ſit: optarem diſcindi a Chriſto pro ejus gloria, ſi per legem, juſtitiamque liceret; in quibus non deſiderium reprobationis apparet, ſed amoris vis & vehementia.

III. *Reſp. 2do.* Quilibet ex charitate tenetur proximum magis diligere in ſpiritualibus, quam ſe ipſum in temporalibus. Nam anima proximi magis amari meretur ſecundum rectam rationem, quam corpus proprium: quia per eam Deus magis glorificatur, quam per corpus; ipſa capax eſt actuum beatificorum, quibus poſſidetur Deus, non item corpus; ipſa modo longe præſtantiori quam corpus participat bonitatem divinam, quæ eſt motivum charitatis. Adde, quod unusquisque teneatur diligere proximum ſicut ſe ipſum: ſed ſe ipſum tenetur magis diligere ſecundum animam, quam ſecundum corpus; ergo ſimiliter.

Hinc ſequitur, ex charitate teneri nos, non ſolum cum bonorum temporalium, ſed etiam cum vitæ periculo ſubvenire proximo de ſalute æterna extreme periclitanti. Hoc enim præcepit Dominus, cum dixit Joan. 15. cap. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos:* nam Chriſtus ita dilexit nos, ut vitam ſuam corporalem pro animarum noſtrarum vita dederit. Unde Joannes Apoſtolus Epiſt. 1. cap. 3. *Ille*, inquit, *animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere;* quæ divina lex, ſi in extrema neceſſitate non obliget, nusquam obligabit. Ratio autem eſt: quia licet corpus ſit pars noſtri, magis tamen ſpectari debet ut quid ad nos pertinens, quam nos ipſi. Atqui proximum magis diligere tenemur, quam ea, quæ ad nos pertinent; alias illum non diligeremus ſicut nos ipſos. Ergo ut amor proximi ſit ad ſimilitudinem amoris, quo nos ipſos proſequimur, neceſſe eſt, ut, ſicut parati ſumus cor-

Digitized by Google

pus temporaliter amittere pro ſalute æterna animæ noſtræ, & ſicut in extrema proximi neceſſitate bona noſtra, quæ dicuntur fortunæ, largimur pro corporali ejus ſalute; ita in pari neceſſitate ſanguinem noſtrum effundamus pro æterna illius animæ beatitudine.

Dixi in extrema neceſſitate. Nam extra ejusmodi caſum non teneor ex charitate cum vitæ meæ periculo ſubvenire proximo, etiam de æterna ſalute periclitanti. Tunc enim, cum neceſſitas non ſit maxima, charitas non me obligat, ut ſubveniam proximo cum jactura ſummi boni corporalis, ut ſentiunt communiter Doctores. Paſtores tamen tenentur ex juſtitia etiam cum periculo vitæ ſubvenire ovibus ſuis de ſalute ſpirituali graviter periclitantibus, ſi certa ſit ſpes illas adjuvandi. Quo pertinet illud Chriſti Joan. cap. 10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.*

In neceſſitate autem communi, in qua quis propriæ ſaluti facile conſulere poteſt, ne dum propriam vitam, ſed nec bona temporalia pro bono ſpirituali proximi perdere tenemur; quia neceſſitas illa plane voluntaria eſt in proximo, cum ex ea facile ſe expedire poſſit, ut ſupponitur. Hinc viator non tenetur ſe tradere poteſtati prædonis, cum poſſit ſe defendere, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, ne forte in periculoſo conflictu ille cadat, & moriatur in ſtatu peccati mortalis; quia ſola propria malitia prædonem conſtituit in ejusmodi neceſſitate.

IV. *Reſp. 3tio.* In eodem genere bonorum & neceſſitatum temporalium, quilibet ſecundum ordinem charitatis poteſt ſibi potius providere, quam alteri privato. Nam in eodem genere bonorum & pari neceſſitate homo non tenetur magis diligere proximum, quam ſe ipſum; quin e contra univerſim

verſim loquendo ordinata charitas exigit, ut ſe ipſum magis diligat quam proximum; cum, ut ſupra diximus, in præcepto charitatis dilectio hominis ad ſe ipſum proponatur ut exemplar dilectionis, quæ haberi debet ad proximum. Dixi, in eodem bonorum & neceſſitatis genere: nam aliud erit, ſi proximus neceſſitatem patiatur in bonis temporalibus majoris momenti, aut ſi in eodem bonorum genere majorem quam ego neceſſitatem patiatur: ſed de his tractari ſolet, ubi agitur de Eleemoſyna. Illud hic dumtaxat obſervo, triplicem hoc loco diſtingui neceſſitatem; nempe communem, gravem, & extremam. Communis eſt ea, in qua non habentur, nec labore comparari poſſunt neceſſaria quæque ad victum & veſtitum; talis eſt quotidiana mendicantium neceſſitas. Gravis, quæ hominem e ſtatu ſuo dejiceret, niſi ſuppetiæ ei afferrentur. Extrema, in qua homo, e. g. ægrotus derelictus, mortem effugere nequit, niſi ei ſubveniatur. Ordo igitur charitatis exigit, ut proximus in communi neceſſitate conſtitutus, adjuvetur ex bonis ſuperfluis: in gravi ex bonis ſtatui noſtro abſolute non neceſſariis, ſed ſolum neceſſariis ad honeſtatem, ac decentiam ſtatus conſervandam: in extrema denique etiam ex abſolute neceſſariis ad conſervationem ſtatus, modo ea neceſſaria non ſint ad conſervandam vitam propriam.

Utrum vero homini liceat vitam ſuam exponere pro ſervanda proximi vita, diviſi ſunt inter ſe Doctores, nonnullis affirmantibus, aliis negantibus. Conciliari tamen poſſe videntur, ſi diſtinguatur modus & finis, quo quis vitam ponit pro vita proximi ſui. Vel enim quis eam ponit ita, ut nihil aliud ſpectet, quam vitam, & vitam: vel vitam ſuam ponendo ſpectat honeſtatem amicitiæ moralis: vel certe ſpectat bonum charitatis Chriſtianæ, ſeu ſpiritualem proximi ſalutem.

 Primo

Digitized by Google

Primo modo non licet vitam propriam pro aliena exponere: hoc enim eſt contra ordinem charitatis, qua quisque tenetur magis diligere ſe ipſum, quam alium. Unde S. Auguſtinus Lib. de Mendacio, c. 6. ut oſtendat ex præcepto charitatis diligendi proximum, ſicut ſe ipſum, non inferri, hominem poſſe mentiri, ad tuendam vitam proximi, ita ratiocinatur: *Quomodo ergo quisque diligit tanquam ſe ipſum, cui, ut præſtet vitam temporalem, ipſe amittit æternam? Quandoquidem ſi pro illius temporali vita ſuam ipſam temporalem perdat, non eſt jam diligere ſicut ſe ipſum, ſed plus quam ſe ipſum; quod ſanæ doctrinæ regulam excedit. Multo minus igitur æternam ſuam pro alterius temporali, mentiendo amiſſurus eſt.* Cenſet ergo S. Doctor, vitam propriam pro vita præciſe temporali alterius perdere, eſſe diligere proximum plus, quam ſe ipſum, & excedere ſanæ doctrinæ regulam; præſertim quod, ſi id fiat, quin vel bonum charitatis Chriſtianæ, vel amicitiæ ſaltem moralis honeſtas ſpectetur, neceſſe ſit pravum aliquem affectum intercurrere, deſperationis, oſtentationis, aut alium ejusmodi.

Secundo modo, inter Ethnicos nonnulli leguntur vitam propriam pro amicis dediſſe, ex honeſtate videlicet virtutis moralis, quam ſolam agnoverunt. Quod tamen Chriſtianis licitum non eſſe videtur, utpote qui amplius aliquid ſpectare debent honeſtate mere morali, nempe vitam æternam, ejus bona, & quæ ad ipſa aſſequenda conducunt.

Tertio demum modo licitum & laudabile eſſe, exponere vitam ſuam pro vita alterius etiam privatæ perſonæ, cenſent plerique; ſi nempe vel hoc cedat in bonum commune, eo quod alter ille exiſtimetur eſſe admodum utilis Reipublicæ: vel ſi hoc fiat ex amore vitæ ipſius ſpiritualis, ut ſi ille, pro cujus vita quis ſuam ponit, foret in ſtatu damnationis, & ſi ſuperſtes maneat, ſperaretur converſio: vel alio quocunque

ſuper-

Digitized by Google

ſupernaturalis charitatis motivo. Et ita intelligendus eſt S. Thomas in 3. diſt. 29. art. 5. ad 3. ubi ait: *Tradere ſe ipſum morti propter amicum, eſt perfectiſſimus actus virtutis: unde hunc actum magis appetit virtuoſus, quam vitam propriam corporalem. Unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponat, non contingit ex hoc, quod aliquis plus amicum, quam ſe ipſum diligat: ſed quia in ſe plus diligit quis bonum virtutis, quam bonum corporale.* Et hac q. 26. art. 5. ad 3. *Non eſt de neceſſitate charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi, niſi in caſu, quo tenetur ejus ſaluti providere: ſed quod aliquis ſponte ad hoc ſe offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.* Huc quoque pertinere videtur illud Joan. 15. v. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

V. Q*Uæres 2do:* Quis ordo charitatis ſervandus ſit inter proximos?

Reſp. In exercitio charitatis erga proximum eum ordinem ſervandum eſſe, quem exigit carnis, aut amicitiæ, aut ſocietatis, aut alterius vinculi conjunctio, quæ inter amantem & amatum intercedit. Regulam hanc tradit S. Auguſtinus in Lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 27. Sic enim loquitur: *ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte junguntur: ſicut enim ſi tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari poſſet, ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua neceſſitate ſuperaret; nihil juſtius faceres, quam ut ſorte legeres, cui dandum eſſet, quod dari utrique non poſſet: ſic in hominibus, quibus omnibus conſulere nequeas, pro ſorte ha-*

bendum eſt, prout quisque tibi temporaliter colligatius adhærere potuerit. Hinc inferes

Primo, in eodem genere bonorum & in pari neceſſitate, qui nobis ſanguine juncti ſunt, eos extraneis præferendos eſſe. Quia illis tenemur potius beneficium conferre, quos tenemur magis diligere: charitas enim interior proximi præcipitur in ordine ad externa beneficia. Atqui ſanguine nobis junctos tenemur magis diligere, quam extraneos: quia juxta Sanctum Thomam Q. 26. Art. 7. fervor & intenſio dilectionis eorum, qui poſt Deum diligendi ſunt, ſumi debet per comparationem ad diligentem: ergo quanto quisque eſt diligenti conjunctior, tanto intenſius eſt diligendus. Hinc illud Apoſtoli 1. ad Timoth. cap. 5. *ſi quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

Dixi, in eodem bonorum genere & pari neceſſitate: nam ſi extraneus ſit in neceſſitate gravi, conſanguineus vero in communi tantum; aut ſi uterque in eadem ſit gravi neceſſitate, ſed extraneus in ſpirituali, conſanguineus vero in corporali; ſubveniendum eſt potius extraneo, quam conſanguineo. Ratio eſt: quia ſicut magis teneor diligere proximum in ſpiritualibus, quam me ipſum in corporalibus; ita & magis diligere teneor extraneum in ſpiritualibus, quam conſanguineum in corporalibus, ſi par ſit utrinque neceſſitas. Similiter, ſicut magis diligere debeo proximum, quam me ipſum etiam in corporalibus, quando extremam aut gravem, quam ego non patior, ille patitur neceſſitatem; ita & magis diligere debeo extraneum, quam ſanguine junctum in corporalibus, quando extremam aut gravem, quam ſanguine junctus non patitur, extraneus patitur neceſſitatem.

Secun-

Secundo, ex ſanguine junctis conjunctiores, & ex æque junctis digniores, ſeu aliquam in ſanguinis conjunctione eminentiam habentes præferendi ſunt in eodem genere bonorum & neceſſitatum. Parentes proinde præferendi filiis: quia præter communionem ſanguinis, rationem habent principii, adeoque eminentioris boni. Ob eandem rationem Parentes præferendi ſunt etiam uxori: quamvis enim maritus & uxor conjugali vinculo ſibi arctiſſime juncti ſint; in parentibus tamen eminentior eſt bonitas, quam in uxore, ſcilicet ratio principii, longe majora etiam ab iis accepta beneficia. Pater item præferendus eſt matri, utpote qui nobiliori modo principii rationem obtineat. Uxor præferenda eſt filiis; quia vinculum matrimonii conjuges tam arcte conjungit, ut juxta illud Geneſ. cap. 2. ſint duo in carne una; filii vero ſint partes duntaxat ex genitore deciſæ. Filii denique ſunt præferendi Patruis, & hi cognatis; quia major eſt ſanguinis conjunctio cum prioribus.

Univerſim ergo, in pari neceſſitate, & in eodem bonorum genere, prius conſulere debemus nobis, deinde propinquis juxta gradum propinquitatis; & poſtmodum cæteris ſecundum varias neceſſitudines amicitiæ, ſocietatis, alteriusve honeſti vinculi. Ubi vero diſpar neceſſitas fuerit, aut in diverſo bonorum genere; diverſus quoque ſervandus erit charitatis ordo, ſecundum ea, quæ præcedente numero adnotavimus. Atque iſte quidem charitatis ordo ita diligentibus neceſſarius eſt, ut ſine eo vera & Chriſtiana dilectio conſiſtere non poſſit: *Ille*, inquit S. Auguſtinus Lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 27. *juſte & ſancte vivit, qui rerum integer æſtimator eſt: ipſe eſt autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut aliquid, quod non eſt diligendum, aut amplius diligat, quod minus eſt diligendum, aut æque diligat,*

quod

quod vel minus, vel amplius diligendum eſt, aut minus vel amplius, quod æque diligendum eſt.

CAPUT ULTIMUM.

De Amore, ut vocant, puro, ſeu Quietiſmi, & indifferentiæ.

I. Circa puritatem & perfectionem charitatis tam abſurdi non ita pridem enati, vel potius reſuſcitati ſunt in Eccleſia errores, ut ab iſtius quæſtionis examine nefas ſit abſtinere; præterquam quod errorum illorum refutatio magnam ſit lucem allatura iis, quæ ad eſſentiam & naturam charitatis pertinent, & a nobis ſuperioribus capitibus expoſita ſunt.

Poſt damnatos igitur anno 1311. in Viennenſi Concilio Begardorum errores; poſt extinctam, quæ circa annum 1623. Hiſpali eruperat, Illuminatorum ſectam; poſt præciſum anno 1656. ſurculum vetuſti erroris, quo aliqui adeo ſe in Dei amore profeciſſe jactabant, ut quamdam ſpiritus libertatem nacti, quidquid agerent, nunquam a charitate deflecterent; erupit idem error, peſtiferumque venenum effudit, duce Michaele Molinos Presbytero Hiſpano; qui cum Romæ commoraretur, ſub ementita devotionis ſpecie, eximii animarum Directoris ſibi famam comparaverat, fucum faciens non plebi modo, ſed & pleriſque Cardinalibus, ipſique Summo Pontifici Innocentio XI. donec depoſita larva, detectaque fraude, nefaria ipſius dogmata idem Summus Pontifex proſcripſiſſet in Bulla *Cœleſtis Paſtor*, emanata die 20. Novembris anno 1687.

Perni-

Pernicioſum is *Quietiſmi* ſyſtema ſtructurus, præter plurima alia infamia ac portentoſa dogmata, aſſeruit, annihilandas eſſe potentias animæ; hanc non debere in aliquo opere active ſe gerere; ſed totam regendam committere divinæ voluntati; nihil ab ea petendum, omnemque ſolicitudinem propriæ ſalutis, ſpem, timorem, deſideria quæque virtutum deponenda; non debere animam cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiſo, nec de inferno; nec de morte, nec de æternitate; atque in ejusmodi quietis & indifferentiæ ſtatu, animam orare poſſe etiam dum ſomno abripitur; dum impuræ occurrunt cogitationes, etiamſi non expellantur, ſed cum indifferentia & reſignatione tolerentur; imo dum aut dæmonis inſtinctu, aut alterna maris & fœminæ ſollicitatione carnales actus exercentur; propterea quod hæc omnia, licet contingant in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, non commaculent ſuperiorem partem illius, qui ſemel Deo proprium ſubjecit arbitrium.

Decennio poſt Michaelis Molinos damnationem, ſcilicet anno 1697. in lucem prodiit liber Gallice inſcriptus, *Explication de Maximes des Saints ſur la vie interieure*, authore Franciſco de Fenelon Cameracenſi Antiſtite, Viro politi quidem & elegantis ingenii, ſed in rebus Theologicis parum verſato; qui quamvis in fœdos illos & abſurdos Molinoſii errores prolapſus non ſit, ejus tamen Quietiſmum fovere ac promovere conatus eſt. Docuerat namque eo in libro, dari ſtatum quemdam *habitualem* amoris Dei, ſeu ſtatum ſanctæ indifferentiæ & charitatis *puræ*, ſine ulla admixtione motivi proprii *intereſſe*; in quo neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habeant amplius partem; in eo non amari amplius Deum propter meritum, neque propter perfectionem, nec propter felicitatem in eo amando inveniendam: dari extremas probationes, in quibus non ſolum

ſpes omnis amittitur, verum etiam poteſt anima invincibiliter credere, ſe eſſe juſte reprobatam a Deo, & tunc myſtica morte quaſi a Deo derelictam cum Chriſto in cruce ſpirare: iſtam tamen perturbationem fieri in inferiori hominis parte cœca & involuntaria paſſione, ita ut in ſuperiori regnet charitas, dum inferiorem percellit deſperatio.

In hoc ſyſtema merito inſurrexerunt nonnulli Præſules Gallicani, ac potiſſimum Benignus Boſſuetus Meldenſium Epiſcopus in libro, quem Gallice inſcripſit, *Inſtruction ſur les etats d'oraiſon*, gravique cenſura perſtrinxerunt Cameracenſis Archi-Epiſcopi errorem, quo tempore plura utrinque ſcripta in publicum ſparſa ſunt; dum cauſa ad Sedem Apoſtolicam perlata, Innocentius XII. anno 1699. Conſtitutionem edidiſſet in forma Brevis, qua proſcriptæ fuerunt viginti tres propoſitiones ex libro illo excerptæ. Fuit hæc Conſtitutio ſolemniter publicata in Regno, & ab omnibus Epiſcopis adoptata; cui & humillime ſe ſubmiſit propoſitionum damnatarum auctor, erroremque ſuum palam, & e ſuggeſtu reprobavit. Ad mentem igitur tum Conſtitutionis hujus, tum alterius, quam contra Molinos ab Innocentio XI. latam eſſe diximus, ſit ſequens

ASSER-

Digitized by Google

ASSERTIO.

Status puri amoris, & indifferentiæ, in quo nec timor pœnarum, nec deſiderium remunerationum ullum amplius habeat locum; nullamque anima gerat propriæ ſalutis curam, ſed veluti a ſemet ipſa diviſa, unice ſe Divinæ voluntati committat, fanatiſmus eſt, non charitatis perfectio.

II. PRobatur: Hæc de amore puro doctrina plurima in ſe continet pernicioſa, erronea, Evangelio, & Catholico dogmati plane contraria. Atque ut præcipua dumtaxat attingamus, ex quorum refutatione ſincera charitatis perfectio eo magis eluceſcat; in eo ſyſtemate ſpes Chriſtianorum nullum amplius locum habet: ajunt enim hi Pſeudo-Myſtici, perfectos in eo habitualis & puri amoris ſtatu Deum unice conſiderare prout eſt in ſe, eumque diligere ſine ullo reſpectu ad ſe ipſos; ita ut ſi anima tunc Deum conſideraret ut ſibi bonum, & ut beatificantem, jam actus ille non foret perfectus, ſed infectus mixtione proprii, ut ajunt, *intereſſe*. Unde aperte ſequitur, nullam in perfectis ſpem remanere, eorumque perfectioni plurimum obeſſe, ſi quodam beatitudinis æternæ motivo excitarentur ad Deum amandum; quod falſum & maxime erroneum eſt, quia Scripturis, Patribus, & communi Theologorum ſenſui manifeſte repugnans.

Scripturis quidem, quæ innumeris in locis inculcant, ſpem neceſſariam eſſe omnibus, perfectis æque ac imperfectis; Deum a nobis diligi oportere, non ſolum quia in ſe eſt ſumme perfectus, ſed etiam ut ſummum hominis bonum, ut æterna ipſius beatitudo, ut Salvator, Remune-

rator &c. adeo, ut ejuſmodi motiva nedum imminuant charitatis perfectionem, ſed eam contra plurimum augeant. Hinc Joan. 3. dicitur: *Sic Deus dilexit Mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Et 2. ad Cor. c. 5. *Charitas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Ubi Chriſtus vera charitate diligendus proponitur, ut amator hominum & Salvator, ex quo neceſſe eſt, ut motivum gratitudinis charitatem perficiat.

Proponitur præterea paſſim juſtis atque perfectis etiam motivum beatitudinis, quo fortius excitentur ad actus amoris eliciendos. Sic Geneſ. 15. Deus dicit Abrahamo: *Ero merces tua magna nimis.* Exod. 33. ait Moyſi: *Oſtendam tibi omne bonum.* Et Deuteron. 6. cum magnum præceptum tradit, hoc ipſum proponit beatitudinis motivum: *Audi Iſrael, & obſerva ut facias, quæ præcepit tibi Dominus, & bene ſit tibi.* Propterea David Pſal. 118. v. 112. dixit: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.* Similiter in novo Teſtamento Chriſtus ipſe Apoſtolos excitat ſpe mercedis in altera vita præparatæ, Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Luc. 10. *Gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in Cælis.* Hoc ipſum eſt quod nos docuit Matth. 6. v. 10. petere verbis illis Orationis Dominicæ, *Adveniat regnum tuum:* & v. 33. præcipit, *nos quærere primum regnum Dei.* Quis dixerit ejuſmodi precationem, aut præceptum non niſi ad imperfectos pertinere? appoſita maxime ſunt ad rem præſentem, quæ ſcribit S. Joannes Epiſt. 1. cap. 4. *In hoc perfecta eſt*, inquit, *charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Spes igitur futuræ beatitudinis, quæ dabitur in die judicii, perficit charitatem.

Idem

Idem in ſingulis fere paginis ſcribit S. Paulus. Ad Coloſſ. 1. cap. 4. v. 5. *audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem, quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cœlis.* Ad Tit. cap. 2. *expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei.* Ad Philipp. cap. 3. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti . . . ad cognoſcendum illum & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius configuratus morti ejus . . . ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei &c.* Et ne quis cum recentioribus his Myſticis dicat, ea non niſi imperfectos ſpectare, ſubjungit Apoſtolus: *quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Ex quibus manifeſte ſequitur, motivum beatitudinis ex mente Apoſtoli aptiſſimum eſſe ad excitandam, augendam, & perficiendam charitatem, etiam in viris ſpiritualibus & in virtute perfectiſſimis.

In eundem ſenſum loquuntur & ſancti Patres: Ambroſius Lib. 5. in Lucam cap. 6. *ſtudia virtutum ſine remuneratione torpeſcunt.* Auguſtinus Sermone 345. *O, tu homo, ſi titubas in re, eſto firmus in ſpe; ſi autem te opus turbat, erigat ipſa merces.* Et Eccleſia univerſa in Natali Martyrum ita canit: *Tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia, ut hæredes fierent in domo Domini.* Hinc & Concilium Trident. Seſſ. 6. cap. 11. docet, juſtos excitari potiſſimum per æternam mercedem ad Deum magis glorificandum. Et cap. 16. expreſſis verbis declarat, juſtis proponendam eſſe beatitudinem tanquam mercedem, ut inde accendantur ad perſeverandum. Ac demum Can. 31. anathema dicit iis, qui dixerint, *juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.* Finis quippe bonorum operum eſt vita æterna, & hunc finem non ſibi conſtituit perverſa cupi-

ditas, ſed ſtatuit divina liberalitas, proponit Evangelium, inquirit fides, præſtolatur ſpes, & inviolata juſtitia rependit. Quis autem dixerit nefas eſſe hunc ſibi finem præfigere, tot tantisque titulis commendatum.

Denique Theologi omnes, quamvis doceant objectum charitatis eſſe Deum ut in ſe conſideratum, admittunt tamen unanimi conſenſu, eum etiam ut beatificum, ſeu ut nobis bonum, & noſtram beatitudinem ab eadem charitate ſpectari, & ipſius eſſe objectum ſaltem ſecundarium, quemadmodum a nobis ſupra oſtenſum eſt Cap. I. Num. IV.

III. Alterum pernicioſi illius ſyſtematis principium eſt, animam in ſtatu puri amoris & indifferentiæ poſſe invincibiliter credere, ſe eſſe reprobatam a DEO, nec ullum in illo ſtatu habere ſuæ ſalutis deſiderium, ſed perfecto ſacrificio ſimpliciter aquieſcere jacturæ ſuæ beatitudinis, modo perſuaſum ei ſit, ſic ferre ſupremam Dei voluntatem.

At ejusmodi ſacrificium eſt rei natura ſua malæ: jactura namque ſalutis non pœnas inferni tantum, ſed etiam odium Dei complectitur; atque adeo nulla in ſuppoſitione animæ, non dico, perfectæ, ſed nec imperfectiſſimæ permitti poteſt. Eſt præterea realis ac verus deſperationis actus, ac proinde graviſſimum adverſus ſpei virtutem peccatum, a quocunque etiam maximo peccatore evitandum. Licet enim Deus voluntate, quam *Beneplaciti* vocant, nonnullos pœnis æternis addicere velit, & negare ſingulare perſeverantiæ donum; nusquam tamen pro morum noſtrorum regula æterna illa & occulta ſua Decreta propoſuit nobis, ſed unam, quam *Signi* dicunt, voluntatem: at ea *Signi* volun-

Digitized by Google

voluntate vult, præcipitque, ut æternam ſalutem ſincere velimus, ut ab eo per Chriſti merita ſemper eandem æternam ſalutem ſperemus; ut media, quæ ad eam comparandam neceſſaria ſunt, ab illo inſtanter flagitemus.

Derelinquit quidem ad tempus cœleſtis ſponſus; ſubtrahitque conſueta ſpiritualis dulcedinis argumenta, incuſſo nonnunquam reprobationis timore, prædilectis ſibi animabus; quemadmodum feciſſe legitur Florentinæ Sanctimoniali S. Mariæ Magdalenæ de Pazziis. At id præſtat, ut tentationibus vexatæ præbeant exempla humilitatis ac patientiæ; neque illas penitus deſerit. Quare S. Thereſia cap. 17. Vitæ ſuæ ait, nunquam Chriſti ſponſam, animam charitate flagrantem, ſive in Cœlum, ſive in infernum absque ſponſo cogitatione deferri. Non igitur purificatur amor certa perſuaſione reprobationis; hoc enim eſt Caini & Judæ peccatum, charitatem non purificans, ſed extinguens. Ea proinde derelictio, qua anima *puro* affecta amore etiam deſperando, ac ſe reprobatam invincibili perſuaſione credendo, ſuperiori parte ſponſo adhæreat, inferiori ſpiret atque tabeſcat, fanatismus eſt, non charitatis perfectio.

IV. Tertium, quod cum prioribus atque adeo cum ipſo Quietismi ſyſtemate indivulſe conjunctum eſt, longe perniciosius videtur: ſcilicet animam perfectam in ſtatu ſanctæ indifferentiæ ita conquieſcere debere, ut omnem abjiciat propriæ ſalutis curam. Id expreſſe legitur in duodecima Molinoſii propoſitione, quæ ſic habet: *Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiſo; nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet.* Quomodo poterat

Digitized by Google

poterat in hominis mentem venire, niſi inſpirante dæmone, nefarium ejusmodi dogma? Sane mirum non eſt, Quietiſtarum Coriphæum Michaelem Molinos ſpurcitiis etiam craſſiſſimis ſe totum dediſſe, cum axioma apud ipſum eſſet, ea omnia abjicienda eſſe media, quibus unice fremens concupiſcentia comprimitur. An hæc eſt illa *ſimplex perfectio Evangelica*, qualem Cameracenſis Antiſtes appellat in damnata propoſ. 22. quæ aperte adeo Evangelio adverſatur; in quo diligentibus Deum præſcribitur obſervantia mandatorum Joan. 14. ac inter mandata connumerantur fides, ſpes, charitas, pœnitentia, oratio, jejunium, aliaque virtutum officia a charitate imperata. Et ad Rom. 12. hæc dicitur eſſe voluntas Dei, ut habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, ſimus *ſolicitudine non pigri; ſpiritu ferventes; Domino ſervientes; ſpe gaudentes.* Itaque quisquis in ſtatu indifferentiæ pigritiam, teporem, ignaviam, deſperationem, aut turpitudinem aliquam approbat, ſpecioſo charitatis nomine transgreſſionem Divinæ legis & voluntatis condecorat.

V. Quid vero dicemus de Oratione *quietis*, quam hi Pſeudo-Myſtici invehere conati ſunt. Non diffitemur, dari aliquando animarum charitate flagrantium *quietem*, qua anima contemplationi dedita ſe ad cordis intima retrahens, nec videt, nec ſentit niſi Deum. Ita eam deſcribunt vitæ ſpiritualis Magiſtri, S. Bonaventura de ſtimulo Amoris p. 2. c. 7. S. Thereſia c. 14. vitæ ſuæ. S. Franc. Saleſius lib. 6. c. 7. & 8. Balthaſar Alvarez Tom. 3. p. 2. c. 12. Card. de Laurea opuſc. de Contemplat. c. 6. In hac, ut illi ajunt, recollectione ceſſat anima a terrenis tumultibus, & quieſcit a cogitationibus ſupervacuis. At Michael de Molinos e contra in ſua *Quiete* vult animam cum indifferentia pati etiam dæmonum,

monum, ſi occurrant, violentias, turpesque libidinum incitationes, nec quietem illam turbari, tametſi animus alia videat, alia ſentiat, etiam impura & obſcœna. Docent quidem illi in Oratione *quietis* ab ipſis explicata, aliquando animam dulcedine charitatis perſuſam, quaſi dormitantem nil agere, ſed recipere dumtaxat amoris dulcedinem atque delectationem; ajunt tamen id evenire, quoniam non de ſe cogitat anima, ſed de eo, cujus præſentia delectatur; potentiasque ſe interius quidem retrahere, non tamen deperdi, aut ſomno abripi; ut proinde voluntas, quamvis in eo ſtatu non exerceat potentias alias, operetur tamen ipſa ſuperiori parte; & licet nullam habeat ſenſuum exercitationem, in delectatione tamen charitatis non dormitet, ſed per charitatem magis ſummo Bono adhæreat. Huic ergo ſanctæ *quietis* Orationi e diametro illa opponitur, qua voluntas non colligit potentias, ne avolent, & vagentur, ſed laxatis ipſarum habenis indifferenter ſe habet. Demum *quies* a veris Myſticis probata eſt ſpecialis prorſus Dei gratia, quam nullus debet præſumere; eſt Divini amoris ſcintillula, ut loquitur S. Thereſia cap. 14. quam Dominus incipit in anima excitare, & accendere, & quæ ſervilem timorem expellit, inſeritque filialem. Cum e contra falſi Myſtici commenti ſint, frui hac *quiete* illos, qui ſemel arbitrium Deo ſubjecerunt, ſpecialia Divinæ gratiæ beneficia cuique quantumvis improbo, impuriſſimoque temere tribuentes.

Cætera, quæ in hoc ſyſtemate amoris *puri* continentur, errorum portenta ſupervacaneum foret inſectari, quandoquidem ipſa ſua ſe fœditate abunde refellunt.

VI. Sed *objiciunt* hodierni Quietiſtæ 1*mo :* Perfectionem charitatis in eo eſſe poſitam, quod non velimus, niſi quod Deus vult: igitur ſi Deus velit, ut quis pereat in æternum, is debet ſubjicere ſe voluntati divinæ. Subjectionem ejusmodi, ſeu abnegationem ſalutis per amorem purum, non eſſe niſi apparentem deſperationem; quatenus anima involuntarie turbatur, ad inſtar Chriſti, cum in cruce a Patre derelictus exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me!*

Reſp. Eo ipſo quod teneamur velle quod Deus vult, debemus velle, & ſummo affectu deſiderare ſalutem & beatitudinem noſtram; Deus enim vult omnium ſalutem tanquam ultimum noſtrum finem, ad quem nos ordinavit. Erronea eſt igitur, & catholico dogmati plane contraria hæc ſalutis indifferentia, quæ ſpem Chriſtianam penitus deſtruit, veramque deſperationem inducit. Verba Chriſti in cruce pendentis quod attinet, ſupplex illa fuit oratio cum ſpe & fiducia conjuncta; exclamavit tantum ob ea, quæ patiebatur natura humana, nullum accipiens a Divina pœnarum levamen. Sane involuntarie turbatum fuiſſe Chriſtum per aliquod deſperationis genus, blasphemia eſt hæreticorum: ut enim fides docet, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & nemo poterat ejus animam tollere*, niſi lubens voluiſſet mortem oppetere. Eo igitur Chriſti exemplo non trahimur ad indifferentiam & *quietem*, ſed ad gemitum & orationem; ut Deus ariditatem ac deſolationem noſtram diſſipet rore ac dulcedine amoris ſui: quemadmodum ſe geſſit S. Magdalena de Pazziis, quæ in majore ſpiritus deſolatione

ne magis lachrymabatur & orabat, ut refertur in ejus vita.

VII. *Objiciunt 2do :* Charitatis perfectio & puritas poſita eſt in immunitate a mixtione proprii creaturæ *intereſſe.* Sed ejusmodi charitatem non habet, qui operatur intuitu mercedis, qui diligit Deum tanquam beatitudinem ſuam; quia per ejusmodi dilectionem refert Deum ad ſe, illum enim diligit propter ſe, quia ſuum erit ſummum bonum, ſua beatitudo; qui amor non eſt amor charitatis, ſed amor concupiſcentiæ, repugnans ſtatui perfectorum.

Reſp. Diſt. maj. Puritas & perfectio charitatis poſita eſt in immunitate a mixtione proprii *intereſſe*, quod diſtinctum ſit ab ipſa æternæ veritatis cognitione, ab ipſo infinitæ bonitatis amore, aut quod ad Deum ultimo non refertur, *Conc.* quod ſit ipſa æternæ veritatis cognitio, ipſe infinitæ bonitatis amor; aut quod ad Deum refertur ultimo, *Neg. maj.* Commodum & *intereſſe* proprium creaturæ, quod non eſt ipſe Deus, quodve ad Deum ultimo non refertur, eſt contra ordinem charitatis: exigit namque charitatis ordo, ut creatura ſe ipſa non fruatur; ac proinde ut ſibi amore non inhæreat, ſed ut fruatur ſolo Deo. E contra *intereſſe* proprium, quod ad Deum ultimo refertur, quodve eſt Deus ipſe, conforme eſt legi & ordini charitatis. Nam charitas jubet, ut etiam proprium bonum, propriam utilitatem velimus: id nimirum ut velimus, charitas jubet, quod ex eadem charitatis lege velle debemus proximo; atqui ex lege charitatis proximo debemus velle,

ut ei bene ſit ; ergo etiam ex eadem charitatis lege velle debemus, ut nobis bene ſit. Præterea, charitatis ordo poſtulat, ut nosmet ipſos & proximum noſtrum propter Deum ultimo diligamus : definitur enim ab Auguſtino, *Motus animi ad fruendum Deo propter ipſum ;* hoc eſt, ad illi ultimo inhærendum. Igitur juſti, qui ad perfectorum ſtatum eluctati ſunt, cum cupiunt, ut ſibi bene ſit, cum volunt *intereſſe* proprium, nihil agunt, quod charitatis legi repugnet ; neque enim charitas, quantumcunque perfecta ſit, excludit ordinatum aut ſui, aut proximi amorem : ſervat autem charitatis ordinem, qui ſuum bene eſſe, ſuum proprium commodum ad Deum ultimo refert, & in eo ſolo conſtituit ; tunc enim totam, ut ait Auguſtinus in Lib. 3. de Doctr. Chriſtian. c. 22. *dilectionem ſui refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Proprium igitur & ordinatum creaturæ rationalis *intereſſe* non eſt aliquid a Dei cognitione, ab illius amore diſtinctum ; quia tunc ſolum bene eſt creaturæ rationali, tunc verum ſuum habet *intereſſe*, cum Deo perfecte per cognitionem & amorem conjuncta eſt : tunc enim in eo eſt ſtatu, in quo ut ſit, lex æterna jubet : jubet nempe, ut creatura rationalis ſub Deo immediate conſtituta, & ab omni prorſus inordinato creaturarum amore libera, Deo ſerviat, una Dei poſſeſſione penitus expleatur.

Atque his etiam diluitur quod ad extremum objectum eſt de amore concupiſcentiæ. Si namque per amorem concupiſcentiæ intelligatur non pravum aliquod deſiderium, ſed amor Spei theologicæ, qui fertur in ſempiter-

piter-

piternam felicitatem ; negamus amorem ejusmodi tendere in creaturam rationalem tanquam in ultimum finem. Amor ſpei, quem dicimus amorem concupiſcentiæ, debet eſſe in Deum tanquam in finem ultimum directus, ita ut propriam felicitatem quisque amet comparate ad Deum, ut ſcilicet ipſi amore jucundiſſimo ultimo inhæreat. Quare amor concupiſcentiæ & ſpei, qui fertur in propriam beatitudinem, ac poſſet in pravum finem deflecti, non defectu ipſius ſpei, ſed vitio ſperantis, dirigi debet a charitate ; ita ut præcipuus finis ſit Deus, id eſt, ut diligamus quidem æternam vitam, ſed intentione adhærendi Deo, ſummo & incommutabili bono.

Hæc eadem valet reſponſio, cum dicitur, mercenarium eſſe, non filialem amorem illum, quo diligitur Deus propter beatitudinem, retributionem, mercedem ; quemadmodum ſervilis & mercenarius eſt amor filii, qui propter hæreditatem venturam amat patrem ſuum : *Amant filii*, inquit S. Bernardus Serm. 83. in Cantica, *ſed de hæreditate cogitant ; ſuſpectus eſt mihi amor, cui aliud quid adipiſci ſpes ſuffragari videtur . . . . purus amor mercenarius non eſt.*

Eſt omnino mercenarius amor ille, quo diligitur Deus propter beatitudinem, retributionem, mercedem, ſi hæc omnia non ſint Deus ipſe, per cognitionem & amorem perfecte poſſidendus; ſecus, ſi beatitudo, retributio, merces ſit Deus ipſe, ut jam ſæpe obſervavimus, per intuitivam cognitionem, & per ardentiſſimum amorem poſſidendus. Mercenarius eſt amor filii, qui patrem propter hæreditatem, quam ab eo expectat, diligit ; quia non

 patrem,

patrem, ſed aliud quid a patre amat; nempe ejus facultates. Sed juſti, qui Deum diligunt, ut beatificum & remuneratorem, Deum amant propter ipſum, cupiunt eſſe cum illo, eo frui, ejus poſſeſſione gaudere. Hinc idem S. Bernardus Lib. de diligendo Deo cap. 7. *Vacans*, inquit, *charitas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt, quippe non quærit quæ ſua ſunt. Verus amor ſe ipſo contentus eſt, habet præmium, ſed id quod amatur.*

O. A. M. D. G.

INDEX.

PARS PRIMA

DE

FIDE THEOLOGICA.

DISSERTATIO PRIMA.

De Natura Fidei Divinæ. pag. 4

SECTIO I. Fidei notio, & Objectum exponitur. ibid.

CAPUT I. Quid ſit, & quotuplici modo ſumatur fides? ibid.

CAPUT II. Quæ ſit fidei ſubjecta materies? & qualis ea eſſe debeat? 10

CAPUT III. De Symbolis, in quibus fidei materia continetur. 21

CAPUT IV. An, & quomodo objectum fidei ſucceſſu temporis augmentum aliquod acceperit? 43

CA-

Digitized by Google

CAPUT V. Utrum ea, quæ deducuntur ex principiis revelatis, ſint materia fidei, & poſſint, ac debeant credi fide divina? 50

CAPUT VI. De Motivo credendi, ſeu objecto, ut ajunt, *formali* fidei divinæ. 69

SECTIO II. De propoſitione objecti ſufficiente, ac neceſſaria ad credendum. 86

CAPUT I. Utrum ad credendum fide divina neceſſarium ſit, objectum revelatum proponi publice per Eccleſiam? an vero ſufficiat, ſi privato cuipiam reveletur? ibid.

CAPUT II. Quomodo proponi debeat objectum fidei, ut ad credendum fide Chriſtiana ſufficiat? 93

CAPUT III. Utrum Myſteria fidei Chriſtianæ ſint evidenter credibilia, & credenda? 106

DISSERTATIO SECUNDA

De Regulis Fidei. 126

SECTIO I. De Regula fidei inanimi, ſeu de Scriptura, & Traditione. 127

CA-

Digitized by Google

CAPUT I. Quo ſenſu Scriptura Sacra ſit regula fidei? ibid.

CAPUT II. An etiam Traditiones ſint agnoſcendæ tanquam regula fidei? & num ſe ſolis ſufficiant? 155

CAPUT III. An privatus ſaltem Spiritus ſit ſufficiens & infallibilis regula credendorum? 188

SECTIO II. De viva fidei noſtræ Regula, ſeu Eccleſia. 196

CAPUT I. An Eccleſia ſecundum ſe conſiderata, & ut eſt cœtus fidelium per orbem diffuſus, ſit infallibilis fidei regula? & num penes eam ſit ſupremum & irrefragabile judicium controverſiarum? ibid.

CAPUT II. De Eccleſia in Conciliis generalibus congregata. 218

CAPUT III. De auctoritate Concilii generalis in definiendis dogmatibus, & conſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica. 242

CAPUT IV. De Summo Pontifice, ejusque Primatu in tota Eccleſia. 283

CAPUT V. An ex Romani Pontificis in Eccleſia primatu recte inferatur, eum eſſe Conciliis œcumenicis ſuperiorem? 292

Digitized by Google

CAPUT VI. De Authoritate Summi Pontificis etiam extra Concilium in definiendis fidei, & morum quæſtionibus? 325

DISSERTATIO TERTIA.

De Neceſſitate Fidei. 388

SECTIO I. De Actu interno Fidei, ejuſque neceſſitate. 389

CAPUT I. Interioris Fidei actus natura & proprietates exponuntur. ibid.

CAPUT II. De Neceſſitate actus interioris Fidei. 395

CAPUT III. In quibus reperiatur Fides? 411

SECTIO II. De exterioris fidei actus neceſſitate. 419

CAPUT I. An exterior fidei actus præceptus ſit, & quomodo? ibid.

CAPUT II. Utrum licitum ſit aliquando falſam religionem ſimulare? 427

CAPUT III. De vitiis fidei oppoſitis. 434

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA

DE SPE ET CHARITATE.

DISSERTATIO PRIOR.

De Spe Theologica. 459

CAPUT I. Quid & quotuplex ſit Spes? 460

CAPUT II. De Spei neceſſitate, & ſperantium certitudine ac fiducia. 470

CAPUT III. De effectibus Spei Theologicæ; ubi potiſſimum de timore Domini. 474

CAPUT IV. De peccatis Spei Theologicæ oppoſitis. 486

DISSERTATIO SECUNDA.

De Charitate Theologica. 491

CAPUT I. De Notione, & natura Charitatis 492

CAPUT II. De Neceſſitate, & præcepto Charitatis. 502

Digitized by Google

CAPUT III. De Præcepto amoris proximi. 515

CAPUT IV. De ordine Charitatis. 525

CAPUT ULT. De Amore, ut vocant, puro, ſeu Quietiſmi, & indifferentiæ. 536

FINIS.

Digitized by Google

Notabiliora Errata ſic Corrige.

Pag.	Lin.	Errata			Corrige
5	1	fidelitate	-	-	veracitate
7	5	verius	-	-	rurſus
7	25	Quo	-	-	Quæ
7	29	quo	-	-	quæ
18	ultima	qui	-	-	quin
25	1	provide	-	-	proinde
72	4	veritatem	-	-	veracitatem
171	4	25. cap.	-	-	15. cap.
171	10	cap. II.	-	-	cap. 2.
263	25	Conſtantinopolitani II.			Conſtantinopolitani I.
270	18	Conſtantino	-	-	Conſtantio
299	28	Flavinum	-	-	Flavianum
342	10	judicii	-	-	Concilii
346	22	*ubi totius*	-	-	*ibi totius*
370	13	Tubajanum	-	-	Jubajanum
395	1	III.	-	-	II.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google